
V
B
J
C
34229
IV.

STANISLAI LVBIENSKI

EPISCOPI PLOCENSIS
OPERA POSTHVMA,
HISTORICA,
HISTORO-POLITICA,
VARIIQVE DISCVRSVS,
EPISTOLÆ, ET ALIQVOT ORATIONES,

Quorum Indicem sequentes post Præfationes paginæ ostendunt,

EDITA
AB EXECVTORIBVS TESTAMENTI.

Vita Auctoris reperitur à paginâ 398. &c.



ANTVERPIÆ,
Apud IOANNEM MEVRSIVM.
M. DC. XLIII.
Cum Gratia & Priuilegio.



ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI

AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. MATTHIÆ LVBIENSKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI

LEGATO NATO REGNI POLONIÆ PRIMATI

PRIMOQVE PRINCIPI.



VM posthuma Stanislai Lubienij Episcopi Plocensis opera, Tibi Princeps Illustrissime fraternæ gloriæ hæredi destinaremus, nouo præterea nomine ea Tibi deberi aduertimus; postquàm Te Archiepiscopum Gnesnensem, & Regni Primatem, auspicatò renunciatum intelleximus: nimirùm agnouimus, Nestoris Polonici monumenta, *Sarb. in od. ad eundem.* nulli æquiùs quàm publici amplissimi Regni huius consilij Principi mancipari. Tibi itaque illa dicamus & sacramus: Tu cultum & obseruantiam nostram benignè amplexus, haud grauatim ex ijs recognosces, cùm ea quæ ex antiquitate eruta, hîc ponuntur ob oculos, tum non exiguum interuallum illius tempo-

 ris,

ris, quo magnum illud pietatis, & prudentiæ regendi populos exemplum, Sigiſmundus Tertius, miti iuxtà ac felici imperio res Polonicas adminiſtrauit. Etſi quorſum Tibi Annales, quorſum Commentarios euoluere? qui paucis conceſſam ætatis prærogatiuam adeptus, plus rerum hoc ſeculo geſtarum, feliciuſq́ue memoriâ comprehendis, quàm calamo aſſequi datum: & diuturno negotiorum vſu vim humanæ viciſsitudinis edoctus, cordatum rerumq́ue notitiâ plenum pro libris pectus, Nos Te, viuidamq́ue Tuam iſtam ſenectam, quæ Ægyptijs liber eſt, pro volumine habemus. In quo ſupra conſummatam prudentiam, natales, vetuſtam ſtirpem, & quidquid fortuna maiorum virtuti tribuit, videmus, legimuſq́ue: iam pietatem præcipuum humani animi bonum, quâ te velut certiſsimo quærendæ æternitatis viatico muniuiſti: iam religioſam munificentiam, quâ Diuis propylea, ſacella, templa collocas, aureoq́ue & argenteo apparatu inſtruis: iam indefeſſum laborem quo ſacra curas: iam priſcum illum candorem, quo veteris & melioris æui mores renouas; ijſq́ue in te omnium amorem mirificè accendis. Quem hac quâ plurimas virtutes egregiè adiuuas humanitate

manitate non deuinxisti? quis in Te fidum illum Regi & Reipublicæ animum, eiusque grauitatem; quis summam non suspexit, non adamauit modestiam? quâ præditus visu iuxtà & auditu cunctis venerabilis, ita lubricum hoc vitæ iter, inter ambitionis & vitiorum huius seculi abrupta, vacuus periculo peregisti, vt in tam longo ætatis & honorum cursu, nihil in præteritum habeas excusandum, omnia laudanda. Loquuntur id Chelmensis, Posnaniensis, Vladislauiensis Cathedræ, quæ Tibi, summa licet, statim pro merito priùs obtigerunt; seu quia illarum boni interfuit, Te velut per vices eis partiri; seu Tua, vt illarum Præses conceptæ dudum de Te opinionis documenta dares: scilicet ne huc afferres solam sine experimento famam, qui pleno meritorum & gloriæ lumine, in hoc Polonici honoris Solstitio consistere debuisti. Sed Tu occasum potiùs quàm progredi altiùs cogitabas; cùm humanæ conditionis sortem tecum reputans, supremis tuis consulturus, sepulchrum funeri Tuo in Vladislauiensi Basilicâ struxisti: verùm aliud de Te Superi statuerant, cùm Te ex tumulo, quem cogitatione iam impleueras, ad Principem locum, à fatis, ad dignitatis Pri-

mariæ in hoc Regno faſtigium reuocarunt. Cæterùm Tu, verè poſtliminio fati ad capeſſendum eximium honorem proceſsiſti; poſt triſtem nimirùm obitum, clariſsimi viri fratris Tui, Plocenſis Antiſtitis: ſi amorem coniunctionemq́ue animorum inter vos, ſi pertinacem luctum quo defuncto parentaſti æſtimamus, non ſuo tantùm, ſed ſimul fato morientis Tuo, qui ſæpè fateris quantum claritudinis, quantum in hac vergente ætate præſidij illo orbatus amiſeris. Supereſt vt velut gemino funeri Tuo ſuperſtes, fatis in tam excelſo loco inacceſſus, orbatis clientibus ſolatium, cunctis magnarum virtutum ſpecimen, diu præeſſe, & publicè prodeſſe valeas. Ita optamus, ita vouemus, & hæc poſthuma opera, noſq́ue ipſos amplitudini Tuæ æternùm deuouemus. Varſauiæ 21. Septemb. 1642.

Executores Teſtamenti.

BENEVOLO
LECTORI.

*Abuerat in animo, Stanislaus Lubienius Episcopus Plocensis Polonicam historiam continuare; quamobrem Ioannis Heidestini primi post Martinum Cromerum rerum Polonicarum scriptoris monumenta euoluerat: cætera tam quæ ex Heidestiniano volumine perierant, quàm secuti postmodùm temporis res gestas compositurus. Atque vtinam tantum virium, vel temporis ei fuisset, quantum rerum notitiâ valuit: absolutam hactenùs Polonicam historiam haberemus. Cæterùm valetudine, variis & diuturnis morbis labefactatâ, & sub senectam titubante, ac omni, quod interdum suppetebat otio, Senatorijs & Episcopalibus curis, quas inprimis ad Officium suum pertinere existimauit, transmisso, ea solùm inter monumenta vitâ functi reperta sunt, quæ olim iunior in Commentarios redegerat. Hæc nos in vnum collecta, additis nonnullis discursibus, epistolis, & aliquot ab eo confectis opusculis, in lucem publicam damus, exemplo magnorum virorum, quorum non pauci separata à perpetuis historiis bella, alij diuersa simul congesta opera prodidêre. Quod reliquum est, speramus hæc posthuma à nobis edita monumenta, cùm omnibus in quorum manus deuenerint, ob rerum anteacto tempore gestarum, & antiquitatis notitiam, tum potissimùm ei grata futura, qui aliquando in animum induxerit reliquum Polonicæ historiæ contexere: ad quod componendum, hæc nostra magno sibi adiumento fore experietur. Habes amice Lector causam consilij nostri, nos luculentum eius fructum, gloriæ Diuinæ augmentum, deinde tuam in legendo beneuolentiam & fauorem nanciscemur.*


Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus
D. STANISLAVS LVBIENSKI
Dei et Apostolicæ Sedis gratia
Obit VIII IDVS Aprilis EPISCOPUS PLOCENSIS M. D. C. XL.

ALIQVOT ODÆ IN GRATIAM
STANISLAI LVBIENII
EPISCOPI PLOCENSIS
SCRIPTÆ A
MATTHIA CASIMIRO SARBIEVIO
SOCIETATIS IESV.



PRÆCEPS, & ipſe ſibi vix aliquot diebus ſuperſtes annus, me commonuit, vt annum pro Tuâ incolumitate Lyricorum meorum Votum exſoluerem VIRGINI CLAROMONTANÆ. Exſolui illi, exſolui etiam Tibi: quibus vt plurima in dies ſoluamus, plura adhuc debemus. Illa mihi à puero ſtudiorum præſes, Tu iudex, & arbiter, & aliquot iam annos præcipuus hortator atque inſtinctor. Vt Naruiam, vt Bugum, mihi natales, amnes carmine celebrarem, ſæpiùs per literas monuiſti. Nunc demum monita tua in animum meum diligenter abdita, fideliterque concepta, poſtliminio velut ſemina proruperunt. Scripſi aliquid de Bugo Tuo; ſed huius carminis viridis neque dum adulta herba eſt, vt ipſe Bugus alluere videatur. Recentem iſtam Poëſeos illecebram humili atque agreſti Plonſcenſi caſæ debeo, ſicut & Syluiludia, quæ ad numeros Muſicos aptari audio: debeo aperto ac benigno cœlo, in quo Sarbieuum natalis mihi pagus Plonſcio vnâ propè leucâ diſſitum, iacet: ſed maximè Tibi debeo, Apollini meo, qui me Viſcouij, qui Brocouij, Villarum, Oppidorumque tuorum amœnitate, ſæpiùs refeciſti. Diu ipſe & benè vale. Varſauiæ ix. Calend. Ianuarij 1637.

AD
DIVAM VIRGINEM
CLARO-MONTANAM
PRO ILLVSTRISSIMO
STANISLAO LVBIENSKI
EPISCOPO PLOCENSI
VOTVM.



O Diua Clari gloria verticis,
Cui dedicatis effigies nitet
Circùm tabellis, & superba
Thure calent precibusq́; templa.

Paullùm reducto MASOVIAM *bona*
Dignare vultu, quà vehit inclytis
Electra ripis, & refuso
Naruia luxuriatur amni.

Latè potentem LVBIENII *diu*
Serua Tiaram, seu tibi Plociis
Affusus aris mille sacros
Asserit indigetatq́; Mystas.

Seu literato plurimus otio
Musisq́; pallet; seu petit auij
Amœna VISCOVI *vireta, aut*
Pultopolin, viridemq́; BROCVM.

Serues egenti Nestora Lechiæ, &
Inter togatas canitiem sine
Virere curas; non tepentis,
Non gelidi graue tempus anni.

Non siccus illum Sirius, aut madens
Orion afflet; dumq́; tuo pius
Se ponit in vultu, salubrem
VIRGO *Tui trahat oris auram.*

Sic ille sacris pulcher in infulis
Te sæpè placet; sic ego te nouis
Redorsus exornem Camænis
Dum celeris redit Orbis Anni.

INCLYTÆ LVBIENIORVM NOBILITATI SACRVM.



Vondam reuinctus Palladiâ caput
Sacrum coronâ, carus Iasoni
Vates, inexperto Chelydri
Mortiferi periturus ore.
Inter Pelasgos Amphycides stetit
Thyphinq; nondum gurgitis arbitrum
Iussit per obstanteis procellas
Fatidicam celerare pinum.
In transtra fratres Tyndaridæ ruunt,
Fluctusq; verrit grandior Hercules:
Et MercurI proles Echion
Thessalicos glomerat rudentes.
Frater tenaces Eurytus anchoras
Proramq; seruat, nec Boreæ genus
Alas reformidans paternas
Vela manu reuoluta pandit.
Omnes parentum nobilium decor,
Omnes Deorum progenie sati,
Incognitam Nymphis carinam
Tandem auido posuere cœlo.
Sic vos (auiti laurea verticis
Quos fronde prisca cingit imaginum)
LVBINIDÆ *magni nepotes*
Pieriam subiisse mecum.
Gaudete cymbam, protinus auiis
Sulcanda remis nubila, protinus
Lunæq; stellarumq; & altis
Littora sunt subeunda velis.
Nam qualis Orpheus Argolicam polo
Fixit carinam; non aliter mea

Vos

Vos inferet cœlo Thalia
Pectine non facili canendos.
Seu bellicosam Martius indolem
Accendit ardor, signaq́, gentibus
Erepta vicinis reportans
Arma animis gerit, arma dextris:
Seu blanda tutis otia ciuibus
Conclusa Iani limina nuntiant,
Fascesq́, victores clientûm
Grex oleâ viridante cingit.
Quod si recessus Pierij placent,
Et non prophanis cognita vatibus
Cortina, felices labores
Pegaseæ venerantur vndæ.
Intaminatæ quos sapientiæ
De fonte promunt signa Lubinius
Notata ceris, omne dextro
Surgit opus genio peractum.
Saluete claræ sidera patriæ,
Nostroq́, vecti per mare barbito
Cursu fatigatam carinam
Stellifero sociate mundo.

LAVS BVGI
IN GRATIAM ILLVSTRISSIMI STANISLAI LVBIENSKI EPISCOPI PLOCENSIS.



On me doloso Salmacis alueo;
Non mista Diuis flumina Persicis;
Non mersus Ætoli Thoantis
Letiferis Achelous vndis.
Vocat canoro pectine Thracios
Laxare neruos; ponite murmura
Cydniq́, Pactoliq́, & alta
Tybri pater metuende ripâ.
Cantabo BVGVM, *qui neque Syrium*
Latrare circùm VISCOVIVM *sinit,*
Læuosq́, defendit vapores
Quos pluuio vehit Auster anno.

O Buge

O Buge sacris edite fontibus!
Quæ me Dearum Pieridum tuis
Haurire de conchis liquorem
Innocuæ patiatur vndæ?
Quis pressa longo cornua me sinat
Leuare musco; quis fluidos sinus
Riuosq; de mento cadenteis
Supposità retinere dextrà?
O Buge! terso lucidior vitro
Te nullus altà lapsus ab ilice
Ramus, neque armenti petulci
Ad niueas properantis vndas.
Perturbet error, non calido Notus
Te siccet æstu, non Borealibus
Demissa tempestas ab oris,
Sed tepidæ leue murmur auræ.
Perflet volentem, dum Cererem tamen
Domas rotarum mole volubili,
Messesq; Viscoui feracis
Vorticibus teris æstuosis.
Iucundiori Pierias sono
Mulcebis aures nunc, age, Naruiæ
Concorde lapsurus fluento, &
Masouiis refer ista Nymphis.
Si vera præsens vaticinantibus
Latous edit [credite posteri]
Non longa seclorum catena
Attonito dabit ore vatem.
Qui plena nostræ flumina gloriæ
Feret per vrbeis, non humili lyrà,
Cantuq; vos olim sonabit,
Et cytharà generosiore.

PARS

PARS PRIMA.

PARS

PARS SECVNDA.

SVM-

CENSVRA.

OPERVM *posthumorum* Stanislai Lubienski *Episcopi Plocensis Partes duæ cum adiunctis Vitâ Auctoris, & Matthiæ de Buzenin, ac Monitis eiusdem de rectè gerendo Episcopatu nihil continent sanæ doctrinæ aduersum, sed plurima memorabilia & instructiones, quæ digna sunt, vt typis commissa, etiam posteris communicentur. Actum Antuerpiæ* VI. *Decemb.* M. DC. XLII.

P. Coens S. T. L. Canon. & Scholast.
Antuerpiensis Lib. Censor.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS *Dei gratiâ Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps diplomate suo sanxit, ne quis Operum Posthumorum* Stanislai Lubienski *Episcopi Plocensis Partes duas præter* Ioannis Meursij *Typographi Antuerpiensis voluntatem, intra nouennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum locorúmve excusas in has inferioris Germaniæ Prouincias inferat, venalesúe exponat. Qui secus faxit præter confiscationem exemplarium, triginta florenorum pro singulis libris sic illatis soluendorum pœnâ multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ anno* 1643. *die* 7. *Ianuarij.*

Signat

Steenhuyse.

STANISLAI LVBIENSKI

EPISCOPI PLOCENIS OPERVM POSTHVMORVM PARS PRIMA.

PROFECTIO IN SVECIAM SIGISMVNDI III. REGIS POLONIÆ ET SVECIÆ,

Dum à morte Ioannis Sueciæ Regis parentis sui hæreditarium Regnum capesseret.



VB exitum Anni Millesimi quingentesimi nonagesimi secundi mors Ioannis Regis Sueciæ Sigismundo III. Regi Poloniæ nunciata, magnoperè eum permouit: nam & patris obitus filio non nisi tristis & acerbus esse potuit, & anceps rerum Sueticarum status nouâ eum curâ affecit. Stoccholmiæ ille Regiâ Sueciæ vrbe VIII. Calend. Decemb. cesserat è vitâ, hærede Regni relicto Sigismundo filio Poloniæ Rege; ea hæreditas illi & ex præscripto pactorum, de quibus inter Gustauum Regem & Sueciæ Ordines olim conuenerat, debebatur, & nouissimè priusquàm vocatus ad Regnum Poloniæ finibus Sueciæ excederet, ita pater iuri filij cauerat, vt volentibus Suecis, fidemque suam illi vni obstringentibus, Rex futurus Sueciæ designaretur. Nec de iure ambigi poterat: sed inerat periculum, ne Carolus Dux Sudermaniæ, Regis defuncti frater sibi potiùs mallet, quàm fratris filio Regnum deferri: maximè cùm non ignoraret ita Polonicis pactis obstrictum Regem teneri, vt non nisi permittentibus Regni Ordinibus Regno excedere, & in Sueciam Regni capessendi causâ transmittere posset. Igitur properè missi in Sueciam, qui statum Regni explorarent, dubiosque hominum animos certâ spe maturi eò aduentus Regij confirmarent. In Poloniâ non vsque adeò res tranquillę videbantur: nullus quidem tunc ab hoste externo motus, sed ex Comitiis, quæ

Mors Ioannis Sueciæ Regis.

Status tunc rerum in Poloniâ.

proximè acta erant ita diſceſſum fuerat, vt ambigi meritò potuerit, quo animo præcipui Procerum, & inter eos Ioannes Zamoſcius Regni Supremus Cancellarius erga Regem eſſet: videbatur enim is adhuc in eâ hærere opinione, quaſi Rex deſertâ Poloniâ, Regnoque paterno contentus, occupandæ Reipublicæ Auſtriacis occaſionem (de quo in proximis Comitijs non ſine indignitate Regis ſatis ambitioſè, auctore Zamoſcio, actum quæſitumque fuit) præbere vellet: ac proinde exiſtimabatur neceſſariam hanc Regis in Sueciam profectionem, vel impediturus, vel certè arctioribus terminis circumſcripturus. Satis quidem in eum caſum, ſi Rex Sueciæ moreretur, de Regiâ in Sueciam profectione, cautum erat in Comitiis Coronationis Regiæ: nimirùm vt conſultis Ordinibus, ad conſtituendas res illius Regni hæreditarij Regi ire liceret: ſed animi hominum, quos ſiniſtræ ſuſpiciones occupauerant, pacandi priùs erant, antequàm de eâ re in Comitijs agi, moduſque in Sueciam profectionis, & iſthic manſionis ſtatui & definiri poſſet. Dimiſſi à Rege Internuntij ad præcipuos Senatores edocendos, quid Rex ab iis fieri in proximis conuentibus poſtularet. Nemo ferè erat qui non Regi paternum Regnum capeſſere cupienti fauendum putaret, niſi quòd alij Regem periculis, incerto adhuc Regni Sueciæ ſtatu, non obijciendum, remque per Legatos potiùs gerendam cenſerent; alij totum id arbitrio Regis, dummodò dignitati & ſecuritati eius ſatis conuenienter proſpiceretur, permitterent. Mortui paulò antè erant tres magni nominis Senatores, primò quidem Staniſlaus Comes Gorcanus Palatinus Poſnanienſis, vltima nobiliſſimæ iſtius gentis ſtirps; deinde Martinus Leſnionolski Caſtellanus Podlachiæ, non tam loco Senatorio illuſtris, quàm quòd exiſtimaretur cultiori ingenio cæteris præſtare. Idcircò ille lectus fuit, qui ex Sueciâ Regem in Poloniam ad capeſſendum Regnum venientem deduceret, eidemque inaugurato, ſed adhuc iuueni à priuatis eſſet conſiliis: itaque cùm gratiâ Regiâ floreret, eaque & reliquis & Regi ipſi grauis eſſet, poſtremò aulæ lubricos fauores expertus cùm gratiâ Regiâ excidiſſet, inglorius deinceps, & parum gratus iis, quos beneficiis affecerat, vitæ ab aulæ ſplendore remotæ impatiens, dolore animi contabuiſſe exiſtimatus eſt. Hunc ſecutus Andreas Opalinius Supremus Regni Mareſcalcus, ac maioris Poloniæ Præfectus: vir conſilio pollens, & qui cenſorij iſtius Magiſtratus ſeuerâ adminiſtratione, plurimum auctoritatis ſibi apud omnes, & non minus gratiæ apud Stephanum & Sigiſmundum Reges parauerat: ita certè tum exiſtimatum eſt, hunc vltimum fore, nec parem illi ſucceſſurum, qui ex vſu priſcæ diſciplinæ eum Magiſtratum gerere poſſet. Huic in Mareſchalcatu ſucceſſit Staniſlaus Przyreniſcius, qui aulæ Regiæ antè Mareſcalcus fuerat: Præfecturam maioris Poloniæ Regis gratiâ adeptus Adamus Sandiuogius Czarncouius, Palatinatum Poſnanienſem Hieronymus Goſtomſcius.

Deliberatio de indicendis Comitijs antequàm Rex in Sueciam proficiſceretur.

Mors interim aliquot Poloniæ Procerũ.

Motus Coſacorum in Voliniâ.

Ferè eodem tempore dum de indicendis Comitijs agitur, ortus in Voliniâ

Volinia Duce Cosinio Cosacorum motus, duorum Senatorum virtute compressus, nunciabatur: Cosinius is in Palatinatu Podlachiæ nobili loco natus ad Cosacos transierat, eorumque mox Dux effectus, cùm non satis prædæ, quam ex hostico colluuies illa capere solet, spei ipsius responderet; siue quòd quondam in oppido Constantini Ducis Ostrogiæ Palatini Kiiouiensis, dum commeatum vi extorquere vellet, malè acceptus fuisset, collecto quinque millium exercitu, in possessiones potissimùm Ducis Ostrogiæ ferro & igne grassabatur. Quare is & suo & Reipublicæ motus periculo, inprimis clientes necessariosque suos ad signa cogit, tum filio Ianusio Palatino Voliniæ dat negotium auctorandi grauioris armaturæ militis: qui in Poloniâ delectu facto, sexcentorum circiter hastatorum patri in subsidium duxit cohortem, id robur totius exercitus fuit. At Cosinius & suarum virium conscius, & præter hos sexcentos in Poloniâ lectos, cæteram ferè rusticanam turbam, ex quâ Ostrogiorum exercitus constabat, imbellem esse gnarus, nihil aduersariorum apparatu territus, Piztcum oppidum munitione circumdat, & sub ipso acie instructâ pugnæ facit copiam. Et primò quidem fortuna audaciæ adfuit; moti loco Ostrogiani, maiorque clades accepta fuisset, nisi Ianusius ipse suos in aciem induxisset; nec tulit leuis Cosacus hastatorum Polonorum vim, primoque perrupto agmine, non pugna, sed cædes deinceps fuit; & percommodè altiores niues impeditum iter fecerant, ne vagus hostis effugeret, cùm è contra Poloni robustioribus equis insidentes faciliùs eniterentur. Cæsa Cosacorum tria millia, signa ferè omnia, & viginti sex tormenta bellica campestria recepta; qui superfuerunt, intra munitiones oppidi, ad quod pugnatum fuit, reiecti, ibique clausi, cùm nullam reliquam salutis spem haberent, ad preces versi vitam orabant: ipse Cosinius ex oppido progressus, supplex fit Palatino Kiiouiensi: qui vt erat mitis vir ingenij, sonti & suprema merito dat veniam, certis conditionibus adiectis; quarum erat præcipua, ne Cosinius deinceps Cosacis se immisceret, neúe Dux eorum esset. Quod se facturum iurauit ille; sed vt primùm sui arbitrij factus est, immemor iurisiurandi, nouos motus ciere cœpit: collectâque Cosacorum manu, iis qui Ostrogiæ Ducibus suppetias tulerunt, ac potissimùm Visniouiecio infensus, iam iterum formidandus videbatur; sed dum incautiùs Circasios ingreditur, temulentus in hospitio à familiaribus Visniouiecij, qui eius loci Regius erat Præfectus, vnà cum nefariorum conatuum sociis (quadringenti circiter erant) occiditur. Hæc mense Martio, Anno Millesimo quingentesimo nonagesimo tertio gesta. Sub finem eiusdem mensis Comitijs Varsauiæ ad diem IV. Maij indictis, particulares Palatinatuum conuentus peragebantur. Vt paulò superiùs attigi, plurimi ex euentu proximè præteritorum Comitiorum rem metientes, nouas res circumspectare videbantur, atque maximè Palatinatus Cracouiensis nobilitas Regi offensa erat: primùm quidem ob delatum Episcopatum Cracouiensem

Cosaci cæsi.

Comitia indicta Varsauiæ pro die 4. Maij 1593.

uiensem Georgio Radiuilio Cardinali, & Episcopo Vilnensi, deinde quòd Ianusius Ostrogius à Rege itidem ex Palatinatu Volinię ad Castellanatum Cracouiensem promouendus destinabatur. Vtramque promotionem ægerrimè tulerant multi, & inter cæteros Zamoscius, eum qui in præteritâ Electione contra Regem pro Austriacis senserat, opimiori Episcopâ ditari haud æquum censebat: præsertim cùm anteà Rex promisisse diceretur, eumdem Episcopatum ad Andream Bathoreum Cardinalem, pro quo ille nitebatur, se delaturum. Ostrogio ne id quidem imputari poterat, ac si externus esset, cùm amplissimas possessiones in territorio Cracouiensi haberet: sed potentia illius & fauor in domum Austriacam in inuidiam vocabantur. Et Conuentus quidem Prosouicensis vt inter discordes, partiumq; fauore imbutos, binis lectis diuersis Nuntijs, quorū posteà neutri ad Comitia admissi sunt, transactus. Cæterùm Ianusius Ostrogiæ Dux spolia nuper cæsorū Cosacorum præseferens, peracto Prosouicensi Cōuentu Cracouiā ingressus, & vexillis ex hoste captis, ad ædem Diui Stanislai, quæ in Rupellâ est, affixis, plurimum ei, quâ flagrare cœperat recèns rei gestæ gloriâ, inuidiæ dempsit, effecitque vt æquioribus animis sua promotio acciperetur. Cùm iam Comitia instarent, Rex non ignarus passim id in suspicionem vocari, quòd cùm ille ductâ ex domo Austriacâ coniuge, tam arctâ sanguinis necessitudine familiam eam sibi deuinxisset, hactenùs tamen nec à Cæsare, nec à reliquis Austriacis, conditionibus transactionis Bendzinensis satisfieri: Ioannem Zamoscium Grimalium (qui posteà Archiepiscopus Leopoliensis fuit) tum Secretarium suum ad Imperatorem Rudolphum misit, eo nomine expostulatum petitumque, vt tandem Cæsar eo metu Rempublicam liberaret, nec de suâ erga Regem & Regnum Poloniæ voluntate, cuiquam ambigendi locum relinqueret. Ea autem erant quæ desiderabantur, iuramentum tam Archiducis Maximiliani, quàm Hungariæ ordinum, quo ea de quibus Bēdzinij transactū fuit, firmari debuerant. Sigillum Imperij tabulis transactionis nondum appositū erat, nec Hispaniarū Rex hactenùs eā transactionē, dato diplomate cautionis, ratā habuerat.

Malè habet Polonos ab Austriacis non fieri satis transactioni Bendzinensi.

Idcircò Rex Nuntium ad Imperatorem Rudolphum Ioannem Zamoscium Grimalium mittit.

Initium Comitiorum.

Die Comitijs dictâ appetente, pauci Senatores, Nuncij magnâ ex parte discordes, comparuerunt: inani disceptatione multi dies absumpti, dum inter Nuncios disputaretur, cuinam moderandorum dirigendorumque sui Collegij consiliorum partes deferrent: postremò id munus ad Nicolaum Danilouicium iuuenem adhuc, sed maturo iudicio grauem, & qualis mox futurus esset iam tum demonstrantem, omnium consensu delatum est. Itum deinceps ad expedienda Comitialia negotia, quæ, nomine Regis, Cancellarius tractanda proposuerat; sed profectio Regis in Sueciam, prehendendę Regni illius hæreditarij possessionis causâ, potissimùm in disceptationem veniebat, permittendúmne Regi esset, vt eò excurreret, præcipui quique, principe eius sententiæ Stanislao Carncouio Archiepiscopo Gnesnensi, suadebant, ne Rex dubijs adhuc

Sensus aliquorum Senatorum de profectione Regia in Sueciam.

huc Sueciæ rebus periculoso itineri se committeret, omniaque priùs quæ ad constituendas res illius Regni pertinerent, per legatos experiretur, quàm ipse præsens magno vtriusque Regni periculo tantum discrimen subiret. E contra Rex ostendebat, nunc quidem isthic pacatas res esse, cæterùm si ipse eò ire moraretur, omnia partim aduentus sui desperatione, partim ambitione quorumdam perturbatum iri; gratum sibi esse quòd ordines Regni Poloniæ, & dignitatis & securitatis suæ rationem habeant; cæterùm sibi satis perspectum esse præsentē Sueciæ statum, nec quidquam isthic subesse periculi: subditos omnes secundùm patris sui mortem in officio esse, & fore, si vicissim ipse maturo ad paternum hæreditariumq; Regnum aduentu, sibi salutem eorum curæ esse ostenderit: se non eo animo proficisci velle, vt interim rem Polonam negligeret, sed vt rationibus vtriusque Regni consuleret: per legatos iusiurandum nec dari, nec ritè peti, nec Regni hæreditarij possessionem adiri posse, in quâ apprehendendâ multa haud dubiò interuenirent, quæ præsentiam Regis poscerent. Denique imposterum quoque prospiciendum, resque illius Regni, & eius absente Rege administrandi gubernandique, modus præscribendus: in eum euentum pactis Electionis Varsauiensis cautum fuisse, vt consultis Regni Senatoribus, dum id res Sueciæ poscerent, nemo eiusmodi profectioni intercederet, aut eam moraretur. In eam itaque sententiam decretum Comitiale factum, & permissa Regi in Sueciam profectio, dataque & accepta fides, & Regem proximâ æstate rediturum, & ordines Regni eius aduentum ad festum Diui Bartholomæi anni sequentis præstolaturos; nisi ad eam diem Rex redijsset, tum demum illis licitum fore sibi & Reipublicæ Polonæ aliter consulere. Ægrè tulisse Cancellarium suprà attigimus, quòd præterito Cardinali Bathoreo, Episcopatus Cracouiensis Radiuilo delatus esset: sed priuatam eam offensam priuato consilio composuerunt Senatores, Rege annuente, vt Cardinalis Bathorei rationibus, collatâ ei Abbatiâ Ceruenecensi, consuleretur. Nec de Castellanatu Cracouiensi Ostrogio collato quisquam deinceps apertè questus est, tacitâ indignatione plerisque incongruum visum, eum alijs Poloniæ proceribus anteferri. Cumque in animis hominum hæreret adhuc opinio, fuisse superioribus annis complures, qui cum externis Principibus (maximè, idque non sine causâ, eo nomine suspecta erat domus Austriaca) de prodendâ illis patriâ consilia conferre ausi, eorum ambitionem & irritassent, & fouissent, ne id impunè illis fieret, latâ lege ad Iudicium Supremi Tribunalis Regni, eiusmodi libertatis patriæ licitatores, quos tunc Practicantes appellabant, remissi sunt: neminem tamen eo nomine compellatum aut iudicatum, nedum condemnatum fuisse constat. Mouerant & dissidentes in religione quæstionem, vrserantque vt securitati suæ ex præscripto, vel potiùs promisso Comitiorum Coronationis Regię caueretur. Multùm

Consentiunt Ordines vt Rex in Sueciam proficiscatur.

Reliquus Comitiorum successus.

Ioannes Ostrogius Castellanus Cracouiensis.

Agentes cum externis Principibus de prodendâ illis patriâ vbi iudicandi.

Controuersia mota à dissidentibus in religione quomodo sopita.

ea res, illa quoque, vt sæpè alias, Comitia morata est, sed postremò placuit citra religionis mentionem, omnium securitati generali clausulâ cauere, seueriori edicto promulgato in eos, qui quacumque ex causâ tumultus excitarent. Cautum prætereà, ne legati externi absente Rege à quoquam priuatim admitterentur; sed ad Archiepiscopum Gnesnensem, si qui venissent, remitterentur, qui non nisi vocato Senatu legationem eam audire & expedire possit. Turbulentior præteriti anni Comitiorum exitus, impedimento fuit, quo minùs de dotalibus Reginæ bonis certi aliquid statui posset; at in istis, volentibus etiam iis, qui per hoc connubium Regis, cum domo Austriacâ coniunctionem minùs probabant, dotis contradotisque cautiones lege publicâ firmatæ sunt, ditionesque Regiæ, quæ deinceps dotali iure Reginæ essent, specificatæ & assignatæ, adnitente maximè Cancellario, vt hac in re Regis voluntati & desiderio satisfieret. Regina tum in puerperio erat: nam XXIII. Maij, qui fuit Dominicus dies, sub ipsis Comitijs primo partu filiam, cui posteà nomen Anna Maria impositum fuit, ediderat. Miserat ad ea Comitia Rudolphus Imperator legatos suos, primò quidem vt dolorem quem Rex morte patris sui Regis Sueciæ acceperat, vsitato inter Principes officio solaretur; deinde vt expostulationi, quam per Zamoscium Secretarium suum Rex ad Cæsarem detulerat, satisfaceret: in quo negotio id erat legatis mandatum, vt dicerent, Maximilianum & Hungaros iuxta præscriptum transactionis Bendzinensis hactenùs non iurasse quidem, sed à Cæsare quoque eos, vt qui in Cæsareâ potestate non sint, cogi ad id non posse: sigillo Imperij non nisi in Comitiis Cæsarem vti solere, videri tamen eo minùs opus esse, cùm Bohemiæ Regni sigillum appositum sit: nec Hispaniarum Regis eius transactionis confirmationem necessariam existimare: denique Cæsarem bonâ fide polliceri, nullum inde vel Regi, vel Reipublicæ Polonæ periculum obuenturum, cùm id omne Cæsar non permittendo auertere possit. Hæc tum ferè in Comitijs gesta: tributum etiam quo Respublica ad omnem casum paratior esset, scitum: namque & in exitu Comitiorum significatum erat, Tartaros incursatis finibus prædas inde abegisse, & sub absentiâ Regis, verendum erat, ne hostes quid noui molirentur. Legationes item ad externos Principes decretæ & missæ: ad Imperatorem Romanorum, Boianouius Cameræ Regiæ Aulicus; ad Archiducissam matrem Nicolaus Wolscki Gladifer Regni, qui nunc est Supremus Regni Marescalcus: vtrique mandatum, vt de puerperio Reginæ Principes eos certiores facerent, eosque ad communionem eiusdem lætitiæ inuitarent, ac de Regiâ in Sueciam profectione cum illis conferrent: ad Tartarum missus Nicodemus Cosacouius, sed is, cùm literæ publicæ fidei (vt moris est) à Tartaro ei non darentur, non obitâ legatione rediit. Ad Turcarum Imperatorem Amurathem Tertium, Venceslaus Drosinscius Aulicus Regius ablegatus, iussusque sub specie contestandæ amicitiæ explorare eius

Dotis & contradotis Reginæ Annæ Sigismundi III. primæ coniugis cautio.

Anna Maria Sigismundi III. filia nascitur 23. Maij 1593.

Legati ad Comitia à Rudolpho Imperatore missi.

Legati ad externos Principes missi.

eius Principis animum, quali esset erga Rempublicam, maximè cùm eum latere non posset Regis longior à Regno absentia. Iam tunc Turcæ de inferendo Hungariæ bello consilia agitabant, sensimque eò copias traducebant; in quas cũ in itinere Drosinscius incidisset, ingens adiit discrimen: Constantinopoli primo quidẽ satis humaniter exceptus fuit; cæterùm cùm, an munera aliqua, quorum Turcæ auidissimi sunt attulisset, interrogaretur; illeque nihil præter amicitiam se ferre, eamque solam nomine Regis Poloniæ Turcarum Principi muneris loco delaturum responderet, nec postremò, vt apud Ieratum Bassam (supremus is Vesirus erat) legationem exponeret, vel Regias literas illi traderet, se adduci pateretur, serò & ægrè ad ipsum Sultanum admissus, & legatione ritè ex dignitateque Regis & Reipublicæ functus est, & rebus ex sententiâ confectis dimissus fuit. Die IV. Iulij nata nuper filia Regis sacro fonte tincta est, Cardinalis Radiuilius eo munere functus, Regina senior Anna, Regis matertera, infantem ad sacrum lauacrum Christiano ritu expiandam detulit: aderant Summi Pontificis, Cæsarei & aliorum Principum legati, actusque is omni celebritate adhibitâ, pro dignitate Principum, qui ad eum cohonestandum legatos miserunt, peractus. Intereà Rex & ij qui eum trans mare in Sueciam comitaturi erant, ad insuetum iter se parabant, primam secundo flumine Vistulâ, Varsauiâ Dantiscum, nauigationẽ experturi. Itaq; nauibus paratis adornatisq; Rex cũ Reginâ omniqúe aulæ frequentiâ, die III. mensis Augusti itineri se accinxerunt, deducente eos ad littus Vistulæ Annâ seniore Reginâ Poloniæ, quę recens natam Regis filiolam, quasi pignus sui erga Regem nepotem amoris apud se retinuerat. Paulò antè Mense Iulio ita Vistulæ aquæ excreuerant, vt res prodigij loco haberetur; circumuicina Cracouiæ oppida Casimiria Stradomiaque, & reliqua proxima flumini suburbia largiter vndis irrigata, ingens damnum acceperant; subrutæ ædes, corrupta quæ in cellis vinarijs granarijsq; erant: agris quoque pratisque eadem inundatio, per omne id spatium quo Vistula à suo fonte ad mare vsque decurrit, magnam vastitatem intulit, rusticis tuguriolis prorutis, frumentis limo oblitis, pecoribus pecudibusque & interdum etiam hominibus subitâ aquarum vi deprehensis suffocatisque. Pari & ferè maiori inundatione idem fluuius excreuerat anno Millesimo sexcentesimo vigesimo primo in ipso belli Turcici apparatu; quamquàm & illa prior referri possit ad bellum itidem, quod cum Turcis à Christianis in vicinâ Hungariâ gestum est, portendendum: nam in exitu huius, cuius res gestas persequimur, anni, Amurathes Tertius Turcarum Imperator, rupto fœdere, per suos Præfectos bellum in Hungariâ, quod aliquot deinceps annis variâ fortunâ gestum fuit, exorsus est. Sed ea inundatio percommoda Regi Dantiscum mense Augusto nauiganti fuit, vt sine vllo impedimento naues defluerent: eo quidem die quo Varsauiâ soluit, classis illa fluminea vento aduerso tardata fuit, vt Rex destinatæ primæ stationi portum

Baptismi Annæ Mariæ Poloniæ Infantis pompa.

Sigismundus Rex Varsauiâ mouet 1593.

Exundatio Vistulæ.

quid eadem tunc & aliàs portenderit.

tum tenere non potuerit; at verò deinceps secundâ nauigatione vsus, bis ferè singulis diebus exscensione in littus factâ. In Plocensi ciuitate præstò Regi adfuit Stanislaus Carncouius Archiepiscopus Gnesnensis, qui faustâ comprecatione felicem longinquioris & periculosæ profectionis successum precabatur: aderant quoque ibi multi eius prouinciæ alij Senatores, & inter eos Albertus Baranouius Episcopus Plocensis, Andreas Bathoreus Cardinalis, Episcopus Varmiensis. In eius gratiam fecerat Rex vt Ceruenscum diuerteret, ad tradendam eius loci Abbatiæ Cardinali possessionem: quod quidem Rege præsente factum fuit, multùm renitentibus Monachis, superesse adhuc Abbatem clamantibus, & iura liberè eligendi Abbatis appellantibus; sed frustra, nam Germanicus Malaspina Nuncius Apostolicus ostendit, id Summi Pontificis voluntate fieri, ni parerent, præsens illis anathema interminatus. Viuebat adhuc Stanislaus Falzcki Abbas fessus annis, & sui penè impos, nec verbis, sed lachrymis se tuebatur: inuidiosa sanè videbatur hæc sacerdotij, viuo alio, vsurpatio, quod quidem multis alijs non benè cessit. Cardinalis quidem, cùm post aliquot annos depositâ Cardinalitiâ purpurâ Regalem appetijsset, Princeps Transyluaniæ renunciatus, indignâ & genere & nomine suo cæde extinctus fuit, tristi documento ijs futurus, qui pane Ecclesiæ nutriti, statum, cui ab initio se addixerant, leui ambitionis aurâ afflante temerè deserunt. Sed de eius exitu alio loco & tempore memorabimus. Rex in eo itinere cùm Vladislauiæ ab Hieronymo Rozrazeuio Episcopo loci illius, Toruniæ à ciuibus Torunensibus & alibi ab alijs honorificè exceptus & lautè habitus esset, postremò Marieburgum deflexit, ibique biduo moratus, terrestri itinere Dersauiam venit: vbi iterum nauibus conscensis, altero die, qui fuit XIV. Augusti, Gedanum ingressus est. Exceptus à ciuibus cum summâ honoris & obsequij testificatione: schaphis minoribus egregiè ornatis, iuuentus Dantiscana obuiàm Regi progressa, artis nauticæ in flectendis velis captandisque ventis, celeri huc & illuc transcursu, peritiam ostendebat: naues in portu ipso frequentes, multis non naualibus modò, sed muralibus etiam bellicis tormentis onustæ detonabant: in ponte, ad quem Regia nauis appulsura erat, militaria fulgebant explicata signa, sub quibus ciues omnes vestibus armisque decori, nihil horum quæ ad lætitiam testificandam, Regemque cum splendore excipiendum desiderari poterant, omittebant. Rex à primarijs ex Magistratu salutatus, & per proximum portui forum, ad palatium istic paratum, à Senatoribus Regni qui præsentes erant deductus est. Erant autem cum Rege præter Hieronymum Rozrazeuium Vladislauiensem, & Andream Bathoreum Cardinalem Varmiensem Episcopos, Ioannē Tarnouium Regni Vice-Cancellariū, Hieronymus Gostomski Posnaniensis, Stanislaus Minski Lanciciensis, Ludouicus à Mortang Culmensis, Cema Marieburgensis, & Stanislaus Costca Pomeraniæ Palatini, alijque non pauci Proceres Poloni & Prutheni. Et primis quidem diebus pacata omnia

Stanislaus Carncouius Archiepiscopus Gnesnēsis Plociæ Regi occurrit, ibidē alij Senatores.

Ceruenensis Abbatia viuente Abbate, Andreæ Bathoreo Cardinali in possessionem datur;

Qui paulò pòst in Hungariâ indignè perit.

Regis Sigismundi Dantiscum aduentus.

omnia erant, certatumque à ciuibus, vt omnibus officijs gratam sibi Regis & Polonorum præsentiam ostenderent; frequentes inuitationes, lautiora conuiuia, hortorumque amænitates exhibebantur. Sparsus erat priuatâ quorumdam maleuolentiâ rumor, ac si Rex authoribus Malaspina Nuntio Apostolico & Hieronymo Rozrazeuio Episcopo Vladislauiensi, cuius etiam spirituali iurisdictioni Dantiscum subest, templum Parochiale, remotis inde per vim Lutheranis, Catholicis esset restiturus. Creditum id vulgò, nec ipse Magistratus hoc quoque metu, sed vano vacabat: nam etsi id Rex iure facere potuisset, cùm lite in Iudicio Regio de eo templo motâ, & legitimè decisâ, secundùm Episcopi petitionem iudicatum fuisset; tamen non eo tum animo Dantiscum venerat, vt rem eam maiori vi tentandam & peragendam susciperet: ea nihilominùs opinio & Magistratum Gedanensem attentiorem fecerat, vt in omnem casum, conscriptis etiam in eum vsum aliquot militum cohortibus paratus esset; & populi animos ita exacerbauerat, vt is ad minimum motum arma correpturus videretur. Itaq; cùm die secundâ Septembris, in ponte, ad quem naues religantur, leue iurgium, inter vnum è peditibus Regijs, & nauiculatorem factum esset, ac ille vndique nautis, & cæterâ multitudine, quæ in ponte illo morari solet, ad opprimendum eum confluentibus, rectâ ad palatium in quo Rex diuersabatur recurreret, iisque qui in excubiis erat peditatus opem illi ferret; in ipso penè momento tantus tumultus excitatus est, vt tota ciuitas armata ad forum decurreret: ac inprimis ij milites, quos publico stipendio auctoratos Magistratus habuerat, omnes æquè ad vim cædemque faciendam instructi & parati, aream quæ palatio Regio subiecta erat, occuparent: vtrimque aliquot cæsi in ipso foro, Rege penè inspectante; petitæ sclopetorum globis iaculatorijs eius palatij, in quo Rex diuersabatur, superiores fenestræ: cumque ad sedandum tumultum Stanislaus Krasicki Castellanus Præmisliensis Reginalis aulæ Magister cum potestate Marescalci (nam tum Marescalcis absentibus id munus obibat) progressus esset, parum abfuit quin violaretur. Rex ipse è fenestrâ palatij conspectu suo nihil proficiebat, Senatores Poloni, inter strepitum armorum, frequentesque eiaculationes, ægrè ad palatium Regis penetrare potuerunt: duabus circiter horis tumultuatum est, donec Consules Gedanenses, seriùs quàm par erat, accurrerint: ad eorum conspectum & mandatum primò mercenarius miles signa composuit, tum reliqua multitudo sensim dilabi cœpit. Apparebat Regem & Reginam, omnesque qui cum Rege erant grauissimo perfunctos periculo: & si ante noctem (iam enim sol ad occasum vergebat) is tumultus sedatus non fuisset, cædibus & incendijs, non in Polonos modò, sed in ædes etiam Gedanensium opulentiorum, incondita & prædæ auida multitudo grassata fuisset. Ij ex Polonis maximum adierunt periculum, qui vel extra mænia erant, vel in ponte obambulabant; ex iis nonnulli occisi, & submersi; complures, etsi

Falsus rumor de templo Parochiali Dantiscano, Lutheranis per Regem adimendo.

Inde tumultus.

etſi penè inermes, manu armatâ, cùm aliud effugium non pateret, ſalutem ſibi pepererunt: Magiſtratus Gedanenſis, quò innocentiam ſuam teſtaretur, excubias eius noctis ad arbitrium Senatorum Regni diſpoſuit: inter excubitores & aulici Regij familiareſque Senatorum Poloni fuerunt.

Sequenti die Rex vocato ad ſe Magiſtratu Gedanenſi, eoque grauiter obiurgato, globulos etiam pyxidum, quibus feneſtræ illius palatij petitæ erant, oſtendit: paucíſque exactis diebus, cùm tum demum claſſis Suetica ad oſtium portus appuliſſet, cum omnibus qui eum in Sueciam comitaturi erant, ne quæ inter infenſos ſeditioni occaſio daretur, dilatâ in aliud tempus, ſtudióne an errore ille tumultus excitatus fuerit, inquiſitione, ciuitate exceſſit, & in tuguriis (quæ ſub Laternâ portus Dantiſcani, paucis exceptis, vilia ſunt) octo circiter diebus ſubſtitit, donec oneratis nauibus parata claſſis eſſet. Demum die XVI. Septembris cùm Rex & reliqui omnes naues conſcendiſſent, leui flante vento, leuatis anchoris, in quibus ante portum vniuerſa Regia claſſis ſteterat, vela explicata, ſignumque itineri datum: circumſonantibus magno fragore tormentorum bellicorum exploſionibus, quæ ita ordinata erant, vt naualibus tormentis, ea quæ in arce, ſeu Laternâ portus Dantiſcani exonerabantur, ad numerum reſponderent. Dies ſerena admodùm erat, nobiſque, quibus incomperta adhuc erat maris varietas, lætam & ſecundam nauigationem ſpondentibus, risêre nautæ, ſerenitatem eiuſmodi ingentis mox tempeſtatis ſignum eſſe aſſerentes: ſimul apparebant belluæ marinæ, quæ idem portenderent. Claſſis vniuerſa ſexaginta ferè nauibus maioribus conſtabat, quarum circiter erant quadraginta Sueticæ, quæ non niſi in puppim vrgente vento curſum facere poterant: commodiores reliquæ Hollandicæ, qualis ea quâ Rex vehebatur, & reliqui alij, qui ſecurioris nauigationis causâ ſoluto naulo eiuſmodi naues conduxerant. Claſſi præerat Flamingus Sueciæ Regni Trierarchus, vir Regi ſemper fidus. Is nauium Magiſtris præceperat, vt ſignum quod è puppi nauis Regiæ pendebat, obſeruarent, naueſque omnes ordinem præſcriptum tenerent; ſed id fruſtra fuit: nam poſt occaſum ſolis contrarius ita incubuit ventus, vt quamuis demiſſis velis, tamen retrò claſſem egerit: & cùm nos longiùs promouiſſe arbitraremur, altero die viſis à longè mœnium turribus, ad littora Gedani tædioſâ velificatione nos errare conſpeximus. Poterant Hollandicæ naues, quales eæ erant, quâ Rex & nos vehebamur, ſuperato Helenſi promontorio, vlteriùs prouehi: ſed dum Sueticas naues operiuntur, & ad imperium Præfecti claſſis ſe accommodant, ipſæ quoque hærere coactæ ſunt. Triduo ventis & tempeſtatibus iactata claſſis Regia, demum ad Helam iactis anchoris ſtetit: nos iactatione & maritimâ aurâ vexati, nauſeabundi ocyùs ſcaphis delati terram petebamus; ſeriùs aliquantò Rex quoque & Regina exſcendit. Hela oppidulum eſt iuris Dantiſcani, beneficio Regio ſub certo annuo cenſu

Rex Dantiſco ſoluit.

contrario vento retroagitur Regia claſsis,

& tempeſtate iactatur.

Hela oppidum iuris Dantiſcani.

censu illis attributum, sterile & arenosum solum, piscatio non incommoda: eâ incolæ vitam tolerant; ædificia, vt in plerisque minoribus Poloniæ oppidis, humilia. Per aliquot ibi dies classis secundum ventum expectare coacta: demum cùm is die XXIII. Septembris fauere videretur, euulsis anchoris, laxatæ velis habenæ; cùm ecce longè maior quàm ea quæ soluentem è portu Gedanensi classem vexauerat, exorta tempestas, ita vniuersam classem disiecit, vt diuersi diuersa littora petere coacti fuerint, plurimi supremum vitæ fortunarumque discrimen adierint. Regia nauis itemque ea, quâ Anna Infans Sueciæ, Regis soror vehebatur, duæ prætereà aliæ, quarum altera Tarnouij Vice-Cancellarij Regni, altera ipsiusmet Admiralij erat, cùm bis portũ Elsnabensem (primus is in ipso scopulorum Sueticiq; littoris aditu Stoccholmiam petentibus se offert) ingredi niterentur, bis reiectæ ventis, tandem die XXVII. Septembris sub ortum solis, subsidente vento eumdem portum solæ ex vniuersâ classe feliciter ingressæ sunt. Portus is, vt dixi, inter exesas rupes, altioribus in orbem cinctus scopulis, non arte, sed naturâ tutam vel maximæ classi præbet stationem: Stoccholmia inde, si quis nauibus prouehi velit, distat sexdecem milliaribus, breuius iter terrestre, naues inter scopulos angustosque anfractus traducendæ, vt per obliquos meatus remulco eas agere oporteat. Ferunt consultò obstructis alijs meatibus Sueciæ Reges, ita hoc iter maritimum accommodasse, ne pluribus vijs ad Regiam vrbem Stoccholmiam, hostili classi pateret aditus: & vt paucioribus excubijs custodiri, & obseruari portus possit. In eo portu Rex per aliquot dies, quò reliquæ naues eò conuenirent, substitit; sed maior pars earum ad diuersa adactæ littora, diutiùs commodùm nauigandi tempus expectare coactę fuerunt, pleræque ad portus Danicos delatæ, non modò tutam stationẽ habuerunt, verùm etiam homines nostri, iussu Regis Daniæ benignè excepti tractatique fuerunt; naues etiam quas tempestas conquassauerat refectæ: sed eæ vix altero demum mense, cùm submersæ crederentur, Stoccholmiam appulerunt. In portu Elsnabensi dum Rex cæteram classem præstolatur, venerunt ad eum aliquot Senatores Sueci, commeatusque subuectus; inde lento itinere classis Stoccholmiam versus promota, vt non nisi die X. Octobris ad ipsam vrbem ventum fuerit. In eo loco ad quem Regia nauis appulsura erat, Carolus Dux Regis patruus, cum Senatoribus Suecis aderat, descendentemque è naui Regem veneratus, ad arcem cum toto Regio comitatu deduxit.

Regia nauis Elsnabum appellit, cum paucis alijs, cæteris tempestate disiectis.

portus Elsnabensis qualis;

quantum inde distet Stoccholmia & quali itinere.

naues Polonicæ ad portus Danicos tempestate delatæ, quàm benignè exceptæ.

Reliquum Regis Stoccholmiam iter.

eodem aduentus.

In Poloniâ tum satis quietæ res erant, nisi quod Cosaci excursione in Turcicas ditiones Duce quodam Loboda (tria millia Cosacorum sub signis is habuisse dicebatur) Mense Decembri factâ, Iurgouiam non procul à Baallogrodo sub ipsum nundinarum tempus diripuissent, prædamque non exiguam inde impunè abduxissent: id verò contra fœdus factum, ne Turcæ grauiùs acciperent, & de vltione cogitarent, verendum erat. Loboda is Cæsaris Rudolphi promissis illectus, ad infestandos

Cosaci Nisouiani Iurgouiam Turcicã ciuitatem diripiunt Duce Loboda.

dos Turcarum fines credebatur, Chlopicio quodam Polono Miniſtro, qui vexillum cum inſignijs Imperatoris, literas & pecuniam ad Coſacos detulerat, ac multis prætereà præmiorum promiſſis eos onerauerat, conſilia etiam cum Moſcho contuliſſe ferebatur: captus is quidem fuit Cracouiæ, ſed parum cautè cuſtoditus in Sileſiam poſteà euaſerat. Bellum tum Cęſari cum Turcarum Imperatore erat, ſiue initia futuri belli: quod vt ad Regnum Poloniæ deriuaret, Polonoſque vel inuitos in ſocietatem protraheret, hoc, inconſulto & inſcio Rege, Coſacorum auctoramento, eorumque ex finibus Regni in Turcicas ditiones excurſionibus, efficere Imperator conatus fuit, nullo ſanè ſuo commodo, & magno Reipublicæ Polonæ detrimento: nam commota hæc colluuies & temere ad ſigna euocata, non facilè deinceps cohiberi & in ordinem redigi poteſt. Menſe

1594. *Legatio Cæſarea ad Archiepiſcopum Gneſnenſem Rege abſente.*

Februario anni ſequentis, Cæſarea legatio, nouo quodam exemplo, Rege abſente, ad Archiepiſcopum Gneſnenſem tamquàm Regni Primatem miſſa venit: duo capita eius erant, alterum de prohibendo per fines Regni Tartaris in Hungariam tranſitu: alterum, cùm conſtituiſſet Cæſar Legatos mittere, qui de fœdere ſocietateque belli contra Turcas ſanciendâ, agerent, quærebat quando & quem in locum eos mittere deberet. Literæ & legationis ſumma ad Regem remiſſa in Sueciam, Cæſari autem quid eſſet reſpondendum, res ad conſilium Senatus reiecta, atque eius rei causâ nonnulli Senatores vocati ab Archiepiſcopo Varſauiam ad diem XIX. Aprilis conuenerunt. Ex eorum ſententiâ reſponſum Imperatori datum, de ſocietate nouoque in bellum Turcicum fœdere, nihil in vtramque partem Rege abſente reſponderi, ac ſtatui poſſe, nec locum aut tempus definiri. Tartari ſi fortè per ditiones Regni tranſire voluerint, curaturos eos, quibus hoc negotium à Rege & Republicâ demandatum eſt, ne id fieri permittant: adiectum de Chlopicio, ſolicitatis auctoratiſque Cæſareo ſtipendio Coſacis, & in fines Turcicos immiſſis, oſtenſumque Cæſarem rem minùs conſentaneam pactis fœderibuſque, minùs dignam ſuâ Maieſtate ordiri; nam in alieno Regno exercitu conſcripto, ex eiuſdem finibus rectà ducere in hoſtem, & ſuo arbitrio vetera, quæ Regno Poloniæ cum Ottomanicâ domo iurata intercedunt fœdera rumpere, id verò nihil aliud eſſe, niſi Rempublicam cum tam potenti hoſte committere, vel potiùs ſuum periculum in nos deriuare. Nihil autem indignius Cæſareâ Maieſtate videri, quàm ei hominum generi, quod leuiſſimum eſt, inniti, Coſacorumque colluuie Turcas ab eâ parte quâ potentiſſimi ſunt, expugnari aut labefactari poſſe credere. Vtque Imperatori conſtaret, quantoperè eo Coſacorum Cæſareo auctoramento Ordines Regni permouerentur, pactiſque mutuis id minimè conſentaneum eſſe oſtenderetur, literæ quoque publico nomine ad Cæſarem datæ: quæ cùm ab Archiepiſcopo miſſæ ad Cæſarem eſſent, ille ita reſpondit, vt commotorum auctoratorumque ſuo ſtipendio Coſacorum culpam omnem in Chlopicium reiiceret; ab eo ſibi dictum fuiſſe

Imperator Polonos in ſocietatem belli Turcici inuitare parat.

fuisse Cosacos gentem sui iuris esse, nemini parere, neque intra ditiones Regni Poloniæ eos cōtineri. In eodem Senatorum Varsauiensi cōuentu, Czausius Turcarũ Imperatoris adfuit, Imperatoris literas ad Regẽ, Ierati Bassæ ad Senatores adferẽs; hortabatur ille Regẽ, & Ordines, vt pristinæ amicitiæ quam & ipse, & maiores sui, cum Regibus & Regno Poloniæ coluerunt memores, in eâ constanter perseuerarent, se vicissim idem facturum: bellum in Hungariâ susceptum, & Sinano Bassæ demandatum iturumque eodem cum exercitu Hamum Tartarorum significabat, qui ne à Cosacis, aliisúe impediretur, neúe eo absente eius ditiones infestarentur, postulabat: ea summa erat literarum Imperatoris ad Regem, Ierati ad Senatores. De amicitiâ largè responsum, daturos Regem & Senatum operam, ne in colendâ constanti amicitiâ, seruandisque pactis cuiquam priores partes concedant: de Cosacis vt hominum vago genere, quique legitima detrectent imperia, nihil promissum, nisi limitaneis Præfectis mandatum iri, vt eos à latrocinio, quo nō magis vicinis quàm Regni ditionibus infesti sunt, quantum fieri possit contineant: de Tartarorum quoque in fines Regni excursione, damnisque per eos illatis adiunctâ querela. Czausius ita dimissus. Ad Regem verò ex eodem Cōuentu & Turcicæ literæ missæ, & nomine totius Senatus petitum, vt cùm tot periculis Regnum Poloniæ obnoxium sit, vicinus in Hungariâ paries bello graui & periculoso ardeat, Tartarus Regno immineat, Cosaci tumultuentur, & ad vexillum externi Principis pessimo & seditiosissimo quoque euocato, & externas prouincias infestent, & Regni ditionibus graues sint, Respublica verò Rege & capite suo careat, reditum suum maturare velit. Rex cùm demum Stocholmiam Mense Octobri anni præsentis appulisset, quietas quidem illic res reperit: nemo erat qui primo aspectu, non felicem Regni capessendi successum speraret; cæterùm mox apparuit aliquid aliud in multorum pectoribus hærere, tacitisque cogitationibus agitari, quàm vt Regem, Regisque hæreditarium imperium, Sueci sponte suscepturi essent, principio à Carolo patruo Regis facto. Is viuo etiam Rege Ioanne ægrè tulisse fertur, mite illius imperium, sæpiúsque consilia agitasse, de eo remouendo: verùm Ioannes ad omnes Caroli machinationes intentus, summam Imperij ipse per se obibat; ac populum quidem diuturnitate regnandi, satisque accuratâ administratione iustitiæ sibi deuinctum tenebat, Carolóque authore si qui ex potentioribus, rebus nouis studere vellent, facilè eos in officio retinebat, ita vt ne Carolus quidem, quamuis ad omnes intentus occasiones, se commouere posset: cùm autem animaduerteret, se vitâ functo non quieturos eos, qui se viuo res nouas moliri studebant; magnoperè optauerat, vt dum adhuc in viuis esset, filio pacatam Regni possessionem traderet. Eo animo Reualiam ad se superioribus annis euocatum, secum in Sueciam abducere volebat; sed cùm comperisset, filium, si inconsultis Poloniæ ordinibus Regno exce-

Sub idem tempus Turcarum Imperatoris in Poloniâ nuncius.

Responsum nomine Senatus nuncio Turcico.

Sub aduentũ Regis in Sueciam res pacatæ erant.

Carolus Regis patruus causa difficultatum quæ Regi Sigismundo Sueciæ Regnum adeunti obiectæ fuêre.

Reualia ciuitas in Liuoniâ.

excederet, de eo penitùs amittendo in discrimen venturum, tum quidem ægrè illum ab se dimisit, promittentem simulac res Polonicas constituisset (& iam fama erat Turcarum Imperatorem ad bellum contra Polonos suscipiendum accingi, ac de maiori etiam arte quorumdam apparatu, quàm in re ipsâ erat, spargebatur consultò tunc rumor) volentibus & permittentibus Regni ordinibus se in Sueciam traiecturum. Vt tamen fauorem Sueciæ Procerum Sigismundus Rex sibi conciliaret, obtinuerat à patre Reualiæ, vt Senatores quosdam Suecos, res nouas moliri compertos & conuictos, & idcircò capitali supplicio ob læsam Maiestatem Principis afficiendos, veniâ in gratiam filij reis datâ, dimitteret; denunciante quidem tum patre, malo filij sui eos victuros, negotiumque, si quid sibi humanitùs euenisset, illi grande facessituros. Diuersa horum à Carolo erant studia, nam isti vniuersam Gustauicam stirpem vel à regimine amouere, vel arctioribus regnandi legibus circumscribere volebant: vtraque factio populi studia fauoresque ambibat, hi libertatis ostentatione, Carolus religionis prætextu, nam Regem Catholicum grauem fore iis qui alterius essent religionis, vique & inquisitione Hispanicâ religionem Romanam, eiectis Lutheranis Ministris, propagaturum ostendebat. Erat in oculis & odio omnium Germanicus Malaspina, Episcopus Sancti Seueri, Nuntius Apostolicus, quem homines ij qui nusquam aliàs vel Episcopum, tantò minùs Legatum Româ missum viderant, suspicabantur omnia arbitrio suo acturum: & ille feruidior quàm in Regno Hæretico fortassis conueniebat, palàm præseferre, quid fieri desideraret: sæpiùs ad Regem commeare, consilijs publicis quia præsens non poterat, apud eos Italos, qui Stocchomiæ erant, incautiùs obloqui, quæ illi secreti sermonis impatientes, mox etiam de suo aliquid adijcientes, euulgabant. Accesserunt necessariæ quidem, sed eædẽ acres ac vehementes Regij Concionatoris Ecclesiasticæ conciones, quibus ille præsente Rege, & aulâ Regiâ in maiori arcis sacello, linguâ Germanicâ, quæ ferè omnibus Suecis familiaris est, Hæreticorum dogmata exagitabat: cui è contra quidam Schipperus Minister Lutheranorum primarius Ciuitatis Ecclesiastes, è suggestu Parochialis Ecclesiæ respondebat: eoque res venerat, vt cùm Schipperus modestiæ terminos egrederetur, nominatimque Regium Concionatorem conuiciis proscinderet, suggestu & concionis faciendæ potestate interdictum ei fuerit. Et ne quid deesset ad irritandos populi animos res penè ad iustum tumultum deuenerat ex tali occasione. Mortuus erat quidam Bransuicus Louiciensis ciuis, qui priuati negotij causâ ex Poloniâ ad Regem venerat; eius funus publicè deferri placuit ad Ecclesiam Monasterij, quod quondam Franciscanorum fuit, in Insulâ Ciuitati contiguâ siti: id verò ægrè ferre Sueci, passim fremere, Catholicas Cæremonias palàm exerceri. Et tum quidem res intra fremitum & mussitationem stetit, sed paulò pòst, cùm Musicus quidam Regis, quem vulgariter Souca appellabant,

Stirpis Gustauicæ in Sueciâ Regnũ. principia Suetici odij in Regem Sigismundum.

Nuntij Apostolici incautus feruor.

acres conciones.

quæ occasio tumultus.

labant, cultelli ictu à Sueco noctu traiectus esset, parique & ferè maiori pompâ ad eamdem Ecclesiam deferretur: Minister Lutheranus qui eamdem Ecclesiam curabat, quò Catholicũ Sacerdotem, qui funebrem concionem facturus erat, ad suggestum non admitteret, in eo se incluserat, foresque pulsanti duriùs responderat: quamobrem admotâ securi auulsæ fores, Minister inde eiectus; qui fremens frendensque extra templum egressus vim sibi & Ecclesiæ fieri cùm inclamaret, tanta mox orta est seditio, tantusque populi concursus factus, vt nisi ducenti circiter Regij pedites, qui præsidio curantibus hoc funus aderant, occupato ponte, quo Insula Ecclesiæ illius reliquæ ciuitati iuncta est, primum impetum arcuissent, ac mox etiam Marescalcus Regni Sueciæ ad sedandum tumultum accurrisset, id funus multis funestum fuisset. Harum rerum gnarus Carolus, per suos emissarios vniuersum Regnum vano timore impleuerat, monueratque vt ita ad futuram Regis inaugurationem se pararent, ne inuiti patrijs iuribus libertatibusque spoliari, & quod caput est, ad eiurandam religionem cogi possint. Suaserat Regi Tarnouius Regni Vicecancellarius, ne & paterni funeris curationem, & suam inaugurationem differret: fore enim id, quod posteà euenit, suspicabatur, vt & inter diuersarum nationum diuersorumque non modò morum, linguæ, sed & religionis populos aliquid dissidij oriretur; & ij qui Regem vel non admittere, vel circumscribere nouis legibus volebant, maiorem & Regem inuidiâ onerandi, & eorum quæ destinauerant efficiendorum occasionem haberent, Regique omnia deinceps difficiliora essent: sed id consilium neglectum, & non nisi exacerbatis iam animis, serò admodùm primis Februarij mensis (qui quintus erat à Regio in Sueciam aduentu) diebus, & sepulturæ defuncti Regis, & inaugurationi Regiæ tempus designatum. Quod vt appetiit, ingens numerus (quadringenti censebantur) Ministrorum Stoccholmiam conuenit: deducebant ij Regium funus eo ordine, qui à Catholicis vsurpari solet, cereos funales, sed non accensos manibus ferentes: ita Stoccholmiâ Vpsaliam itum. Hæc vrbs quondam Ecclesiâ Metropolitanâ & Archiepiscopo insignis, primaria totius Sueciæ erat, sed nunc in eâ nihil veteris splendoris, nisi nobilis Basilica, & paulò in editiori loco arx siue Regium palatium, à proximè defuncto Rege Sueciæ, egregiis & splendidis ædificiis auctum, ac prætereà domus Archiepiscopalis visitur; cætera humilia, casæ potiùs quàm domus. Ad curandum Regium funus præter Regem & Reginam, ac Annam infantem Sueciæ Regis sororem, Ioannem ex posteriori defuncti Regis matrimonio, Regis item fratrem, puerum admodùm vix quintum annum agentem, Ducem Carolum cum vxore, aderant defunctorum Regum Gustaui & Ioannis Reginæ vxores, Dux Saxoniæ Regis consobrinus, qui omnes Regij sanguinis Regiæ mensæ assidebant. Conuenerant & Senatores & lecti è populo, penes quos hîc summa potestas: nam & auus Regius Gustauus, cùm pulso Tyranno, ac

Consilium Ioannis Tarnouij, quo secutæ deinceps difficultates, euitari poterant.

Pompa funeris Ioannis Sueciæ Regis.

Vpsalia Sueciæ ciuitas.

In Sueciâ penes populũ summa potestas.

Auus Regis Sigiſmundi Guſtauus Danos & Tyrannum è Sueciâ eiecit.

ac Danis eiectis Regium decus domui ſuæ aſſereret, populari fauore id conſecutus fuit, & qui deinceps poſt eum regnarunt, plus populo, quàm nobilitati & fidere & inniti videbantur. Effecerat ſuis criminationibus Carolus, vt populus omnia ſiniſtra de Rege ſuſpicaretur; tunc quoque Vpſaliæ blandè Miniſtros (ij popularium conſiliorum rectores moderatoreſque erant) appellando, ita ad ſuam voluntatem pellexerat popularem illum ſtatum, vt vni ſoli fidem haberent, ad nutumque eius parati eſſent. Ita ſimulac defuncti Regis corpus tumulo illatum eſt, cùm hoc

nouo exemplo Sueci poſtulant, vt Regi conditiones præſcribantur, quibus Regnū ſuſcipiat.

vnum ſupereſſet, vt Rex Regio diademate inſignitus fide à ſubditis acceptâ, Regni iura ac munia capeſſeret, nouo & in Sueciâ inuſitato more, auctore Carolo obſtiterunt Ordines, ne priùs id fieret, antequàm Rex pactis certis conſtitutis, fidem ſuam ſe illa obſeruaturum Ordinibus Regni obſtrinxiſſet. E contrà oſtendebat Rex nihil nouis pactis opus eſſe, cùm & ſucceſſionis iure Regnum ſibi paternum debeatur, & iam dudū præſcriptum conſtitutumque ſit, quibus finibus Regia in Sueciâ poteſtas contineatur. Nemo tum erat qui Regis conſilia moderaretur, rationeſque eorum proponendorum tractaret, aut fideliter Regi ſuppeditaret: intimi quique è Suecis Regem deſeruerant; nemo erat qui cum Senatoribus vel populo Regis nomine ageret. Aberat & Tarnouius, valetudine impeditus quò minùs cum Rege ſimul Stoccholmiâ Vpſaliam proficiſceretur; is vt intellexit, in eo ſtatu rem eſſe, nondum ſatis curato morbo properè Vpſaliam contendit; eò ſimulac venit, quantum homini externo foris licebat, notos ignotoſque compellādo facilè deprehendit non tam ea quæ à Rege poſtulabantur, quàm ambitionem Caroli rebus Regiis obeſſe: ab eo conſtabat metu & minis deterritos eos qui vel minimam ſignificationem ſuæ erga Regem propenſionis oſtendiſſent, ne Regi præſtò eſſent, ne conſilij copiam facerēt, ſollicitatos Delegatos populi, & in ſuam ſententiam, confictis in Regem criminationibus, pertractos. Igitur Regi auctor fuit, vt ipſe quoque Senatores, quorū plerique vitam, cæteri fortunas ſuas illi debebant, lenibus promiſſis permulceret, & nonnihil de iure Regio, ſe ſubditorum ſuorum causâ deceſſurum oſtenderet: denique eo metu quem Carolus conſultò augebat, quaſi Rex religionis negotium nimis acriter vrſurus eſſet, omnes liberaret; cum Delegatis etiam populi ipſe per ſe ageret, eoſque, vt moris

compellandis Senatoribus Suecis & populo, effecerat Rex res ſuas meliores.

in Sueciâ eſt, ipſe alloqueretur. Quod poſteaquàm factum eſt, iam in meliori ſtatu res Regia eſſe cœperat: ſed Carolus omnem tranſactionem ſuæ cupiditati inimicam ratus, fretus potentiâ clientum ſuorum, cùm neminem ſuis deſtinatis aduerſari auſurum crederet, die, quâ ſumma cōſiliorum explicari, & ea quæ in diſceptationem vocabantur, conciliari debebant, ſtipatus vniuerſis Proceribus, & milite, quem in eum finem ſecum adduxerat, eo animo in arcem venire decreuit, vt non modò de iis, quæ præter fas & æquum eo auctore à Rege poſtulabantur, non decederet, verùm etiam contentione aliquâ factâ vel cædis initium faceret,

vel

vel Regem in ordinem redigeret. Non latuit id Tarnouium. Igitur re cũ Rege communicatâ Albertũ Lascum Palatinum Siradiensem (venerat is nuper ex Liuoniâ priuato nomine & sine vllo comitatu ad Regem) aduocat. Pereundũ, inquit, nobis est omnibus, nisi fraudem virtute præueniamus, Carolus & Regi, & nobis, vel cædem, vel tetrũ carcerem machinatur; paratior est quàm nos, & in suo nido audacior; sed non desunt rationes, vt vel saluâ dignitate, nec inulti moriamur, vel certè nos & Regem nostrum ab omni dedecore summâ cum nostri nominis gloriâ vindicemus. Collatis deinde consilijs placuit, vt in crastinum (dies XXVI. Februarij futura erat) omnes Poloni (vltra quadringẽtos Hungaros pedites qui in arce excubabant) quotquot arma ferre poterant summo mane in arce essent: honoratiores Tarnouium, & interiora Regij palatij obseruarent, reliqui cum peditatu Hungarico in areâ arcis ad nutum Lasci præstò essent, eaq; res quàm secretissimè ageretur, ne vllum signum noui apparatus deprehendi possit. Carolus, vt cõstituerat arcem ingressus, deducentibus eum omnibus Regni Proceribus, cùm omnes qui longo ordine eum precedebant, quiq; latus illius cingebãt patenti portâ admissi essent, milites omnes sclopetarij (ad duo millia erant) qui ponè sequebantur, cũ arcem item ingredi vellent, mandato Lasci exclusi; portaq; clausa, & iusto firmata præsidio, admotis etiam maioribus bellicis tormentis, vt si Caroliani vim intentarent, faciliùs arceri possent. Ignarus earum, quæ à tergo sine vllo tumultu fiebant, rerum Carolus, iam Regium palatium ingressus, primò quidem insolitâ, & in areâ, & in gradibus ac in ipso atrio palatij Polonorum frequentiam animaduertens, aliquantisper hæsit: sed cùm mox nunciatum illi esset, arcis aditu milites suos esse exclusos, portasq; arcis firmo teneri præsidio, tum demum suâ fraude se circumuentum agnoscens, pallere trepidareque, mox Tarnouium interrogat, ecquid rei esset, cur sui exclusi, & ipse armatis septus? An nos, inquit Tarnouius, tua destinata, & quo consilio armatis septus arcem ingredi volueris latere putas? tenentur tuæ fraudes, quibus mox Deo innocentiæ Regiæ vindice tuo capite litabis: simul vnum è præcipuis aggressus, hæc, inquit, vestis ingrate, quâ cæteris honoratior ornatus incedis, Regio beneficio & liberalitate tuum tegit corpus, eo vos Rex & olim vitâ donauit, & posteà beneficiis suis prouexit, vt nunc capiti illius insidias strueretis? Nihil iam ad iustum tumultũ deerat, nisi vt ab vtrimque arma stringerentur; cùm Rex qui consilio Tarnouij in remotius Reginæ cubiculum, sub ingressum Caroli recesserat, consternatione Reginæ, ne orto tumultu aliquid grauius (vterum tunc ferebat) pateretur, motus medium se interponit. Carolo se in potestate Regis esse, & frustra fraudis insimulari asserente, tandem ad mutuum colloquium re deductâ, æquioribus, quàm initio voluerat, conditionibus, & Regnum Regi eadem horâ delatum, & Coronationi dies prima mensis Martij assignata est: fidesque data, ea de quibus tum conuenerat rata vtrimq; fore, sancitâ etiam mutuarum

Consilia Caroli præuenit Tarnouius.

Egregius Tarnouij animus in tuendâ Regiâ dignitate.

Exorto iam tumultu Rex prohibet ne quid grauius committatur in Carolum, qui eo periculo modestior efficitur.

tuarum iniuriarum vel potiùs suspicionum obliuione. Mirum fortassis alicui possit videri, tantum tum Polonos pro Rege ausos, vt in mediâ Sueciâ, & longiùs à portu remoti palàm vim intentarent; sed reputantibus quo in periculo tunc & Rex, & ipsi fuerint, haud incredibile videbitur viros fortes quiduis subire voluisse, quàm vt liberi homines sub arbitrium & potestatem tyranni vltro concederent. Ac nescio, si non meliùs factum fuisset, si tunc Caroli aliorumque proditorum cæde, quæ satis expedita erat, futuris malis & ingẽtibus bellis occursum fuisset. Coronatio quidem Regia, mœstis suspectisque vtrimque animis, ipsis Calendis Martij, Anni Millesimi quingentesimi nonagesimi quarti, Vpsaliæ peracta; nec lætius erat publicum, quod à Rege in palatio exhibebatur eodem die conuiuium: postremò ita inde discessum fuit, vt satis constaret, inter cognati sanguinis Principes, alterius benignitate, alterius ambitione ingentia excreuisse odia, nec quidquam certi de statu illius Regni, sub discessum, qui mox futurus erat, Regis constitutum. Eius rei culpa, non tam Regi, quàm Suecis ipsis imputari debet; ij enim rerum suarum causâ, vt Regem durioribus conditionibus constrictum tenerent, & Caroli ambitionem fouebant, & quasi in partem secessione factâ, nec ope, nec consilio Regi aderant. Religio prætexebatur, cuius tum specioso titulo clandestinæ machinationes tegebantur, quæ res deinceps & statum illius Regni multis calamitatibus afflixit, & iisdem Senatoribus exitium attulit. Neque sanè negauerim, Regis quoque benignum, ne dicam lentum & remissum animum, occasionem præbuisse, & cupiditati Caroli, & Procerum aduersis erga eum studijs: palàm illi tum nobis audientibus dicebant, Regem Ioannem, etsi satis ad omnes casus aduersos instructum paratumque, tamen ita cautè imperio vsum esse, vt quod in prouerbio est, lupum se tenere auribus diceret: filium verò ipsius Sigismundum, adhuc iuuenem, ita freno imperij, Sueciæ Regnum circumagere velle, ac si ea res expedita, & nullius esset negotij, non prehensari ab eo Senatores, non populum blandis alloquijs allici. Sed ille assuetus in Poloniâ, omnia referre ad Senatum, & Magistratuum suorum fidei inniti, perinde in Sueciâ quoque existimabat, se & fide & obsequio subditorum suorum vsurum. Quæ spes quantoperè eum fefellerit, & tum continuò expertus fuit, & tantò magis posteà longo experimento comperit: regni quidem Poloniæ, etsi tot externis vrgeatur periculis, non ita grauem esse administrationem; Suecos mutationibus imperiorum assuetos, facilè ad res nouas impelli posse, nisi seueriori disciplinâ coërceantur. Omnes quidem maritimos populos ad seditionem pronos esse, veteres quoque existimarunt, è contra eos qui mediterraneas regiones obtinent, ciuiliores esse solere.

Coronatio Regia Vpsaliæ in Sueciâ peracta, irritatis vtrimque animis.

cuius rei causa Suecis tribuenda.

Regia benignitas Caroli cupiditati occasionem præbuit.

Diuersus modus regnandi in Poloniâ ac in Sueciâ.

Sueci mutationibus imperiorum assueti.

maritimi populi ad seditionem proni.

Vpsaliâ Stocholmiam Rex reuersus, subductis Carolinarum machinationum rationibus, eiusque expensis consilijs, facilè animaduertit, non Regnum modò, sed se etiam, caputque suum ab illo peti. Itaque suæ secu-

Rex gnarus machinationum Caroli aliquos Poloniæ Proceres ad se euocat.

ſecuritati maturè vt proſpiceret, Ioannem Veicherum tunc aulicum ſuum, nunc Palatinum Culmenſem, rigente adhuc hyeme, necdum ſolutâ glacie, clauſo & nauigationi minimè tunc idoneo mari, terreſtri per Daniam, & per fretum Codanum itinere in Poloniam mittit, datis ſecretis ad eos, quos ſuâ causâ facturos ſciebat omnia, mandatis, quibus explicabat, quo in ſtatu res ſuæ eſſent, quidue ab eis fieri cuperet: id autem erat, vt primo vere cum quanto maximo poſſent comitatu in Sueciam traiicerent. Res hæc adeò ſecretè tractata expeditaque fuit, me vno, quem Tarnouius ſcribendis Regio nomine literis adhibuerat, conſcio, vt non antè Carolus id agi præſentire potuerit, quàm Dantiſco Polonos in Sueciam traiecturos naues conſcendere nunciatum ei fuiſſet. Sed interim in Sueciâ nõ ſine periculo Regiæ res erant; ſæpè vt inter ſuſpectos ad tumultum ſeditionemque res ſpectabat, diſpiciente interim Carolo à longè (neque enim Stocolmiæ præſens erat) & ad omnes intento occaſiones, ſi quæ eiuſmodi ſe offerre poſſent, quibus commodè vti ei liceret: credebanturque ab eo ſubmiſſi & inſtructi, qui initia diſſenſionum inter Polonos & Suecos ſererent alerentque. Aberat tũc Flemmingus cui Rex merito ipſius maximè fidebat; claſſem cui præerat in portus Filandicos iſthic hyematuram ſubduxerat, neque citò, quòd eæ regiones magis frigoribus obnoxiæ, ſerò admodùm tepeſcant, eam explicare poterat. Ex Poloniâ aliquot nobiles viri, famâ tantum Regij periculi moti, cùm vixdum mare nauigationi idoneum eſſet, ſponte, nec à Rege acciti in Sueciam traiecerant: inter quos erat Nicolaus Danielouicius, nunc Supremus Regni Theſaurarius, Felix Kryſki, qui poſteà fuit Supremus Regni Cancellarius, Maximilianus Przerembſki, ab Hieronymo Rozrazeuio Epiſcopo Cuiauienſi, iuſto comitatu inſtructus miſſus, Petrus Choinſki; omnes hi tunc erant Regij aulici. Sed ij ad quos Veicherus fuit miſſus, maioris apparatus in portu Dantiſcano ſpeciem præbuerant: Erneſtus Veicher Capitaneus Pucenſis, pater eius quem in Poloniam miſſum diximus, quingentos pedites Germanos iuſſu Regio armauerat; maiorem comitatum duo fratres Andreas & Ioannes Czarnkouij, qui tum nuper hæreditate Gorcanâ aucti inter maiores Poloniæ Proceres eminebant, ſecum trahebant: Hieronymus quoque Goſtomſki Palatinus Poſnanienſis, generum ſuum Adamum Stadnicium cum trecentis armatis expedierat: Staniſlaus Bykovvſki Caſtellanus Lancicienſis è Siradienſi & Lancicienſi territorijs florentiſſimæ equeſtris iuuentutis lecta robora, plura trecentis aduexerat: Staniſlaus Warſicki tunc Cobrinenſis Capitaneus, deinceps ex Supremo Regni Theſaurario Palatinus Podlachiæ propè ducentos homines armauerat. Omnium, qui Dantiſci naues conſcenderant, numerus ad tria millia accedebat: ij felici & proſperâ nauigatione vſi, ſub finem demum menſis Iunij Stocholmiam appulerunt; mox duce Flemmingo Sueciæ Trierarcho, claſſis quoq; Suetica in eodem portu comparuit. Paulò antè Regina partu leuata, filiolam pepererat

Poloni ad famam Regij periculi in Sueciam tranſmittunt.

pererat, ad quam de ſacro fonte leuandam Rex Carolum inuitabat; ſimulque oſtendebat mutuo congreſſu opus eſſe, & ad abolendas ſuſpiciones & ad conſtituendum ſtatum Regni, maximè cùm res Poloniæ Regem ita reuocarent, vt diutiùs in Sueciâ morari non poſſet. Sed Carolus Regis apparatum, Polonorumque aduentum ſuſpectum habens, & ex conſcientiâ meditatæ perfidiæ ſibi timens, ad Regem venire renuit, leui excuſatione vſus, quòd tunc ſibi Regis conueniendi tempus minùs idoneum videretur. Nata quoque nuper filiola Regis, cui maturato Baptiſmo Catharinæ nomen inditum fuit, non diu ſuperuixit: cuius corpus in Poloniam vectum Regum Baſilicæ Cracouienſis tumulo illatum fuit. Abſente Carolo, Rex de ſummâ rei Sueticæ, cui ea ſub diſceſſum & abſentiam ſuam committenda eſſet, deliberabat: per leges Sueticas teſtamentumque Guſtauianum ad proximum ex agnatis id munus ſpectare dicebatur. Sed Carolus meritò ſuſpectæ fidei erat, quippe iam diu & fratribus non ſatis æquus; qui ad primum, nempe Ericum Regno exuendum validiſſimis conſilijs anteà accurrerat; ad alterum, ſcilicet Ioannem, tamquàm ob nimiam lenitatem demouendum non obſcuris molitionibus contenderat, & hunc ipſum Sigiſmundum nouis & iniquis conditionibus ab hæreditate & poſſeſſione Regni amouere laborauerat, ac mox ambitioſo perfidoque voto fruſtratus, Regem inter primas crudaſque adhuc Regni curas malignè deſeruerat. Præter Carolum ex familiâ Regiâ Ioannes tantùm ſupererat, Sigiſmundi Regis frater, & Anna ſoror, hæc ſexu & fæmineis titulis, ille puerilibus annis tantæ moli impar. Ne tamen infeſtum penitùs Carolum abſenti ſibi, ſed obligatum potiùs deuinctumq; redderet Sigiſmundus, ei gubernandi Regni maximam poteſtatem aſſignauit, conſiliorum tamen ſocium, adiutoremque Senatũ adiungens, quod leges Regni etiam præſenti Regi iniungunt. Sed hoc ab eo qui Regnum mox inuaſurus, & non Sigiſmundũ tantũm, verùm etiam Ioannem, regnandi iure priori ac potiori ex legibus teſtamenti Guſtauiani & conſenſus publici auctoritate inſtructum depulſurus erat, pro iniuriâ acceptum eſt: ſcilicet quòd non ſolus abſque Senatu rerum potiri iuſſus eſſet. Eam ob rem poſteà cauillando relictam ſibi poteſtatem, vti neque honori ſuo, neque Regni rationibus conſentaneam, interdum tamquàm abijciens, populum ſe rogare coëgit, vt reſumeret, ſed excluſis Senatoribus, non modò à conſilijs, ſed paulò pôſt è patriâ, dignitatibus, bonis, alijs etiam vitâ, poſtquàm ſibi vires terrore & ſæuitiâ circumdediſſet. Secundùm Regni adminiſtrationem Carolo commiſſam, primùm Erico Brahe Comiti in Viſnigsborg Gubernationem Arcis Stoccholmenſis commiſit Sigiſmundus, acceptis ſuper eâ priùs literis à Senatu, quia aliàs nullum præcipuum munus Catholicis committere integrum erat. Deinde fratri Erici Guſtauo Brahe priores partes gubernationis datæ ſunt, vt ex literis & ſigillo ipſius, quæ in Cancellariâ ſeruantur, manifeſtè conſtat. Ita rebus Sueticis conſtitutis, cùm Polo-

Carolus à Rege inuitatus venire abnuit.

Filia Regis Catharina in Sueciâ nata, mortua ibidẽ.

Deliberatio Regis cui adminiſtratio rei Sueticæ committenda.

Carolus Regni Sueciæ Gubernator conſtitutus adiunctuſq; ei ſocius conſiliorum Senatus.

Gubernatio Arcis Stocholmenſis Erico Brahe commiſſa, ſed Guſtauo Brahe priores partes datæ.

Polonicæ res celerem Regis reditum postularent, pro die XXV. Iulij omnibus rebus in naues comportatis & compositis, paululum è portu & statione Stoccholmensi classem promouit Rex & lentâ nauigatione, antequàm Elsnabum perueniretur, aliquot dies insumpti. Feruebat tum mare, insolitis sub tempus æstiuum fluctibus iactatum, vt ne in portu quidem ipso, satis tuta classi statio esset, nauesque sæpius colliderentur: iam frequentia fulmina, bis tacta de cælo nauis, quâ Nuncius Apostolicus vehebatur, prodigij loco habebatur: erant qui id magicis præstigijs imputarent, nam id genus maleficij isthic frequens esse dicebatur. Hinc omnes ad preces versi, votaque facta Diuinum Numen placauerunt, & secundo adspirante vento die XIV. Augusti sub occasum solis classis expansis velis è portu educta, & patenti commissa mari felici nauigatione intra quadraginta horas, in portu Gedanensi constitit. Exscensione in littus patrium factâ, læti & alacres nostri, vel pericula quibus perfuncti erant, vel ipsiusmet maritimæ nauigationis, cui minimè assueti erant, victa tædia & molestias inter se referebant, gratulabanturque.

25. Iulij. 1594. Rex è Sueciâ mouet.



DE

DE MOTV CIVILI IN POLONIA

Qui Anno 1606. cœptus ad Annum 1608. perdurauit.

LIBER PRIMVS.

Virum Ecclesiasticum non decet historias scribere exemplo Sydonij Apollinaris.



YDONIVS Apollinaris insignis sui temporis Rhetor & Poëta Auiti Imperatoris Occidētalis (sub quo Romani Imperij, Vrbe ipsâ orbis dominâ à Genserico Vandalo anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quinto captâ, splendor omnis & maiestas concidit) gener, & postmodùm Episcopus Aruerniensis, non pietatis modò, sed doctrinæ etiam gloriâ clarus, rogatus à Leone Euarici Gottorum Regis (qui Tolosæ in Galliâ sedem regni fixerat) Cancellario, viro item docto, vt temporum suorum historiam scriberet, respondisse fertur; id sibi sacerdotij munere fungenti minimè conuenire. Videbat enim vir magni iudicij, si res paulò antè gestas viuentibus ijs, quorum mentio facienda erat, describendas suscepisset, multorum vel inuidiam, vel odium se incursurum, eodemque ordinem sacrum, cui adscriptus erat, oneraturum: nempe aliena vitia exprobrare existimantur ij, qui vera narrant, & in scribendâ historiâ ab hoc tramite discedere nolunt. Liceret & mihi domesticum motum qui proximis his annis accidit, & quo Patria nostra internis agitata seditionibus ad exitium penè deducta est, explicare & literis consignare volenti, hâc eadem excusatione vti, si non ijs parere cogerer, quibus iubentibus refragari, aut quidquam negare non possum. Video equidem fore multos qui hoc ipsum institutum meum, redigendi in Commentarios ea quæ proximè apud nos acciderunt, iustâ reprehensione dignum existiment: quòd motum ciuilem nondum expiatis cruoribus describere aggrediar. Et sanè vel ipse facilè perspicio me satis periculosum munus suscipere, & incessurum per ignes suppositos cineri doloso: nam in tam recenti hominum memoriâ, & nondum compositis odiis, quibus in mutuam perniciem Proceres nostri exarserunt: ijsque quibus vel laus constantis erga patriam studij, & optimæ voluntatis tribuenda, vel seditionis nota inurenda est, adhuc superstitibus, plena res inuidiæ, aut illorum virtutes, aut horum vitia citra adulationis, aut maleuolentiæ suspicionem commemorare. Sed mihi hoc animo reuoluenti, sucurrebat interdum fore nonnullos quibus non ingratus futurus sit qualiscumque labor noster; Patriæ amore,

cur tamen auctor secus faciat.

Hor. Od. 1. lib. 2.

Ibidem.

Rem quidem ancipitem aggreditur,

cæterùm multis futuram gratam & publicè olim vtilem.

amore, & eâ animi intentione susceptus, ne res in oculis nostris gestæ temporum iniuriâ intercidant, & ne cæteris, qui nobis fato functis recto iudicio nostra æstimaturi sunt, desit notitia temporum, quibus nos viximus: quam nos simplici narratione tradere, quantum in nobis erit, conabimur. Non deerunt, vt spero, vel hâc ipsâ ætate nostrâ aliorum præclari conatus, qui maiore ingenij acumine, rebus æternâ memoriâ dignis commemorandis, industriam suam Patriæ & posteritati comprobent: quorum ego laudi fauere me profiteor, modò ne ij nostrum quoque studium aspernari velint.

Hæc præfatus orditur narrationem belli ciuilis 1604.

Agebatur annus â Christo nato supra millesimum sexcentesimus quartus, Imperij Sigismundi eius nominis Tertij Regis Poloniæ & Sueciæ, decimus septimus, res in Poloniâ domi satis erant pacatæ, nec ab exteris hostibus maius aliquod periculum imminere videbatur, cùm biennio antè, compressa esset virtute Ioannis Zamoscij Supremi Regni Cancellarij, ac exercituum generalis Præfecti, viri ad salutem Patriæ tutandam nati, audacia Caroli Sudermani: qui Patruus Sigismundi Regis, non contentus quòd paternum eius Sueciæ regnum, fraude interuertisset, Liuoniam insuper Reipublicæ Polonæ patrimonium inuaserat: excubias in eadẽ Liuoniâ contra furtiuos Caroli conatus agente, Ioanne Carolo Chodkieuicio, viro militiæ gnaro, & ob multas res bellicas præclarè gestas, exteris etiam Principibus non ignoto. Moschouia grande rerum Aquilonarium momentum, nouis, iisque domesticis agitari incipiebat tempestatibus, fatales mox eius imperij occasus parituris. Valachia & Moldauia, quibus Sarmatia nostra, â Turcarum imperio tamquàm quibusdam parietibus secernitur, ex mente & nutu Ioannis Zamoscij, permittentibus Turcis, regebantur. In Hungariâ, cuius potior pars armis Turcicis premebatur, ij qui Rudolpho Imperatori parebant, Duce Stephano Bockaio, nouas res moliri videbantur. Turcarum Imperator, cui veteri instituto mos est pacem vicinorum, & fœdera suis commodis metiri, alijs interim bellis occupatus erat. Tartaris, ne furtiuis excursionibus fines Regni carperent, vel ipsum Ioannis Zamoscij nomen terrori fuit. Hoc rerum statu atque eodem anno, Sigismundus Tertius Poloniæ & Sueciæ Rex, posteaquàm ab obitu Annę Austriacæ, Caroli Archiducis & Mariæ Bauaricæ filiæ, viduus, septennio cælibem vitam duxisset; animum ad ducendam alteram vxorem, nouumque ineundum matrimonium appulit. Res ea more institutoque maiorum nostrorum, nonnisi consulto & consentiente Senatu, vel suscipi, vel tractari potuit: non solùm quòd de eo antiquissimis legibus cautum esset, verùm etiam vsu & consuetudine â multis sæculis firmatum, vt Regia connubia, cùm â Regis arbitrio, tum ab ordinum Regni consensu dependeant. Neque sanè tum in Poloniâ vllus erat, qui nouo matrimonio orbitati domus Regiæ, quæ vnico tantùm filio superstite Vladislao decem annos nato nitebatur, subueniendum non censeret: sed quænam illa esset,

Et inprimis quis in Poloniâ & in vicinis aliorum ditionibus rerum status.

Quis in Liuoniâ.

Quis in Moschouiâ.

Quis in Valachiâ & Moldauiâ.

Quis in Hungariâ.

Quis in Turciâ.

Quæ pax cum Tartaris.

Sigismundi Regis mens de ineundo matrimonio.

Quid seruari solitum in contrahendo Regum Poloniæ matrimonio.

Quæ ducenda Regi coniux, ambigitur.

esset, quæ vt in consortium regni asciscenda, & Regi placeret, & desiderijs Ordinum Regni responderet, ambigebatur: maximè posteaquàm is rumor eaque fama percrebuisset, Sigismundum Regem ad Constantiam prioris vxoris sororem germanam animum adiecisse. Venerat in Poloniam quinque abhinc annis, ad cohonestandas Annæ filiæ suæ & Regis prioris vxoris (cuius funus altero à morte anno solemni pompâ Cracouiæ curabatur) exequias, Maria Caroli, vt dictum est, Archiducis Austriæ vidua, prudens, & non solùm præsentium occasionum, verùm etiam futurorum euentuum, sagax Princeps: hæc cùm propè vnũ mensem Niepolomicijs filiali obsequio à Sigismundo Rege coleretur, & de eius, ac multò magis Vladislai nepotis sui statu sollicita esset, iterandi matrimonij mentione factâ, facilè Sigismundo, in cuius pectore erga defunctam vxorem amor, & heroicarum virtutum eius recordatio, altiores radices fixerat, persuasit; vt suam alteram filiam Constantiam, eo tempore nondum nubilem se vxorem ducturum, secretâ pollicitatione sponderet. Et hæc quidem pacta ad finem anni Millesimi quingentesimi nonagesimi noni, quo item tempore funus defunctæ Reginæ Cracouiæ curatum fuit, constituta fuisse, ipsi inprimis Archiducissæ comites, qui complures non obscuri nominis in aulâ eius erant, vulgauerunt, & Nicolaus Zebrzydowski supremus eo tempore Regni Marescalcus, pro munere officij sui quid Rex cum Archiducissâ socru suâ priuatis sermonibus tractaret, ex ipsismet Germanis cognouerat. Quasi tamen nihil Niepolomiciis actum esset, ita inde Archiducissa mater, deducente eam Rege Sigismundo genero ad fines vsque Silesiæ, discesserat, vt diu hæsitarint ij, qui Regem hâc suspicione onerare voluerant, vtrùm hanc rem alicui ex Senatu communicarit: falsòque deinceps vulgatum fuerit, quasi Ioannes Tarnouius Episcopus Posnaniensis, & posteà Archiepiscopus Gnesnensis huius consilij vel particeps esset, vel auctor: neque quidquam deinceps de hoc matrimonio publicè actum, donec Constantia, quæ eo tempore decimum annum attingebat, adolesceret, aptaque matrimonio esset. Anno denique Millesimo sexcentesimo quarto cùm Rex secretioribus Internuntijs, Senatores primarios certiores fecisset, de suâ ad ineundum nouum matrimonium propensione; adiecissetque Clementem Octauum Pontificem Maximum genti Polonæ addictissimum, à se minimè eo nomine appellatum, epistolâ manu suâ scriptâ sibi suadere, ne de vllâ aliâ coniuge, nisi Constantiâ, vxoris prioris sorore cogitaret: se eum nexu Legum sacrarum, quibus tale coniugium vetatur, Apostolicâ potestate soluturum. Sed ne quis suspicari posset, quò animus regius propenderet, addidit Rex, se hâc de re nihil constituere velle, nisi ex Senatus sententiâ, & præter Constantiam Caroli Archiducis filiam, Annã quoque Austriacam Ferdinandi Archiducis Tirolensis filiam, si consensus Imperatoris Rudolphi, supremi eius tutoris accesserit, non grauatè ducturum: seque in hoc matrimonio nihil aliud, nisi

Sigismundus Constantiam Archiducissam Austriæ prioris vxoris sororem ducere in vxorem cogitat.

De quo multò antè cum Mariâ Archiducissâ matre egerat.

Rex per nuntios, Senatorũ de nouo matrimonio suo sensum priuatim exquirit.

Clemẽs VIII. Pontifex Maximus matrimoniũ Regi cum Constantiâ suadet.

nisi salutem Reipublicæ,& prolis regiæ incrementum spectare ostendit. Hæc tum Rex ad Senatores: neque tamen latere diu potuit, quò animus eius propenderet; cùm ijs, quibus maximè fidebat, non obscuram daret significationem, sibi Constantiam cæteris reliquis magis cordi esse. Inter alios qui Regiæ voluntati obsistere conabantur, fuit Ioannes Tarnouius Archiepiscopus Gnesnensis, vir magni nominis,& eo tempore senatus Princeps: fuit is anteà Regni Vicecancellarius, mox Episcopus Posnaniensis, deinceps verò Vladislauiensis,& proximè præterito anno Stanislao Carncouio Archiepiscopo Gnesnensi, viro, si sanctitatē vitæ, si eruditionis præstantiam, si animi magnitudinē spectes, priscis illis Apostolicis Patribus, qui Ecclesiam suis humeris sustentarunt, pari, successor à Rege datus; quem Rex omnino crediderat suis destinatis nō aduersaturum. Et certè ea fama percrebuerat, Tarnouium recenti Regis beneficio auctū, si modò Rex id posceret, non solùm ipsius desiderio se accommodaturum; verùm etiam ad deducendam sponsam profecturum: sed nos vidimus literas ad Regem manu Tarnouij scriptas, quarum hæc erat summa; vt cū plurimis verbis Regi hoc cum prioris vxoris sorore matrimonium dissuadere conatus esset ad extremum adijceret, Regē, si in hoc matrimoniali consilio, suo arbitrio vti vellet, vel sibi ipsi discrimen, vel regno Poloniæ exitium allaturum. Et Tarnouius quidem intra paucos adepti Archiepiscopatus menses, supremo grauatus morbo, magno omnium dolore, quinquagesimo quarto ætatis suę anno, ex hac vitâ Louicij Mense Octobri decessit: virum magnum se in omnibus Reipublicæ functionibus prę stiterat: iudicio & beneficio Stephani Regis, Referendariatum Regni iuuenis admodùm adeptus erat: eoque per vndecem annos summâ cum laude gesto, in petitione Vicecācellariatus Petro Tilicio tū Regni magno Secretario, gratiâ Regis Sigismundi prælatus; in hoc quoque Magistratu, quem septennio gessit, quantùm ingenio & virtute animiq; magnitudine præstaret, vniuersæ Poloniæ testatum fecit. Vt primùm cunctis innotuit, Regem omnes suos conatus eò flectere, vt prioris suæ consortis sororis matrimonio potiretur; variè ea res affecit animos hominum, vulgò reputantibus, quasi improsperæ eæ futuræ essent nuptiæ: nec in Summi Pontificis potestate esse, vt in tam arcto affinitatis gradu laxaret Diuini interdicti mandatum. Et quanquàm Clemens Octauus Pontifex Maximus, eo nomine minimè à Rege appellatus, vltro id Regi suaderet, minimè tamen dubium erat ab Archiduce socru Regiâ, eum hoc nomine solicitatum fuisse. Sed inter omnes qui ne eiusmodi matrimonium iniretur, contenderunt, præcipuus fuit Ioannes Zamoscius Regni Magnus Cancellarius, & Supremus Exercituum Præfectus, cuius eâ tempestate ob eximiam prudentiæ, multo vsu rerum quæsitæ, & eruditionis laudem,& ob præclara in Patriam, & ipsummet Sigismundum merita, ea fuit auctoritas, tantumque populi vniuersi erga eum studium, vt omnes eius sententiæ assensuri viderentur,

Quis fuerit Tarnouius.

Quantus vir Carncouius.

Tarnouius Archiepiscopus Gnesnensis dissuadet Regi cum Constantiâ matrimonium;

Qui paulò post moritur.

Quis populi de Regis matrimonio sensus.

Dissuadet hoc idem matrimonium Regi Zamoscius.

eius in Poloniâ auctoritas.

& merita. derentur. Illius certè curâ & ſolicitudine eo interregno, quod mortem Stephani Regis ſubſecutum eſt, res Polona ſtetit; effectumque ne Regẽ, niſi liberis ſuffragijs à nobis lectum haberemus: victo acie & capto ad Bycynam Maximiliano Archiduce Auſtriæ, qui paucorum factione, & Cæſareis opibus, per vim ad Regnum adipiſcendum aſpirauerat. Itaque ille non clàm vt alij, ſed apertè Regi profeſſus eſt, ſe eiuſmodi nuptias probare non poſſe; ad ipſumque Summum Pontificem Clementem Octauum militari & acriori ſtylo, ſcriptas dedit publicè literas; quibus eum vehementiùs obſecrabat, ne eiuſmodi matrimonium à Regiâ dignitate, & pietate alienum, & Regno Poloniæ diſcrimen ſummum allaturum, Apoſtolicâ auctoritate ratum haberet. Indicta erant à Rege, ad diem vigeſimam Ianuarij Anni Milleſimi ſexcenteſimi quinti Varſauiæ celebranda Comitia, quæ priuſquàm inchoarentur, cùm pro more inſtitutoque Patriæ, conuentus Palatinatuum Prouinciales, in quibus Rex per Nuncios ſuos, quid in futuris Comitijs tractandum ſit, proponere nobilitati ſolet, agerentur: nobilitas cæteris omnibus omiſſis, eò potiſſimùm incubuit, idque vt in Comitijs Nuncij à ſe ablegandi, vrgerent, poſtulauit: ne Rex nouis, ſi altera prioris coniugis ſoror ducenda eſſet, nuptijs ſe inuolueret, Remque publicam in diſcrimen adduceret. Ac vt nouarum difficultatum obiectu Regem à propoſito dimouerent, mãdarunt Nuncijs ſuis, poſtularent à Rege, vt conditiones quibus ei regnum delatum, adimpleret. Haud dubio tales conſiliorum fontes, ex mente Cancellarij ortum & principium habuerunt, & ille nequaquàm eius inuidiæ immunis eſſe volebat, palamq; teſtabatur, ſalutem publicam gratiâ Regiâ ſibi potiorem eſſe. Cumque Tarnouius Archiepiſcopus Gneſnenſis, quem plerique Regijs deſtinatis fauere crediderant, quarto ante Comitia menſe extinctus eſſet; omnis nouarum nuptiarum inuidia, in Sigiſmundum Myſcouium Supremũ Regni Mareſcalcum, nuper titulis Marchionalibus, beneficio externorum Principum auctum, incubuit: in eumque potiſſimùm cùm Cancellarij ipſius, tum eorum qui eius partes ſectabantur, hoc eſt totius ferè nobilitatis, odium ferebatur: & ſi Comitijs interfuiſſet, non procul ab acriori contentione res futura videbatur: ſed ille interim morbo preſſus, quidquid id futurum erat periculi, feliciter euaſit. Comitiorum quidem is fuit ſucceſſus, quem perturbato Reipublicæ ſtatu fieri neceſſe eſt; certabatur non tantùm ſententijs, ſed & mutuis conuitiis; parumque aberat, quin ad maiorem acrioremque ſententiam, inter vtrimque armatos res deueniret: niſi Zamoſcius, popularium ſtudiorum prudens moderator, ad pacatiora conſilia animos hominum flexiſſet, continuiſſetque. Itaque cùm nec Rex quidquam eorum quæ ab eo poſtulabantur, equeſtri ordini indulgere vellet, & Nuncij terrarum id quod illis demandatum erat, acriùs vrgerent: ad extremũ re infectâ ſoluta ſunt Comitia, in quibus Petro Tylicio Epiſcopo Vladiſlauienſi, ſigillum Regni minus deponente, munus Vice-cancellarij Zamoſcio

eius ad Summum Pontificem epiſtola.

Comitia indicta pro 20. Ianuar. 1605.

Ioan Tarnouius Archiepiſcopus Gneſnenſis moritur.

Huius matrimonij inuidia in Sigiſmundum Myſcouium Regni Mareſcalcũ, quaſi eius auctorem incumbit.

Comitiorum ſucceſſus.

Comitiorum irritus euētus.

moſcio modicè repugnante, ad Matthiam de Buzenin Pſtroconium, Epiſcopum Præmiſlienſem, virum pium & eruditum, Regio fauore delatum eſt. Zamoſcius quidem, vt erat illius mos, ſtatim finitis Comitijs Varſauiâ diſceſſit; quem iuſſu Pſtroconij Matthias Lubienius frater meus conſecutus, benigneque ab eo exceptus, non ſolùm hoc ab illo obtinuit, vt diploma Regium, quo Pſtroconio munus Vice-Cancellarij demandabatur, ſigillo Regni maiori ſignaret; verùm etiam per eundem ea mandata ad Pſtroconium daret, quibus ſe non inimico erga illum eſſe animo oſtendebat: petebat autem, vt Pſtroconius conſilia, quibus ſalus Reipublicæ continetur, ſecum communicaret; ſibi certè in animo eſſe, vt quoad viueret, Regis Sigiſmundi imperium conſeruaturus eſſet: ſuaderet viciſſim Pſtroconius Regi, vt ille deſiderijs equeſtris ordinis pactiſque conuentis ſatisfaceret; vel ab eo nexu, quo Reipublicæ obſtrictus eſt, ſe liberari, & exſolui in publico conuentu peteret. Cæterùm Rex, vt diximus, ſolutis Comitijs, maiori parte Senatus retentâ, ſecretum conſilium habuit, atque in eo cùm alia, tum potiſſimùm matrimonij ſui negotium Senatorum ſententijs pertractandum propoſuit: in eam ferè ſententiam Vice-Cãcellario Regni Matthia Pſtroconio, nomine Regis, verba faciente: Intellexiſſe Sacrã Regiã Maieſtatem, Dominũ noſtrũ Clementiſſimũ, ex literis Dominorũ Senatorum, ante Comitia hæc ſcriptis, eam ferè eſſe omnium ſententiam, vt cùm tot annos à morte prioris conſortis ſuæ viduus viueret, ad iterandum matrimonium animum adiiceret: proinde Regiam Maieſtatem ſemper à conſilijs Senatus ſui dependere ſolitam, pro more inſtitutoque Patriæ, huc flexiſſe mentem ſuam, vt ex inclytâ & Auguſtâ Auſtriacâ familiâ ducendam vxorem deſtinaret: egiſſe iam Regem & per literas, & per Internuncios priuatos cum Cæſareâ Maieſtate, vti domus Auſtriacæ ſupremo tutore, poſtulaſſeque ab eo vt Sereniſſimam Principem Annam Ferdinandi Archiducis Auſtriæ filiam, Comitatus Tirolenſis hæredem, vxorem ſe ducere permitteret; ſed Cæſarem eas ferre conditiones, quæ & Regni, & Regis dignitati minimè ſunt conſentaneæ; eundem tamen Cæſarem ſuadere, vt Regia Maieſtas, Conſtantiam Archiducis Caroli filiam, prioris vxoris ſuæ ſororem germanam, dari ſibi depoſceret: facilè ſuo, totiuſque familiæ Auſtriacæ conſenſu, eam habiturum. Idem Regiæ Maieſtati à Clemente Octauo Pontifice Maximo, Regem Sacrarum legum (quæ tale matrimonium vetant) nexu Apoſtolicâ auctoritate ſoluente, impensè ſuaderi: dicerent itaque Senatores ſentẽtias ſuas, & quid facto opus eſſet, explicarent. Nemo tum erat in Senatu, qui apertè Conſtantiam ducendam ſuaderet: omnes ſolenni legatione Cæſarem compellandum eſſe, vt æquis conditionibus Annam Ferdinandi filiam Regij thalami & Regni conſortem iungendam concederet. Pupugit non mediocriter Senatorum conſenſus Regem, iam dudum conſilij ſui certum, & fide datâ ſocrui obſtrictum: quamobrem accerſito ad ſe Cardinali Macieiouio Epiſcopo

Matthias Pſtroconius Regni Vice-cancellarius renunciatus.

Zamoſcij erga Pſtroconium animus.

In ſecreto conſilio de Regis matrimonio tractatur.

Sermo habitus à Cancellario ad Senatores nomine Regis.

Senſus totius Senatus de Regis matrimonio.

Cracouienſi, & deſignato Archiepiſcopo Gneſnenſi, modicè de eo conqueſtus, quòd in ſuâ ſententiâ Conſtantiæ mentionem non feciſſet, id ab eo obtinuit, vt veluti repetitâ ſententiâ, publicè protulerit, non abſonum fore, ſi fortè Cæſar obſtinatiùs negaret Annam Ferdinandi filiam, Rex, cõſulto priùs per literas Senatu, eâ cõditione, quæ illi à Cæſare offerebatur, quamque Summus Pontifex acceptandam ſuaderet, vteretur. Iam non ampliùs cæteri Senatores, qui huic ſuaſioni contradicturi videbantur, rogati erant, vt ſententias dicerent, ſed Rex ſoluto Senatorum conuentu ad ſua ſe recepit, & celeriter Cracouiam verſus profectionem inſtituit, vt inde & ad Cæſarem nouam legationem mitteret, & ea quæ ad apparatum futurarum nuptiarum pertinebant, paranda curaret.

Macieiouius Cardinalis ſententiam de eodem repetit.

Libet hîc paucis à propoſito digredi, & miram Moſchouitici Imperij conuerſionem commemorare, quæ obſcuris & paruis initijs orta talem poſtremò exitum ſortita eſt, vt vniuerſum penè orbem dederit in ſtuporē. Ioannes Baſilij Magnus Moſchouiæ Princeps, quem Rex Stephanus proſpero belli ſucceſſu poſſeſſione Liuoniæ deiecerat, duos reliquit filios, Theodorum qui Patri in imperio ſucceſſit, & Demetrium impuberem: ſed Theodorus mitis ingenij, & parum ad regendum tantum Imperium aptus, Boriſſio Hoduno obſcuræ ſortis homini, cuius ſororem (cùm à Principibus Moſchouiæ non ex dignitatis, ſed ex formæ commendatione vxores, quoties libuerit, aſſumantur) in matrimonio habebat, præbuit occaſionem affectandi imperij. Ad quam rem obtinendam cùm viuente Demetrio, cui proxima à fratre ſucceſſio debebatur, præcluſum ſibi aditum videret, primùm curante ſorore (quæ maritum vxoris imperio ſibi obnoxium fecerat) ſupremum Magiſtratum, quem Stabuli Præfectum Moſchi appellant, beneficio Principis adipiſcitur; deinde ſummâ rei in ſuam poteſtatem redactâ, necem Demetrio molitur, puerumque, qui in contubernio coætaneorum ſuorum Volecij educabatur, per conſcios ſui ſceleris miniſtros, clàm occiſum, ſibi ipſi manus intuliſſe ementitur: poſtremò omnibus, qui ad ſpem ſucceſſionis vocabantur, oppreſſis, vel vltro metu concedentibus, mortuo Theodoro, Imperio, cuius dudum adminiſtrationem ſibi vſurpauerat, potitur. Fruebatur ſatis pacatè compluribus annis, per ſummum ſcelus parto Regno Boriſſius, & non modò cum alijs vicinis Principibus, verùm etiam cum Polonis, quibus cum Moſchis perpetuum ſemper fuit diſſidium, pace ſtabilitâ, rebus ſuis in futurum etiam ſatis proſpexiſſe putabatur, cùm vindex ſcelerum Deus, non vltrà impij facinoris prædâ nefarium alieni inuaſorem imperij potiri volens, pœnas dudum debitas ab eo exegit. Gregorius Ottrepouicius (ſi Moſchis credimus) obſcuræ originis, primū Græci ritus monachus, dein religionis ac fidei deſertor, ætate & formâ Demetrio, quem ab Hoduno occiſum diximus, haud abſimilis, è Moſchouiâ pœnarum metu profugus, & aliquanto tempore religionis ſpecie per Monaſteria Volyniæ & Kijouiæ, quà Regni Poloniæ prouinciæ ſunt,

Mira mutatio imperij Moſchouitici.

Boriſſius Hodunus Demetrio vero hæredi imperij Moſchouitici necem infert.

quibus artibus ſummam rei adeptus.

Falſus Demetrius primò in Voliniâ, pòſt in Poloniâ ſe oſtendit.

ſunt, vagatus, poſtremò diu meditati doli artem promit: ſe Demetrij Ioannis Moſchouiæ Principis eſſe filium, è cæde, quam ſibi Hodunus machinatus erat, callido quodam pædagogi conſilio ereptum. Hominibus non multùm rerum Moſchouiticarum peritis, non abſimilia vero dicere videbatur: & erat facies liberalis, rerum & antiquitatis notitia maior, quàm homini barbaro conueniret; ſermo promptus & expeditus, ac ad conciliandam fidem accommodata oratio. Sed inprimis Dux Viſniauecius, in cuius hæreditariâ ditione hanc fabulam proximè priori anno exorſus eſt, vocatum ad ſe, & diligentiùs, quis eſſet, interrogatum; cùm non ambigua referre exiſtimaret, honeſtiori cultu exornat, ac bono animo eſſe iubet; dein re cum Palatino Sendomirienſi Georgio Mniſzek ſocero ſuo communicatâ, vterque de communi conſilio Regem certiorem faciunt, verum Moſchouiæ hæredem repertum eſſe. Acciri quicumque ille eſſet in aulam placuit.

Is ad Regem accerſitur.

Ille fortunæ quàm petebat parem animum ferens, vultu non degeneri, ſermone promptus, vbi alloquendi Regis facta poteſtàs,

eius indoles.

nefaria Hoduni machinatione cædi ſe quondam deſtinatum, diuinitus impias manus euaſiſſe ait; dein profugum diu hinc inde latitaſſe;

ad Regem oratio.

poſteaquàm ad maturiorem ætatem perueniſſet, haud immemorem quâ ſtirpe ortus ſit, de repetendo Patrio Principatu cogitationem ſuſcepiſſe, non ambitione, ſed ne ſceleris præmium penes alieni Regni inuaſorem maneat; id tacitis Procerum Moſchouiæ votis flagitari, ex ijs habere ſe multos, cùm ſuæ ſalutis, tum præſentis conſilij conſcios: omnes vbi incolumem Principum ſuorum veram ſobolem conſpexerint, relicto Tyranno ad ſe tranſituros: cœpto tantùm & modico aliquo præſidio, vt tutò in Moſchouiæ finibus cõſiſtere liceat, opus eſſe, orare Regem, vt communis Principum ſortis memor, opẽ ſibi ferre velit. Multa prætereà antiquitatis exempla adfert, Regum & Principum, qui ad ſimilem, in quâ ad præſens ille eſſet, fortunam redacti, non modò Paterna Imperia feliciter recuperarunt, verùm etiam rebus præclarè geſtis, clari & illuſtres fuêre. Cyrum & Romulum paſtorum quondam alumnos, ſed Regiâ ſtirpe genitos magna imperia condidiſſe. Hæc & alia memorans, omnium in ſe oculos conuerterat: fauor etiam Regis, & commiſeratio ſequebatur. Sed ne bello parum neceſſario implicaretur, liberaliter donatum, & meliora ſperare iuſſum, ſine certo reſponſo dimiſit; non refragaturus, ſi quis priuatis opibus auxilium ferret. Eo tacito Regis conſenſu obtento, Georgius Mniſzek quò tanti imperij futurum Principem, non beneficio ſolùm, verùm etiam neceſſitudine ſibi deuinciret; pacto eum ducendæ in matrimonium filiæ ſuæ Marinæ, poſteaquàm rerum potitus fuerit, obſtringit; deinde ſuâ, amicorum & clientum ſuorum operâ, quàm maximam poteſt manum militarem contrahit; tum non diu moratus, mirantibus cunctis, quòd homo eius ætatis, quâ quondam Parthicum bellum Craſſum ſuſcepiſſe auctores prodidêre, opus tantæ molis, non modò ſine iuſto exercitu, verùm etiam

Incerto cum reſponſo à Rege dimiſſus. Rex dißimulaturus erat, ſi qui priuatim illum iuuarent. Hinc Georgius Mniſzek Palatinus Sendomirienſis ei opem fert, & cum exercitu in Moſchouiam ducit.

per ſe artis militaris rudis, aggrederetur, verſus Moſchouiæ fines procedit. In itinere ad famam noui motus complures congregantur, ſed plerumque leuioris armaturæ milites: ſcriptæ nomine Demetrij ad Proceres Moſchouiæ literæ, quibus ſignificabatur, venire eum recuperandi Paterni Imperij, & abolendæ Tyrannidis, atque gentis Moſchouiticæ in libertatem aſſerendæ cauſâ. Hoc ſpecioſo titulo præmiſſo, fines qui Polonorum & Moſchorum ditiones diuidunt, cum Palatino Sendomirienſi tranſgreſſus, non ita, vt rebatur, prompta illius gentis erga ſe ſtudia reperit; vt tamen primis cœptis aliquam ſuo nomini famam conciliaret, aliquot oppida temerè munita intercepit, quædam ſpontaneâ deditione vltro ſe illius poteſtati permiſere. Intereà Hodunus inſolito tumultu excitus, etſi non ignorabat transfugam exiguis niti viribus; tamen cùm ad fictum vetuſtæ Principum Moſchouiæ ſtirpis nomen, vulgi aures patere intelligeret, ſe populo inuiſum, ſi bellum inſtaret, vel ſi Poloni maiore vi incumberent, magno periculo obnoxium fore, non cunctandum ratus, celeriter parat exercitum, eique, dubiâ & incertâ aliorum fide, fratrem ſuum Ioannem Iuanouicium ſummâ cum poteſtate præficit; mittit prætereà in Poloniam Nuntios, qui Regem & Proceres icti fœderis admonerent, ac illius qui ficto Demetrij nomine ſe pro hærede Moſchouiæ gereret, genus ac originem edocerent. Reſponſum Nuntijs, Regem fœderis memorem, afflicto quamuis & opem imploranti auxilium ferre noluiſſe; cæterùm in tantâ Nobilitatis Polonæ libertate, prohiberi non potuiſſe, ne aliqui priuatim illi ſtuderent: ſi qui tamen modum eâ in re exceſſerint, aut aliquid contra pacta admiſerint, daturos ex formulâ fœderis pœnas. Demetrius intereà ad famam venientis contra ſe exercitus, quamuis tantis impar viribus (nam & illi qui paulò antè ſponte ſe ei aggregauerant, ſiue inſtantis periculi metu, ſiue quòd ſtipendia non ſoluerentur, quotidie dilabebantur; nec cæteri qui maiori neceſſitudine illi obſtricti, & immensâ præmiorum pollicitatione allecti fuerant, tantum animi habituri credebantur, vt ſe reſque ſuas illius cauſâ in exitium offerrent) tamen ſtupendâ quadam audaciâ, aut cadendum aut vincendum ſibi dictitans, nec ſe vel ab omnibus deſertum retroceſſurum, ſed aleam fortunæ experturum aſſerens; ſimul dubios ſuorum animos partim præſumptâ Diuinæ opis fiduciâ, partim ingentibus promiſſis firmat. Iam in conſpectu erat hoſtium exercitus, cuius numerum non facilè fuerit inire; ita latè patentes campos complecuerat, vt vel ſolo conſpectu, terrorem aduerſarijs incutere, & in fugam eos agere potuiſſe videretur. Vix credet poſteritas, equites non ampliùs ſeptingentos, pauciores etiam pedites, non modò contra tam numeroſum exercitum collatis ſignis prælium inire auſos grauiter pugnam exceпiſſe, verùm etiam ſubmotis loco barbaris, ingentique pro numero editâ ſtrage, intra munimenta eos ſe recipere coëgiſſe. In eâ pugnâ, Palatini Sendomirienſis inſignis animi magnitudo, & in dubijs rebus conſtantia

eius ſucceſſus.

opponit exercitum ficto Demetrio Hodunus.

mittit in Poloniam nuntios fœdus memoraturos.

eis reſponſum à Rege.

Paulò ampliùs quàm mille Poloni cum ingenti Moſchorum exercitu pugnam committunt & vincunt.

Georgius Mniſzek Palatinus Sendomirienſis ſtrenuè Ducis munia obiuit.

ſtantia apparuit; nam contempto omni periculo, & aciem ita ſtruxit, ne pauci à multis circumueniri poſſent; & fatigatis integros ſubmittendo, ac turbatos ordines ſuorum reſtituendo, omnia boni Ducis munia cumulatè impleuit. Cæterùm veritus ne poſterâ die hoſtes conſpectâ noſtrorum paucitate acriùs inſtarent, miro aſtu vſus, literas quaſi recèns à Carolo Chodkieuicio miſſas fingit, eaſque aduocatâ concione in caſtris recitari iubet: ſignificabatur iis venire Chodkieuicium miſſum à Rege cum iuſto exercitu, & breui adfore; eo nuntio noſtri exhilarati, ſiue in re fictâ lætitiam ſimulantes, ſono tubarum & tormentorum exploſione, voce denique & geſtu, quaſi recentibus auxiliis, ingens gaudium teſtabantur. Vagus is conſilio Ducis ſubditus rumor peruenit ad hoſtes, quibus vel ipſum Chodkieuicij nomen facilè terrorem incuſſit, reputantibus, ſi tam pauci Poloni paulò antè adeò fortiter ſecum conflixerunt, poſtquàm vniuerſi exercitus robur cum Chodkieuicio ſuperuenerit, ſe occiſione deletum iri. Quare celeriter motis retro caſtris, abiêre: noſtri inſtandum, perculſis & recenti terrore vtendum rati, abeuntium tergis inſiſtunt: ſed cùm hoſtes nuſquàm pugnæ copiam facerent, poſtremò artibus Demetrij ſeditione in eorum exercitu apud Cromanos (oppidi id nomen) excitatâ, vinctus Ioannes Iuanouicius Demetrio traditur: quare maiore parte militum, Hoduno relicto, in partes Demetrij concedente, præter ſpem & opinionem omnium Demetrius tantis auctus copijs maiora moliri cœpit. Et quoniam Hodunus, quem proditione intercipere ob conſtans erga eum Procerum ſtudium difficile videbatur, bellum reparabat, iam antè Boſmanum quemdam magnis oneratum promiſſis ſubmittit, qui eum veneno è medio tolleret; quo demum perpetrato facinore, plerique è Proceribus ad Demetrium transfugiunt; plures, quorum præcipui Dux Mſciſlauienſis ac Suiſcius, Hoduni filio nondum ſatis adulto, imperium deferunt. Ille tantis curis impar, ſatis ſe tutum fore exiſtimans, ſi ipſam Moſchouiæ Metropolim, vbi opes & ſumma rerum, tantiſper in fide teneret, donec maiores copias, à remotioribus imperij partibus acciret, omnes aditus ſepſerat, ne quà fama rei apud Cromanos geſtæ, & proditionis militaris, ad populum peruenire poſſet. Sed contrà euenit, nam Michaël Soltitius à Demetrio miſſus, cùm vrbem accuratè cuſtoditam ingredi non poſſet; ad vicinum mœnibus templum in ſuburbio Craſneſiolo dicto, æris campani ſono, populum conuocat, prolatis Demetrij literis, ad conciliandũ vulgi fauorem accommodatis, quibus initio ſumpto à Diuinæ voluntatis arcanâ ordinatione, ſignificabatur, Demetrium Ioannis Principis Moſchouiæ filium, qui ab Hoduno occiſus putabatur, viuere, vniuerſum exercitum in eius fidem conceſſiſſe, nihil reſtare, niſi vt Hoduni inuiſâ ſtirpe ſublatâ, eum vti legitimum dominum vltro recipiant. Plebs ruſticana, concitato tumultu, portas ciuitatis effringit, ac in vrbem irrumpit; vbi eadem ex causâ populo in ſeditionem acto, auctorem tumultus

Seditio in exercitu Hoduni arte falſi Demetrij excitata, & Ioannes Iuanouicius dux exercitus ei vinctus traditus, & maior pars exercitus in poteſtatem Demetrij conceſsit.

veneno ſublato Hoduno, imperium eius filio delatum à pleriſq; Procerum.

Sed fruſtra, nam mox occiſus eſt.

multus in ponte, quo arx vrbi coniungitur, loco paulò editiori ſtatuunt, literas recitare iubent, ac ſtatim re intellectâ Boiaros & Proceres, qui Hoduni partes tuebantur, inuadunt; arcem ipſam circumſiſtunt. Eo metu perculſa noui Principis mater, cum filio & filiâ ſupplici habitu, ſacras imagines manibus præferentibus, in conſpectum multitudinis prodit: ſed nullâ maieſtatis reuerentiâ habitâ, Maſalſcio, qui auunculum reperti Demetrij ſe ferens, clam eius inceptis fauebat, traduntur. Mater & filius paulò pòſt iuſſu Demetrij ſtrangulantur, filia victoris libidini reſeruata. Hunc finem cum ſtirpe ſuâ ſortitus Hodunus, non vulgare poſteritati documentum reliquit, imperia ſcelere parta diu permanere non poſſe.

Vxor & filius Hoduni necati; & Demetrius imperio potitus.

Sed nos paulò longiùs à propòſito digreſſi ad noſtra reuertamur. Rex ſolutis, vt dictum eſt, Varſauienſibus Comitiis, Cracouiam profectus, vt eorum deſideriis ſatisfaceret, qui iteratâ legatione Cæſaris animum ad concedendam in matrimonium Regi Ferdinandi Archiducis filiam ſtimulandum cenſuerunt, Boianouium militem Maltenſem, & Commendatorem Poſnanienſem, ad Cæſarem, nullis datis certis mandatis, literas tantùm Regias vt redderet, mittit. Et Imperator Rudolphus gnarus, quò Regia conſilia vergerent, paucis verbis reſpondit; id quod petitur, certis de cauſis fieri non poſſe: ſed ſi Rex innouandæ cum familiâ ſuâ affinitatis deſiderio teneretur, Conſtantiam prioris vxoris ſuæ ſororem, matrimonio ſibi iungeret. Hoc reſponſo accepto, per celeres tabellarios, Regijs literis conſulti nonnulli Senatores, ſignificatumque ijs, fruſtrà de ineundo matrimonio alia conſilia ſuſcipi, cùm ſola ſit Conſtantia, quæ Cæſaris conſenſu haberi poſſit, quamque poſt priores Clementis Octaui vitâ functi ſuaſorias literas, nunc quoque nuper electus Summus Pontifex Paulus Quintus, manu ſuâ exaratâ epiſtolâ ducendam ſuaderet. Tabellarij ad Senatores dimiſſi, vix cum reſponſis redierant, cùm Rex, quò ſuſceptum negotium properaretur, ſolennem ad petendam ſponſam decernit in Auſtriam legationem, eiuſque obeundæ munus ad Martinum Syſcouium Epiſcopum Luceorienſem & Sigiſmundum Marchionem de Miroro Myſcouium Supremum Regni Mareſcalcum defert. Senatores per literas conſulti, nonnulli quidem eiuſmodi matrimonium ſibi non placere reſponderunt, plerique ampliùs de eo deliberandum cenſuerunt, plures vltrò de eâ re ambigendum non eſſe, ac eâ conditione, in quam animus Regius propenderet, vtendum, conſiliumque duorum Summorum Pontificum ſequendum ſuaſerunt. Cæterùm à populo, vario rumore accepta eſt Regis ad ineundum cum Conſtantiâ prioris vxoris ſorore matrimonium inclinatio; reputantibus pleriſque, quàm infeliciter ceſſerit Sigiſmundo Auguſto Regi, cum duabus Cæſare Ferdinando natis ſororibus coniunctio. Diſſerebant contrà alij, longè præſentis temporis diſparem eſſe rationem: Regem non priuatâ cupiditate eò agi, ſed non tantùm indulgente Summo Pontifice,

Literæ Regis ad Imperatorem Rudolphũ Annam Ferdinandi Archiducis filiam in matrimonium petentis.

Reſponſum Rudolphi Cæſaris.

Legati à Rege miſſi Szyſcouius Epiſcopus Luceorienſis & Sigiſmundus Myſkovvſki Supremus Regni Mareſcalcus ad petẽdam in matrimoniũ Conſtantiam Caroli Archiducis filiam, prioris vxoris ſororem.

Quis ſenſus de eâ re Senatorum;

quis populi;

ce, tanquàm Supremo ſacri iuris arbitro, verùm etiam impensè ſuadente eam conditionem accipere, expertum priori matrimonio ſanctam & caſtam domus illius diſciplinam. Nam mater illuſtri Bauaricâ familiâ orta, fœmina cùm prudentiâ, tùm animi magnitudine præſtans, ac priſcæ ſanctitatis, eam in educandis liberis curam adhibuerat, vt filiæ ad exemplum illius inſtitutæ, à ſummis in Republicâ Chriſtianâ Principibus ambirentur, ac præter Regem Poloniæ, Hiſpaniarum quoque Rex Philippus Secundus, filium ſuum tot ampliſſimorum regnorum hæredem, ex hâc, & non aliâ domo vxorem petere voluerit; quare tam illuſtri affinitate, ſtabiliri Regis imperium, & publicæ ſecuritati magnum parari præſidium, ominabantur. Erat ſanè ingens hominum expectatio, quò tali rerum ſtatu Ioannes Zamoſcius Regni Cancellarius & exercituum Dux, ſua cõſilia flexurus eſſet; quem certò conſtabat, has Regias nuptias non probaturum. Nec dubium erat, eum à pleriſque monitum fuiſſe, vt acrioribus conſilijs Regia deſtinata moraretur; & inter alios Ioannes Oſtrogius Caſtellanus Cracouienſis, pro eo, quo in Republicâ fungebatur loco, ſe, ſi ita Zamoſcio videretur, vniuerſam Nobilitatem, ad arcendam ingreſſu finium regni nouam ſponſam conuocaturum oſtenderat. Verùm Zamoſcius, non ignarus facilè multitudinem concitari poſſe, retineri verò in officio, ne ad deteriora delabatur, valdè arduum & difficile, ne quid tale Caſtellanus Cracouienſis moliretur, ſeriò illum dehortatus eſt. Quamobrem minimè dubitandum fuiſſe crediderim, ſi Zamoſcius diutiùs vixiſſet, illum & opibus, & auctoritate ſuâ, reliquos omnes à turbulentioribus conſilijs & auſis, cohibiturum fuiſſe: neque ſiturum, vt quæ pacátis conſiliis componi poterant, armatis conuentibus vrgerentur: & ob eam cauſam ciuile bellum, magno Reipublicæ damno, ſuſciperetur. Sed Zamoſcius non tam annis (ſexageſimum enim tertium ætatis agebat, & firmâ ſatis valetudine vtebatur) quàm curis & laboribus confectus, in ipſo Regiarum nuptiarum apparatu, menſe Iulio, conceſſit fatis. Vix vnquàm Polonia parem illi viderat, tot in vnum cumulatis Diuino beneficio muneribus, quæ ſi in plures diſpertita fuiſſent, vnumquemque magnum factura videbantur: idem prudens conſiliarius, idem bellatòr eximius, idem felix fortunatuſque belli Dux, & quod mireris, cùm toties arma cum diuerſis Reipublicæ hoſtibus contuliſſet, ſemper acie & bello victor. Reliquit ampliſſimarum fortunarum Thomam Zamoſcium, vnicum hæredem impuberem adhuc; cuius tutorio iure regendi curam, Georgio Zamoſcio Epiſcopo Chelmenſi, Nicolaò Zebrzydouio Palatino Cracouienſi & Staniſlao Zolkieuio Caſtellano Leopolienſi, exercituſque campeſtri Duci ſupremis tabulis demandauit. Infregiſſe mors Cancellarij eorum potentiam, qui Regijs nuptiis aduerſabantur, videbatur; cùm nemo vnus tantâ auctoritate futurus eſſe crederetur, qui Regis deſtinatis obſiſtere & tanto Senatorum, qui plures ad

quis Zamoſcij;

Quis Ioannis Oſtrogij Caſtellani Cracouienſis.

Mors Zamoſcij;

eius animi dotes,

& felicitas in bellis gerẽdis;

eius filius Thomas Zamoſcius.

ad probanda Regis consilia in dies accedebant, consensui refragari auderet. Et fortasse non temerè ea spes concepta fuisset; nisi Nicolaus Zebrzydouius Palatinus Cracouiensis, in cuius manus omnis potentia, quæ Zamoscij quondam fuerat, tutorio nomine venerat, non cessandũ sibi in eo casu existimasset. Is dudum Regiâ gratiâ pollens, primùm Lublinẽsis Palatinus, dein supremus Regni Marescalcus; demum cùm eum Magistratum fastidiret, Palatinus Cracouiensis renunciatus, ac singulari Regis in eum beneficentiâ ingentibus opibus auctus, magnam sibi in Republicâ auctoritatem comparauerat. Sed animo tumens, & cum aliorum fortunis, tum præcipuè Sigismundi Myscouij, supremi Regni Marescalci, multis ad eum Regiâ liberalitate delatis opulentis præfecturis, & postremò morte Zamoscij, Grodecensi Capitaneatu ei collato, crescente potentiâ, anxius, postremò tristi quadam in Regem arrogantiâ, tædium sui mouerat; neque ampliùs pristinum gratiæ locum apud Regem obtinebat; hincque cùm Regias nuptias disturbare non posset, de concitandâ populari seditione consilia agitare cœpit. Credebatur etiam olim, dum Zamoscius viueret, quotiescumque illi cum Rege aliqua intercedebat dissensio, ea consilia Zamoscio suggessisse, quæ ad mutandum Regni statum viam sternerent; sed Zamoscius semper syncerâ cum Rege fide egit, neque se in transuersum agi patiebatur: etiamsi ei id quis suaderet, cuius alijs in rebus consilijs niteretur. Vrgebat Palatinum, & ad res nouandas solicitabat, cùm innata parandæ potentiæ cupiditas, tùm de ijs, à quibus se læsum existimabat, & quorum fortunas recenter auctas ægris oculis intuebatur, vindictæ sumendæ studium. Neque defuturi videbantur ex vnâ parte potentiæ Zamoscianæ clientes, ex alterâ verò hæretici, qui non nisi turbulento Reipublicæ statu cristas attollere, & impietatem stabilire solent: iis adiuuantibus sperabat se facilè assecuturum, vt Rege remoto, vel certè in ordinem redacto, extinctis Regiarum partium Senatoribus, solus omni Republicâ potiretur; id quâ ratione molitus fuerit, suo loco memorabimus: nunc quàm leui de causâ, diu conceptum in Regem odium nouissimè effuderit, videamus.

Nicolaus Zebrzydouius Palatinus Cracouiensis Regium matrimonium, maiori parte Senatus approbante, improbare ausus.

Zamoscianæ in Regem fidei constãtia.

Domus erat in Arce Cracouiensi, Palatio Regio vicina, quam Sigismundus Primus accipiendis externis hospitibus construxerat; eius vsum Zamoscius Regis Stephani beneficio, quoad viueret, concessum sibi habebat; qui rarus admodùm Cracouiæ, Palatino in eisdem ædibus precariam mansionem indulserat: igitur mortuo nuper Cancellario Rex eius domus vsum sibi restitui petebat, illius commoditate ad instruendas nuptias, & hospites excipiendos vsurus. Eâ re se dignitatemque suam violari existimans Palatinus, posteaquàm aliquantisper præter ius & æquum tergiuersatus esset, ad extremum cùm Regem constanter id vrgere videret, summâ cum indignatione Regiæ voluntati cessit, illis apud amicos vsus verbis: se quidem nunc domo, sed breui Regem regno excessurum.

occasio, quâ conceptum in Regem à Palatino Cracouiensi odium erupit.

cessurum. Paulò antè venerat Cracouiam, priuati negotij causâ Ioannes Dux Radiuilus Magni Ducatus Lithuaniæ Regi à poculis: hic anteà quoque Marescalco Regni, quòd is Præfecturam Solecensem, quam pater ipsius Palatinus Vilnensis Regum Poloniæ beneficio tenebat, eo mortuo à Rege obtinuisset, infensus, aliâ quoque ex causâ acrioribus in eum stimulis incitatus est. Iuuenis is & splendore natalium & amplis opibus, tum & rerum bello Liuonico gestarum gloriâ, pridem iam altiores spiritus, quàm qui priuatum decerent, induerat, præcipuè verò in tuendâ & propugnandâ Caluinianâ sectâ, cui à puero innutritus erat, inter alios tam priuatim quàm publicè eminere volebat. Accidit eo præsente Cracouiæ vt sacerdos Sacrosanctam Eucharistiam ad ægrotum deferens, contumeliosiùs ex ædibus cuiusdam Hęretici interpellaretur; id proximè adstantes Catholici iniquè ferentes, in ædes Hæretici impetum faciunt, ei verò in subsidium famuli Radiuili, (incertum sponte, an iussu domini) accurrunt: mox crescente tumultu, ij quibus à Marescalco tuendæ pacis & prohibendorum tumultuum officium demandatum erat, armati superueniunt, seditionis auctores comprehensos ac inter eos nonnullos ex comitatu Radiuili in carcerem abducunt: ille contumeliosum id sibi existimans, & à Marescalco veluti consultò se eâ iniuriâ affectum grauiter ferens (quamquàm interuentu communium amicorum famuli in eo tumultu prehensi continuò dimissi fuerint) indignabundus & ex occasione se eam iniuriam vindicaturum minitans Cracouiâ discessit. Æstate eadem crebris Tartarorũ incursionibus infestatæ impunè vicinæ Regni Prouinciæ, hominesque complures in fœdam abducti seruitutẽ, barbaris consuetâ celeritate eludentibus nostrorum militum, qui præsidium in ijs finibus agitabant, tardos ad subueniendum conatus: & exercitus mortuo Zamoscio absque legitimo imperio habebatur. Barbari præter solitam prædæ auiditatem (nec enim labore aut industriâ victum quærere illis mos) exacerbati Cosacorum frequentibus iniurijs (qui hâc ipsâ æstate Varnam nobile Turcarum Emporium, interfectis incolis expilarant) licentiùs procursabant; maiora subinde agmina submittentes, quò populatio latiùs extenderetur. Tum iussu Regio Stanislaus Zolkieuius Castellanus Leopoliensis, exercituum campestris ductor, contracto in vnum qui in armis erat milite, barbaros prædâ graues assecutus, iusto prælio victos & omni prædâ exutos ad satietatem cæcidit; compressa eâ re hostis audacia, & pax restituta; sed id demum proximâ hyeme gestum. Tunc inter alias curas Regem quoque excepit Hungarica legatio: Stephanus Boczkaius proximè superiori anno Hungarorum Rudolphi Cæsaris & Regis Hungariæ Imperium fastidientium seditione ad spem Regni promotus, vt perfidiæ notam à se & gente Hungarâ amoueret, causas eius secessionis proferebat, iniustum & impotentem Germanorũ Dominatum & plus quàm Tyrannicũ Imperium, Hungaros diutiùs ferre non potuisse, ingentibus exhaustos tributis, ac continuo attritos bello cùm

Vnde inimicus animus Ioanni Radiuilo in Marescalcum.

Incursiones Tartarorum in Rußiam 1605.

Tartari ductu Stanislai Zolkieuij cæsi.

Hungarica ad Regem Sigismundum legatio.

cùm nullum exitum malorum viderent, eò demum deſcendiſſe, vt fruſtra ſæpè imploratâ Imperatoris ope ſpreti & contempti, ſibi & Reipublicæ ſuæ aliter conſulerent. Petebant à Rege, vt ipſe eos hoc nomine excuſatos haberet, auctoritatemque ſuam interponeret, vt Romanorum Imperator poſtulatis illorum annuere vellet: reſponſum datum, quo, redargutâ eâ Hungarorum ad rebellionem inclinatione, ſignificabatur nihilominùs, Regem cum Imperatore de reconciliandis illi ſubditis acturum: ita cum bonâ ſpe dimiſſa legatio, datæque ad Imperatorem literæ, quibus quid Hungari poſtularint, perſcriptum. Iam Martinus Syſcouius Epiſcopus Luceorienſis, & Sigiſmundus Marchio de Miroro Supremus Regni Mareſcalcus, ſplendido & numeroſo comitatu in Auſtriam, ad obeundam demandatam legationem profecti erant, cùm ex Liuoniâ nuntiatur, Carolum Sudermaniæ Principem, infeſto exercitu eam Prouinciam ingreſſum ad obſidendam Rigam accingi. Patruus is Regis, ſed impiâ ambitione actus, fidem & iura ſanguinis (vti alio loco diximus) pridem iam ruperat; occupato per ſummum ſcelus regno Sueciæ, mox Liuoniam Regni Poloniæ Prouinciam, latrocinij more infeſtans, aliquot eius ciuitates interceperat, pronis nonnullorum Liuonum, vt Lutheranæ ſectæ, quâ tota Liuonia infecta eſt, in eum ſtudijs: & ille vbi vires Polonorum ſuperueniſſent, ad naues confugere ſolitus, numquàm pugnæ copiam faciebat. Sed tunc noſtrorum paucitate contemptâ, quòd Carolus Chodkieuicius, Magni Ducatus Lithuaniæ exercituum Dux, contractis in vnum copijs, vix tria millia equitum peditumque ſub ſignis haberet, oſtentare vires, & prælio noſtros laceſſere decernit. Nec Chodkieuicius, quamuis longè viribus impar (nam Sueticus exercitus octodecem millibus militum conſtabat) detrectat aleam pugnæ; ſed raptim acto exercitu, ducit in hoſtem: ille miratus tam paucos contra tantam multitudinem venire auſos, & victoriæ certus dat pugnæ ſignum; noſtris paululum moræ attulerunt obiectæ hoſtium ſariſſæ, quibus in morem valli protenſis pilorum denſis ordinibus ſeſe obſepſerant; ſed ijs effractis, vbi virtuti patuit locus, & cominùs eminuſque rei gerendæ data facultas, ruptis haſtatorum vi hoſtilium cataphractorum cateruis, facilè cæteros in fugam coniiciunt: ac patentibus campis, palantes hoſtes agunt, cæduntque: nouem millia hoſtium interfecta: Carolo ipſi vix ad naues effugium patuit: nam equo cui inſidebat deiectus, niſi celeriter à ſuis in alium ſublatus fuiſſet, vel cæde, vel captiuitate ſuâ tam inſignem victoriam nobilitaſſet. Paulò ante pugnam venerat in ſubſidium noſtris, Fridericus Curlandiæ Dux, cum quadringentis militibus, cuius egregia virtus in hoc prælio enituit, nam & per ancipites Dunæ vortices, audaci ſimul & felici conatu, cohortes vtroque exercitu ſtupente traduxit, & ſtrenuis ſecum adductis militibus, ipſe manu fortiter pugnam capeſſendo, cæteris illuſtre exemplum, rei bene gerendæ, præbuit. Feruebat intereà Regiarum nuptiarum apparatus, certantibus Regni Proceribus, quo-

Caroli Sudermani Sueciæ Regni inuaſoris in Liuoniam Regni Poloniæ Prouinciam incurſio.

Sueci cæſi ductu Caroli Chodkieuicij.

Friderici Curlandiæ Ducis in eo conflictu virtus.

Regiarum nuptiarum apparatus.

quorum pronum in Regem ſtudium, quis eorum in tam ſolenni actu illuſtrior appareret. Sed priuſquàm dies nuptijs dicta adeſſet, ſplendida legatio à nouo Moſchouiæ Duce ad Regem venit, eius Princeps Athanaſius Vlaſieuus pro ingenio gentis prudens & cautus. Extincto, vt ſuprà retulimus, cum ſtirpe Hoduno, impoſtor, Demetrij Ioannis filij nomine vſurpato, ad capeſſendum Moſchouiæ Principatum noſtrorum auxilijs ſe accinxerat; facilè id quod animo deſtinauerat, aſſecutus, ac ipsâ arce imperij potitus, mox ſui diſſimilis, & poſitâ modeſtiâ & virtutis ſimulatione, in omnem luxum & ſolita Tyrannis vitia effuſus, cunctorum in ſe odia concitauerat; nam etſi illi vulgo non ingrata eius comitas, prompti aditus, ignotæ Moſchis virtutes, vitia tamen ſuperabant: inuiſi licet Principis Hoduni ſtupro polluta domus, (nam filiam ipſius inuitam, & ſcelus deteſtantem priuatæ libidini ſepoſuerat) multorum è primoribus cædes: ſed nihil magis Moſchos in eum accendit, quàm quòd à multis retrò ſeculis ſacro & intacto veterum Moſchouiæ Principum ærario manus admouerit. Hinc Procerum in eum Duce Suiſcio conſpiratio, quæ eo die, quo matri (nam Ioannis olim Moſchouiæ Principis relictam coniugem dudum ab Hoduno monaſterio incluſam, inde vt ſe tamquàm mater filium agnoſceret, eduxerat) ad tria milliaria, per ſpeciem pietatis obuiàm iturus erat, erupiſſet, ni patefactis coniuratorum conſilijs, à tam longinquâ obuiàm itione abſtinuiſſet, maioribuſque adſcitis præſidijs ſecuritati ſuæ conſuluiſſet. Mox captis, quos contra ſe coniuraſſe compererat, omnibuſque clàm interfectis, Suiſcium, quò clementiæ fama quæreretur, precibus Polonorum indulſit; plebem & militem ingentibus donis, & profuſâ largitione demulcens, atque in omnes occaſiones intentus, cùm toties Moſchorum inſidijs peteretur, ſuſpectam illorum fidem habens, alia ſibi præſidia quærenda, ac vitæ & incolumitati ſuæ conſulendum decreuit. Miſsâ igitur ad Regem legatione, ſe maiorum ſuorum Imperio potitum, & de more inauguratum ſignificat, fœdera & iura quæ Moſchouiæ Principibus cum Regibus Poloniæ intercederent, conſeruaturum, ac amicum Regi futurum: tanto magis quò ſe ope illius adiutum meminerit: intereà cùm pactam ſibi Marinam Georgij Mniſzek Palatini Sendomirienſis filiam, fœdere matrimonij coniungere decreuiſſet, petere vt id Rege annuente fiat. Et legatio quidem non ingrata; ſed Cæſarei, Imperatorij, ac Regij in literis nominis & tituli vſurpatio, abſurda ſatis viſa, monituſque Vlaſieuus, vt deinceps non niſi ex veteri conſuetudine, Ducis Moſchouiæ appellatione Demetrius vteretur. Is cùm ineptas, & à barbaro ingenio petitas proferret rationes, poſtremò Georgij Mniſzek interuentu, in aliud tempus eius differentiæ componendæ dilata tractatio; ſolennique ritu, Rege præſente, Cardinalis Macieiouius, Marinâ, Demetrio Moſchorum Principi, legato illius nomine ſponſionem ratam fore promittente, deſpondit; datumque negotium Nicolao Oleſnicio Caſtellano Malogoſtenſi,

Fictus Demetrius imperio Moſchouitico potitus, legatos ad Regem mittit.

Demetrij vitia.

Vnde contra illum Moſchorum primò odium.

in illum conſpiratio;

quâ compertâ conſcios conſpirationis punit,

& præſidia vitæ ſuæ parat.

miſsâ legatione fœdera cũ Regno Poloniæ inita ſe ſeruaturum ſpondet.

Vt Gregorij Mniſzek Palatini Sendomirienſis filiam in vxorem ducere poſſit, Regis conſenſum petit.

Vſurpatio Cæſarei ab eo tituli à Rege reprehenſa.

Nicolaus Olesnicius Castellanus Malogostensis & Alexander Gaszeuius Regis Sigismundi Legati ad nuptias Demetrij in Moschouiam missi.

Demetrius grandem pecuniæ summã PalatinoSendomiriensi ad scribendas militum copias misit.

Reginæ Constantiæ cum matre & Carolo Archiduce in Poloniam aduentus.

stensi,& Alexandro Gaszeuio,vt ad cohonestandas Regio nomine futuras nuptias,stabiliendumq; cum nouo Principe fœdus, in Moschouiam Legati proficiscerentur. Miserat Demetrius Palatino Sendomiriensi grãdem pecuniæ summam (quingenta florenorum millia fuisse fama obtinuit) monueratq; vt in deducendâ ad se sponsâ,talem tantumque comitatum sibi adsciceret,qui & honori,& præsidio esse posset; quod ab illo factum,ac non contemnendæ militũ copiæ scriptæ; multi prætereà illustres viri,sponte Palatini causâ, ac complures etiam spem vanam animo concipientes,fore vt dites inde reuerterentur, vltrò proficiscentium numerũ augebant. Iam dies Regiarum nuptiarum appetebat, cunctiq; qui iussi erant,vel qui sponte tam celebris actus illustrandi causâ sese accinxerant,Cracouiam venerant, splendebatque aula nouo apparatu;aderat Senatorum tam sacri,quàm alterius ordinis maior pars,tum è nobilitate præcipui, cùm seriùs aliquantò,quàm initio destinatum erat,Rex certior factus,sponsam cum matre Archiducissâ Austriæ,ac Maximiliano fratre in itinere esse,Sebastianum Lubomirscium Castellanum Woynicensem ire iubet, vt tam gratos & diu expectatos hospites in finibus regni exceptos, honoris causâ deduceret; alijque mittebantur minores Nuntij, qui singulis diebus, Regis nomine salutarent aduenientem sponsam, quæ Lobzouiæ, vicino Cracouiæ Palatio substitit, biduoque ibi morata, & à Rege ipso priuatim salutata fuit. Demum die quartâ Decembris, quæ fuit Dominica sacri eius anni Aduentus, in campo qui Lobzouio adiacet, erectis tabernaculis, Rex pulcherrimo Procerum septus agmine, Vladislao Principe filio comitatus, vrbe egressus, prior in loco constitit; mox explicatis more militari signis, amplissima camporum planicies, ingenti hominum multitudine referta: hinc equitum alæ patrio more, viris equisque insignes, aureis argenteisque phaleris & torquibus fulgentes, ac vestium splendore nitentes; illinc peditum agmina, vtrique in speciem exercitus instructi, decora sanè facies, & quæ Germanorum oculos in se vsque ad stuporem raperet: dies ipsa, quasi ad augendum gaudium, sole illustris & serena erat, tubarum clangore, & tympanorum sono omnia complebantur; posteà sponsa Regio curru vecta, ad locum in quo Rex constiterat, venit. Ibi in tentorium deductæ, Regis nomine Matthias Pstroconius Episcopus Præmisliensis Regni Procancellarius, luculentâ oratione aduentum gratulatus, ac felicia quæque comprecatus est: dein mutuis salutationibus peractis, sole iam in occasum declinante, versus vrbem iter susceptum, vbi aliquot in locis arcus triumphales erecti, exquisitis artis musicæ modis personabant, vrbe totâ faces collucebant, nec quidquam, quod ad testificandam publicam lætitiam desiderari posset, deerat. Horâ demum noctis secundâ, ad arcem ventum, ac in Basilicâ Diui Stanislai, & loci sanctitate & Regum Poloniæ monumentis Augustâ, postquàm vnus è Canonicis nomine

nomine totius Collegij ſponſam oratoriâ ſalutatione excepiſſet, religioſâ veneratione adoratis Superis, gratiiſque Deo actis, ad ſumma palatij itum, & poſt Regales demum epulas, nox quieti data. Octauâ dein die vndecimâ Decembris, ſolennia nuptiarum celebrata, eo ſplendore eaque magnificentiâ, quæ tanti Regis nomini reſponderet. Aderant præter ſponſæ matrem, Maximilianus Archidux Auſtriæ, & ſoror ipſius Chriſtiana, quæ Sigiſmundo Bathoreo Tranſyluaniæ Principi olim deſtinata, irrito poſteà nuptiarum euentu, pactis matrimonialibus ſoluta, in paternis penatibus degebat. Iam Vladiſlaus Princeps Regis filius, puer adhuc, ſed eâ indole, quæ ſupra ætatem & communem naturæ curſum longè emineret: ita vultus ipsâ maieſtate & decorâ facie compoſitus, vt diuinum quid in eo elucere videretur; Anna præterea Sueciæ infans, Regis ſoror; tum Principum Chriſtianorum Oratores, inter quos Bernardus Macieiouius Sacræ Romanę Eccleſiæ tituli Sancti Ioannis ante portam Latinam Cardinalis Presbyter, Epiſcopus Cracouienſis, ac Regiâ nominatione deſtinatus Archiepiſcopus Gneſnenſis, Pauli Quinti Pōtificis Maximi à latere Legatus, principem locum tenebat: cæteri item, prout quiſque dignitate emineret, locis & ordinibus diſtincti, celebritatem actus illius cohoneſtabant. Regi & ſponſę in medio templi ſedes eminentior poſita: Rex diademate & veſte, quâ in inauguratione vti conſueuit, ornatus, pręferentibus iis, quorum id de more munus, Regni inſignia, conſedit. Lectum dein Summi Pontificis reſcriptum, quo prioris vxoris ſorori, ac præterea quarto cognationis gradu ſibi coniūctæ nubēdi Apoſtolicâ auctoritate Regi indulgebat poteſtatem: tum Cardinali præeunte in verba, quibus ſponſi ſecundùm Eccleſiæ Romanæ ritum, ſibi inuicem obligantur, vterque ſacramento adacti. Poſtremò Petrus Tylicius Epiſcopus Cuiauienſis, quòd Cardinalis nondum pleno iure Archiepiſcopatum eſſet adeptus, ac illâ Sede vacante id munus Epiſcopo Cuiauienſi incumbat, ſolennibus ceremonijs præmiſſis, ſponſam Regali diademate inſigniuit, Reginamque appellauit: Sacroſancto deinde Miſſæ ſacrificio peracto, Rex & Regina Diuinorum myſteriorum, ſacrâ ſynaxi piè & religiosè ſuſceptâ, participes effecti in palatium redeunt, ibi regale conuiuium cunctis magnificè & liberaliter præbitum, reliquumque diei, honeſtis & ei lętitię conuenientibus oblectamentis tranſactum, eo modeſtię temperamento, vt nihil alicui intemperantię loci relictum, ac pręcipuè ſacri temporis ratio habita fuerit. Plus vno menſe Archiduciſſa mater cum filiâ & filio Cracouię manſère, quominùs maturiùs proficiſcerentur feſto Sacroſancti Natalis Chriſti impediti. Intereà varia lętitię ſigna edita, ſed pręcipuum haſtatorum inter ſe concurrentium ſpectaculum, non in ſpeciem ea concurſatio, ſed peritorum militum certamen; nam niſi vterque aut alter eorum, aduerſarij clypeo, haſtę mucronem (quod ſummâ certantium dexteritate perficitur) exceperit, res magno periculo,

Nuptiæ Sigiſmundi Regis cum Conſtantiâ Archiduciſſâ Auſtriæ.

Principes qui Regiis nuptijs interfuerunt.

Vladiſlai Poloniæ Principis ſingularis indoles.

Principum Chriſtianorū oratores itidē aderant.

Legatus de latere Pauli V. Cardinalis Macieiouius.

Regina Conſtantia à Petro Tylicio Epiſcopo Vladiſlauienſi Regali diademate inſignita.

Archiducissa Reginæ Constantiæ mater in Austriam redit.

culo, ac interdum vitæ discrimine non vacaret. Anno proximè ineunte, Rex & Regina matrem in Austriam redeuntem, omnibus pietatis obsequijs, vt par erat, prosequentes, ad Silesiæ vsque fines deduxerunt; ibi à Cardinali Dietrestein Episcopo Olomocensi, qui securitatis causâ (quòd tum ea itinera, ob suspectam Hungarorum fidem, non satis tuta putarentur) præsidium iussu Imperatoris parauerat, excepta, sospes domum redijt.

Comitia Varsauiæ indicta 7. Martij 1606.

Indicta iam erant à Rege ad diem septimam Martij Varsauiæ Comitia, quę in variâ hominum, prout quis in Regem affectus, vel nouarum rerum cupidus, expectatione erant: quidam initium id fore turbarum præuidentes, se accingebant; alij contrà, inuidiæ iuxtà ac Reipublicæ securitati eo remedio consuli censentes, in eam spem veniebãt, vt facilè omnia conuentura existimarent. Erant nonnulli qui differendum Comitiorum tempus, neque recenti inuidiæ Regem & publicas actiones obijciendas, idque magis è Republicâ fore iudicabant.

Varia illorũ euentus expectatio.

Ioannis Zebrzydouij Palatini Cracouiensis conatus;

At Palatinus Cracouiensis, toto eo tempore Landscoronæ arce Cracouiæ vicinâ hærens, & commouendæ Reipublicæ consilia animo voluens, occasiones ex euentu circumspiciebat; pòst vbi animaduertit Regias nuptias non omni placere populo, eius auræ inanem ventum aucupatus, statuit Prosouicensi conuentu explorare hominum animos, facturus ibi periculum popularis studij, & si prima ex sententiâ prouenissent, maiora ausurus. Summa consilij illius hęc fuit, vt præsentis periculi, quod à Regiâ potentiâ libertatibus Regni imminere aiebat, ostentatione commoto populo, eò rem deduceret, vt non per Nuntios tantùm, qui pro more veteri è singulis Palatinatibus deliguntur, Comitia agerentur, sed vniuersa Regni nobilitas ad locum Varsauiæ vicinum sub finem Comitiorum conueniret; vbi ea postulata, quę Regni Ordines per Nuntios hactenùs vrsissent, Rex verò contemnere videretur, simulque illa, quę ex præscripto pactæ cum Sueticis Oratoribus, & posteà in coronatione per Regem approbatæ cõuentionis, Reipublicæ pręstare tenetur, maiore vi promouerent; vel si in proposito obstinatus maneret, sibi & Reipublicæ aliter consulerent.

Qui consiliorum socium Matthiam Smogolecium assumit, eiq; filiam in matrimonium dat.

Consilij eius auctorem Matthiam Smogolecium fuisse comperio, qui mediocri, & intra equestrem censum loco natus, sed ingenio acri, quod iuuenis non vulgari eruditione, per diuersas studiorum artes excoluerat, animi immodicus, & ad adipiscendos honores nimiâ festinatione properans, partis iam Regiâ liberalitate non contemnendis opibus, ac Præfecturâ Bidgostiensi auctus, quòd in petitione Referendariatus Regni se postponi videret, in partes Palatini transijt: adeò gratus consiliarius, vt quò fideliorem eum sibi deinceps Palatinus redderet, filiam suam illi desponderit.

Palatinus per Smogolecium maiorẽ Poloniam in suas partes pertrahere studet.

Igitur huic in maioris Poloniæ conuentu, quòd eâ Prouinciâ ortus, multos sanguinis necessitudine sibi annexos haberet, eius consilij proponendi negotium dat: & cùm non ignoraret Proceres illarum partium, constanti in Regem esse fide,

nec passuros rem sine causâ ad tumultum deduci, pecuniâ etiam ad conducendos pretio homines factiosos, & in consilij societatem asciscendos instruit; ipse in conuentu Prosouicensi idem facturus. Sed quoniam sæpiùs deinceps pactorum conuentorum facienda nobis erit mentio, paucis hîc inseremus, quid eis contineretur, & vnde ijs origo; nam plerique huius ciuilis motus & dissensionis causas ab eo fonte manasse hactenùs opinati sunt; cùm fortasse, si rem diligentiùs & sine affectu expenderimus, secessionis eius auctores hoc sanè prætextu vsos, longè tamen diuersum consiliorum suorum scopum dudum iam propositum habuisse facilè constet. Interregno quod Sigismundi Augusti mortem subsecutum est, cùm multi Principes Christiani regnum ambirent, Henricus Andegauensium Dux, Regis Galliarum frater, cùm propensâ Polonorum in gentem Gallicam voluntate, tum propositis ingentibus in speciem magis, quàm vt reuerà illis stare vellet conditionibus, cæteris prælatus, regnum adeptus erat. Eius exemplo Stephanus Rex, similibus promissis vulgi animos ad se traduxerat; inerant quidem nonnulla, quæ ad conseruãdas & stabiliendas Equestris ordinis libertates pertinerent, sed pleraque importunè extorta, & quæ non modò Regiâ dignitate saluâ, verùm etiam nonnulla non nisi omnium accedente consensu, alia ex sui naturâ factu difficilia præstari non possent. Sed earum pro quibus Oratores Suetici in electione cauerant conditionum, hæ præcipuè fuêre.

& quibus modis.

Quod initium Regis cum Republica pactorum.

Henricus Galliæ Princeps Andegauensium Dux multa Polonis promisit dum in Regem assumeretur.

Idem fecit Stephanus. pleraq; ab eo importunè extorta.

Promittebant illi Regem Electum eam Liuoniæ partem, quam Sueciæ Rex Stephano bellum contra Moschum gerente, interceperat, Regno vniturum. Classem ad obtinendum maris imperium, suis impensis paraturum. Quinque arces ad intercludendas Tartarorum in fines Regni clandestinas incursiones, opportunis locis extructurum; & omni bellico apparatu prouisurum. Iuribus, si quæ ad Regnum & magnum Ducatum Lithuaniæ prætendere posset, summis item & pensionibus Neapolitanis Reipublicæ cessurum.

Quæ Regi Sigismundo cũ Republicâ pacta.

De Estoniâ.

De classe.

De quinque arcibus in confinijs contra Tartaros extruendis.

De iure ad Lituaniam & Neapolitanas pensiones in Regnum Poloniæ transferendo.

Custodiam corporis, non externis, sed Polonis commissurum, ac Præfectum satellitij ex eadem gente lecturum. Vt pax & concordia inter eos, qui in Regno de religione dissident conseruetur, non modò Regem curaturum, sed etiam eiusmodi pacis auctorem & propugnatorem futurum; ac in eius turbatores ex formulâ, quæ vtrique parti accommodata scisceretur, ac Regi offerretur, animaduersurum. Iura & prærogatiuas, quæ ad propagandas Equestris ordinis libertates Henricus & Stephanus Reges indulserant, conseruaturum. Quarum conditionum cùm prima, de reddendâ Regno Estoniâ, viuente Ioanne Rege Sueciæ præstari non posset, in Comitiis Régiæ coronationis, ita de eo inter Regem & Ordines conuenerat, vt non priùs ad id faciendum Rex adigeretur, quàm Ioannes Rex Sueciæ in viuis esse desiisset, & Regnum Sueciæ pleno iure ad Regem deuolutum esset. Sed de his rebus deinceps ex

De Custodibus corporis.

De pace inter dissidentes de religione.

De libertatibus nobilitatis.

Quando Rex tenebatur Estoniam Regno Poloniæ restituere.

ex occaſione vberiùs diſſeremus; intereà quid ante Comitia incepta geſtum ſit, proſequamur. Mos eſt, vt indictis à Rege Comitijs priuſquàm ad ea peragenda ventum ſit, in omnibus Regni Palatinatibus minores conuentus inſtituantur, in quibus Rex per ſuos Nuntios, ea quæ in publico omnium regni Ordinum concilio tractanda ſunt, equeſtri Ordini proponit, quò is ſuis, quos ad Comitia eius rei cauſâ miſſurus eſt Nuntijs, quid de rebus à Rege propoſitis decerni & ſtatui deſideret, conſultandum committat. Eiuſmodi Regiæ legationis eo anno hæc ſumma erat: Excuſatio inprimis, quod maturiùs, quàm leges regni iubeant, Comitia indicantur, inde petita, quòd cùm ex proximis Comitijs rebus infectis diſceſſum, nec contra pericula, quæ vndique imminebant, quidquam præſidij decretum fuiſſet, adhibuerit Regia Maieſtas ſummam diligentiam, ne quid interim Reſpublica detrimenti caperet, atque inprimis ad arcendum Liuoniâ hoſtem exercitum pecuniâ è Theſauro Quartæ Rauenſis, accedente Senatus conſenſu, depromptâ, conductum ſubmiſerit, vnde felix & clara victoria cæſis hoſtibus prouenit. Parte aliâ, cùm Tartari hæreditarij huius Regni hoſtes, non fœdere, nec ſolitis donarijs contenti, vicinas ſibi prouincias infeſtarent, maturè præmoniti homines huic periculo opportuni, vt ſibi rebuſque ſuis conſulerent: Dux campeſtris ire obuiàm hoſti iuſſus, & reſiduum Quartæ Rauenſis, ad conſcribendum militem, impenſum: ſed in eo parum eſſe præſidij, cùm hoſtis maiora moliatur, quare & nobis inuigilandum, & ſeriò conſultandum, vt prouideri poſſit, ne tam frequentibus barbarorum incurſionibus Reſpublica pateat: pacem ſine armis confici & haberi non poſſe, fœdifragum hoſtem in ſuo nido quærendum, & ex eo exturbandum eſſe. Iam partæ nuper in Liuoniâ victoriæ inſiſtendum eſſe, nam hoſtis etſi recenti fractus clade, tamen ſpirat animo vltionem, claſſe armatâ mare obſidet, portus regni infeſtat: is quoque è malè parto regno, quod Regiæ Maieſtati iure hæreditario debetur, exturbãdus, & materia tot bellorum vno impetu exſcindenda. Id Regiâ in Sueciam profectione confici poſſe, modò Ordines Regni, dum tempus & occaſio vltro inuitant, & conſenſum in eam profectionem præbeant, & auxilium militi, qui proximè in Liuoniâ rem præclarè geſſit, meritaque ſtipendia prouideant; cæterùm inpoſterùm certa defendendæ Reipublicæ ratio inſtituenda eſt, vt ſine Comitiorum interuentu, periculis obuiàm iri poſſit; nam cùm certos hoſtes habeamus, præſidium quoque certum & expeditum in promptu vt habeamus, neceſſe eſt. Eius rei ſciſcendæ, vt Nuntij Terrarum plenam poteſtatem habeant, & poſtpoſitis commodiorique tempori reſeruatis cæteris minùs vrgentibus negotiis, huic vni pacis & ſecuritatis publicæ cauſâ vt prouideatur, ſummo ſtudio incumbendum. Fœdus cum nouo Moſchorum Principe contra communem hoſtem inire an expediat. Negotium quod Reipublicæ cùm Marchionibus Brandeburgenſibus ex cauſâ prætenſæ ab eis in feudum

Propoſita à Rege Ordinibus quæ in Comitijs veniebant tractanda. 7. Martij 1606.

dum Prussicum successionis intercedit, si ad effectum deduceretur, multum inde præsidij Reipublicæ accessurum, de quo proximis Comitijs tractatum, sed rebus infectis discessum erat: cura tamen ægri in Prussia Principis, ex consilio Senatorum à Rege Marchioni Electori commissa, idque ne iuribus Regni quidquam detrimenti adferret, sed eo ipso hactenùs magis nomine, quàm re, vsurpata illius Prouinciæ possessio inposterùm firmaretur, & non contemnenda Reipublicæ prouentuum inde accessio fieret, cautum & prouisum. Iam domesticis priuatorum dissidijs, pacem & securitatem publicam sæpiùs turbari, eò quòd nonnulli homines tantum audaciæ assumant, vt militem scribere, ac vlciscendarum iniuriarum prætextu, bello & acie alterum impetere, ac homines innoxios vltro citroque neci dedere præsumant: peccari eâ re in leges, ac magnum inde imminere Reipublicæ periculum, ni maturè, ne id fiat, prouideatur. Hæc ferè erant quæ per conuentus regni vniuersos nomine Regis proponebantur.

Sed omnium ferè oculi in Prosouicensis Conuentus euentum erant conuersi; quòd plerique rerum nouarum cupidi, iam anteà consiliorum Palatini Cracouiensis conscij, inde fore initium futuri motus non frustrà opinarentur. Postquàm dies agendo conuentui dicta aderat, Palatinus eodem maturè satis venit, sed ne quid nouum moliri videretur, vel potiùs vt non antè sua consilia in publicum proderet, quàm quorsum studia hominum propenderent, perspectum haberet; excusatione valetudinis vsus, tribus primis diebus domi se continuit; demum cùm multos suæ sententiæ suffragatores adesse, nec quenquam destinatis suis obuiàm iturum cerneret, progressus in medium, in hunc fere sensum verba fecit: Libenter in eo loco de ijs quæ à Regiâ Maiestate proposita sunt dixissem sententiam, & de communibus Reipublicæ periculis vobiscum initio cœpti conuentus consilia contulissem, nisi aduersa valetudo obstitisset; quæ cùm aliquantisper remiserit, muneris mei, quod in Patriâ sustineo, partes, vt teneor pro meo & erga Patriam & vos ipsos, quorum iussu huc veni, studio impleo. Et ne noui & ab hoc consessu alieni moris auctor sim, ea quæ à vobis dicta sunt retractando, vel meâ posteriori sententiâ immutando, capita legationis à Regiâ Maiestate propositæ non attingam: ea tantùm breui sermone complexurus, quibus ius Reipublicæ læsum cerno, vt quid de ijs existimem, pro fide & officio meo aperiam, cætera iudicio & arbitrio vestro relinquens. Non multis morabor, cùm pleraque quæ Rempublicam vrgent, per se pateant, & in hoc conuentu iam à nonnullis luculenter explicata sint: sed & in proximis Regni Generalibus Comitijs hâc de re actum, ac multa eiusmodi in medium adducta fuêre, quæsitaque postremò consilia, quibus iis malis obuiàm iri possit: sed cur incassùm bonorum studia & optimi conatus eo tempore ceciderint, paucis cōmemorabo. Quòd Respublica ius suum non obtineat, quodque multa in eâ non recto ordine fiant,

In Prosouicensem cōuentum omnium conuersi animi, & quare?

Quid in eo Palatinus Cracouiensis egerit.

Sermo ab eo in Conuentu Prosouicensi habitus.

fiant, in causâ sunt mali consiliarij; eius rei documento sunt agitata in proximis Comitijs consilia; nam cùm de ijs quæ Regia Maiestas nobis & Reipublicæ ex pacto præstare tenetur, ageretur; ita postremò conuenerat, vt ea quæ in potestate Regiæ Maiestatis essent, continuò præstarentur; ea verò quæ factu difficilia viderentur, vt Rex à Republicâ sibi remitti & condonare postularet. Non alienum animum ab eo consilio gerere Regia Maiestas videbatur, nisi mali consiliarij id præter dignitatem Regię Maiestatis fore persuasissent: eâ re animis hominum exacerbatis, comitia infectis rebus soluta, Respublica verò sine præsidio relicta est. Quantum inde detrimenti posteà euenerit, experta est Polonia, quæ proximâ æstate sæuis Tartarorum incursionibus, in extremam vastitatē, ferro & igne hoste barbaro in eam debacchante, redacta est. Nunc etiam homines ingenui fortunis omnibus exuti, maior pars in fœdam seruitutem abducta; matronæ honestæ (dictu nefandum) ludibrio habitæ, & quod inimico libuit passæ; discordiæ nostræ triste & lugubre præbent documentum. Iidem mali consultores, Regiæ Maiestati auctores fuerunt, vt eorum consilijs, qui cum prioris vxoris sorore matrimonium dissuadebant, spretis, deinceps quoque eorundem suasiones Reipublicæ salutares, abiiceret: neque de negotijs publicis ad eos referret. Ego ipse qui præsens, dum nonnullæ deliberationes transigerentur, in aulâ fui, quid de ijs statueretur nesciui: decretæ ad externos Principes legationes, factæ de Ducatu Prussię consultationes me præsente, & quid decerneretur ignorante: vobis itaque, Equites, inuigilandum est, ne Senatorum socordiâ, vel potiùs contemptu, Respublica detrimentum accipiat. Ab eodem malorum consiliorum fonte, promanauit hęc Regiæ Maiestatis ad nos legatio, in quâ pretermissis ijs, ob quæ ex pręteritis Comitijs, rebus infectis discessum est, hoc vnum vrgetur, vt Comitia inuitis, vel dissentientibus alijs concludantur. Formidolosum id cunctis, qui libertates Regni saluas esse cupiunt, qui, vt è diuersis locis mihi significatur, desperato felici Comitiorum euentu, sub finem eorum in aliquo vicino Varsauiæ loco, conuentum generalem indici flagitant; vt in frequentissimo illo equestris ordinis consessu, de causis quæ Comitia dissoluunt, cognosci, & quid in pręsentibus Comitijs tractetur, sciri, & cùm alia Reipublicæ negotia, tum hoc, quod cum Marchionibus Brandeburgensibus intercedit, expediri, ac cętera omnia ritè perfici: vel postremò, si consultationes in Comitijs propositæ effectum non sortirentur, ne quid ex eo Respublica detrimenti capiat, decerni & prouideri possit. Quod nisi fiat, actum est de libertatibus nostris, quibus labefactatis quid aliud nisi bellum ciuile, & Patriæ excidium expectamus? Horret animus, cùm ea quę imminent, & quę ex dissolutis sine fructu Comitijs euentura sunt pericula mecum reuoluo; sed si maturè ijs obuiàm eatur, non desunt ab institutis maiorum nostrorum, & ipsâ ęquitate petita subsidia, quę paucis hîc commemorabo. Senatores quos Ma-

Suadet conuentum generalem totius nobilitatis indicendum.

Maiores nostri legum custodes esse voluerunt, vt in aulâ Regiâ certo numero per vices pręsentes sint, eorum (absentibus nihilominùs consultis) consilio Rex vt Rempublicam administret: ijdem benè vel malè administratæ Reipublicę rationem reddere, ac ne quid per vim in leges peccetur, prouidere, tum & mali consilij auctores prodere teneantur. Deinde nos qui Senatorium munus sustinemus, seriò admonendi sumus, vt sacramenti, quo ad obeundam eam functionem obstricti sumus memores, officij nostri partes impleamus, & ne quid & in Reipublicę administratione, & in munere nostro desideretur, & vt ea quæ hactenùs, quominùs Comitia optatum effectum sortirentur, obstiterunt, tollantur, adnitamur. Idem quoque Nuntijs Palatinatuum iniungendum, peterent à Regiâ Maiestate, vt & officio suo & votis ac desiderijs nostris satisfacere vellet. Ceterùm non incongrua videtur ea nonnullorum de indicendo Generali Equestris ordinis conuentu flagitatio; nam eo modo multa absurda tolli, & labanti Reipublicæ subueniri posset, si hinc Senatorum & Nuntiorum; ab aliâ verò parte Equestris ordinis consilia rebus afflictis opem ferrent, & ea quę in Comitijs expediri non possent, censuræ & arbitrio nobilitatis permitterentur, ac inter alia de negotio quoque Brandeburgico, eadem ratione certi aliquid decerneretur, & hæc omnia Comitiorum demum auctoritate firmarentur, vel si Comitia non ex voto ceciderint, id saltem prouideretur, ne Respublica necessarijs præsidijs careat. Inter alia propositum est à Regiâ Maiestate de sciscendo in subsidium Reipublicæ tributo: Miror sanè, cùm ex præscripto legum Rex suis impensis nos tueri teneatur; adeò frequenter hoc tributum à nobis exigi, vt quotannis illud iam pendamus; quod si tamen vtiliter in vsus Reipublicæ impenderetur, Deum testor me illud libenter collaturum, sed vtcunque sit, ne deinceps quidem dare illud abnuam, si assensus aliorum interuenerit. Illud sanè mihi expedire videtur, vt Regia Maiestas admoneatur, ne hanc Regni partem multis periculis opportunam, Cracouiensem Palatinatum sine pręsidio relinquat: quod munus cùm mihi obeundum Sua Maiestas demandârit, ita illud sustinere animus est, vt non modò facultatibus meis, sed ne quidem vitę meæ, si eâ salus Reipublicę & vestra securitas repręsentari possit, parcere velim. Dictâ à Palatino in eum modum sententiâ, etsi ij qui Regiarum partium erant, minimè hoc indicendi priuatâ auctoritate conuentus institutum probarent; tamen cùm ea esset apud Equestrem ordinem Palatini auctoritas, vt cuncti ab ore ipsius pendere viderentur, ac ipse grata admodùm populo suaderet, nemo repertus est qui contradicere illi auderet. Quo successu ille elatus, mox in proximo Corcinensi Minoris Polonię Palatinatuum generali Conuentu, nobilitatis nomine palàm iam proponit edictum; quo vsurpatis ijsdem rationibus, quas Prosouicijs attulerat, hortatur omnes, vt qui saluam Rempublicam esse cuperent, ad Stęzicam (oppidum id Regium, sed Palatini ditionis aduita-

Residentiam Senatorum in aulâ Regiâ lege præscribendam suadet.

Pronis auribus accepta Palatini oratio.

Ad Stæzicam Conuentus totius minoris Poloniæ indicitur.

aduitalitio iure, quindecem milliaribus Varſauiâ diſtans) die nonâ menſis Aprilis frequentes adſint. Exeruêre animos qui dudum eam occaſionem ſibi dari votis expoſcebant, ſed præcipuè ij, qui in diuerſas de religione opiniones abierunt: nam cùm iſti ea, quæ hactenùs ad ſtabiliendas ſuas ſectas obtinere contendebant pacatis conſilijs & tranquillo Reipublicæ ſtatu aſſequi non poſſent, omneſque eo nomine facti conatus eorum in irritum reciderent, ampliſſimum campum ſe habituros exiſtimabant, per turbas & ſeditiones adipiſcendi ea, quæ tam diuturno tempore fruſtrà vrſiſſent. Pari ratione ij qui largiùs ſuo vſi, & per lucrum adeſis opibus ac abſumptâ re familiari, ad inopiam redacti extremâ ſpe pendebant, hoc illud tempus eueniſſe arbitrabantur, quo in locupletiorum fortunas inuolare, ac alieno malo perditis rebus ſuis conſulere illis liceret. Nonnulli etiam, ſuperiorum temporum recordatione gnari, pleroſque interregnorum occaſione, ex humili loco in altum prouectos, inani quoque rerum nouarum expectatione, parem fortunę ſibi ſucceſſum deſpondebant. Neque intereà deerant, qui per omnes Regni partes vel ſiniſtrâ Regiarum actionum interpretatione, vel vano metu terrerent & exſtimularent homines ignaros pleroſque quid ageretur, & quem ad finem conſilia nouo exemplo cœpta deſtinarentur.

Similiter ad inopiam delapſi.

Rex Cracouiâ Varſauiam profectus, indicta ad diem ſeptimum Martij obiuit Comitia; aderant frequentes Senatores, & Nuntij: ſed horum nonnulli noui motus initia animo agitantes, magis ad diſturbanda Comitiorum conſilia, quàm officium ſuum peragendum animati, & maioribus præter veterem conſuetudinem ſepti præſidijs, ad omnes occaſiones erant intenti. Ex ijs præcipui Ianuſius Radiuilius, Staniſlaus Stadnicius, & Adamus Goraiſcius Hæreticorum anteſignani, ſeditioſis vocibus palàm, quo eſſent in Regem animo, oſtendebant: cæteri his applaudentes, reliquos, quibus bonum publicum & pacata conſilia curæ erant, facilè opprimebant. Propoſitis demum à Rege ijs, de quibus in conſilium iri placeret, dictæ à Senatoribus de more primo loco ſententiæ, multaque præclarè ab ijs diſputata de concordiâ ordinum, de legum & libertatum prærogatiuis, de Reipublicæ noſtræ inſtitutis, & quibus fundamentis compages hæ nitantur: iam quæ Regis, quæ Senatus, quæ Equeſtris ordinis munia & functiones, oſtenſumque ad eam normam Rempublicam noſtram fuiſſe antiquitus redactam, vt libræ iuſtis ponderibus vtrimque inſtructæ, conferri rectè poſſit: eſſe Regem in medio, qui iuris & iuſtitiæ lancem teneat, ne extrema in aliquam partem deflectant: eſſe Senatorum munus, ne vel Rex à populo contemnatur, vel hic Regiâ potentiâ opprimatur; huic tam præclaro Reipublicæ inſtituto, egregiè in præſenti rerum ſtatu reſpondere omnia, vel ſi quid deſideretur, facilè ad priſtinam normam reduci poſſe, modò pacatè & ſine tumultu publica conſilia tractentur. Hæc tum multis verbis & ad mulcendas populi aures accommodatis orationibus dicta: ſed

Initium Comitiorum ſeptimâ Martij 1606.

In his Comitijs Ianuſij Radiuili & Staniſlai Stadnicij & Adami Corayſcij temeritas.

Senatorum ſententiæ.

poſtea-

posteaquàm Nuntij de more in partem secessissent, tractarique inter eos de ijs quæ proposita à Rege fuerant, cœptum, non ea modestiâ, ex quâ felix Comitiorum euentus sperari posset, egerunt: sed continuò non priùs de ijs quæ præsens rerum status postularet, se in consilium ituros declararunt, quàm Rex ea præstaret, quæ Reipublicæ ex pacto debet. Quæ res cùm mutuis inter Nuntios altercationibus exagitaretur; postremò eò ventum, vt ea omnia scripto comprehensa Regi ac Senatui offerrent. Longa eius rei series, quam in pauca redactam hîc inserere constitui.

Nuntij temerariè agunt.

Dicebatur inprimis pactis, quæ Rex Reipublicæ spopondisset, maiori ex parte hactenùs satisfactum non esse. Conditiones secundùm quas dudum Henricus Rex se regnaturum promisisset, & quibus Rex quoque teneretur, postponi: & potissimùm in eo illis non stari, quòd cùm Senatorum certus numerus ex præscripto earum Regi ad moderanda publica consilia præsens semper adesse deberet, Rex ijs neglectis, Reipublicæ negotia & magni momenti consultationes priuatâ auctoritate expediat. In iure dicendo moram fieri, & iustitiam protrahi. Cùm Rex suo sumptu fines Regni tueri teneatur, nihil ab eo in eum vsum ex priuato peculio impendi, sumptus omnes ex tributis (quibus continuò conferendis miseri homines nimiùm grauantur) vel ex Quartæ Rauensis pecuniâ, tam in ordinarios, quàm extraordinarios vsus fieri, & rebus demum perditis sera auxilia parari. In conferendis Magistratibus quos vacare contingit, Regem longâ vltra præscriptum legum vti procrastinatione. Thesauri Regni Supremi Præfecti ius & potestatem in eo violari, quòd cùm leges iubeant, vnum esse debere Regis & Reipublicæ peculium, ex consilio senatus, & mandato Regio, per Thesauri Magistrum in vsus publicos impendendum, nunc publica pecunia à priuatis hominibus tractetur, & ad arbitrium Regis distrahatur; inde fit vt vacuo ærario, cùm vsus & necessitas poscit, Respublica præsidio & subsidio destituatur, & ob egestatem splendor & dignitas Regni diminuatur. Tardâ Estoniæ cum Regno vnione factum, vt in possessionem illius Prouinciæ Respublica venire non potuerit. Pari ratione prono Regiæ Maiestatis in exteros fauore, Liuonia in discrimen adducta, quòd hominibus nomini Polono inimicissimis, prædia & possessiones eius Prouinciæ, Regio beneficio maiori ex parte, Polonis & Lithuanis exclusis, attributæ fuerint: quorum dubiâ & fluxâ fide hostis abusus, tantum negotij Reipublicæ facessit. Arces quinque, quas Rex ad arcendos Tartaros locis opportunis se constructurum recepit, hucusque ne ædificari quidem cœptas. Iam quòd superiori anno Tartari impunè Russiæ Prouincias depopulati sint, id ob eam causam factum esse, quòd Rex solita præsidia inde deduxerit, & nec donatiuum Tartaro, nisi serò admodùm, nec ad Turcarum Imperatorem renouandi fœderis causâ, Legatum hactenùs miserit. Cura ægri in Prussiâ Ducis, cùm an ea Brande-

Scripto comprehensa quæ à Rege petebantur.

De pactis inter Regem & Rempub. constitutis.

De residentiâ Senatorum.

De iure dicendo.

De conferendis magistratibus.

De Thesaurario Regni.

De Estoniâ Poloniæ vniendâ.

De Liuoniâ.

De quinque arcibus ædificandis.

De Tartarorum incursione.

De curâ Prussiæ Ducis.

burgico

burgico Marchioni committenda foret, publicè tam Senatorio, quàm Equeſtri ordine id negotium pertractandum, in proximè præteritis Comitijs propoſitum fuiſſet, eo non deciſo, à Regiâ Maieſtate priuatâ auctoritate ad eumdem Marchionem delata. *De vectigalibus.* Vectigalium auctione creſcente, rerum quæ venum aduehuntur pretium creſcere, nec mercatores tantùm, ſed nobilitatem quoque eâ re grauari. *De nummis adulterinis.* Nummos adulterinos, à priuatis impunè ſignari, & publicè cuſos pondere & grano iuſto valori non reſpondere, atque eâ ex re incredibili damno Rempublicam affici. Priuilegium contra ius, quo vetante Rex nec augere nec imminuere magiſtratuum officia poteſt, Iungæ cuidam externo homini datum, quo iuriſdictio in Scotos illi permiſſa eſt, id vt abrogetur. *De magiſtratibus in Pruſſiâ conferendis.* In Pruſſiâ, Rege conniuente, ad Magiſtratus aditum & dignitates, qui Pruſſis in Poloniâ omni ſublato diſcrimine patet, Polonis viciſſim præcludi. *De luſtratione bonorum Regalium.* Luſtrationem bonorum Regalium, lege ſancitam quæ ſingulis quinquennijs fieri deberet, intermitti. *De Commiſſionibus finium regundorum.* Commiſſiones ad fines regundos ſpiſsè dari, & Decreta Commiſſariorum varijs artibus eludi, ac Regijs mandatis infeſta reddi. *De auctoritate Decretorũ Tribunalis Regni.* Decreta Supremi Tribunalis quorum ſacroſancta deberet eſſe auctoritas, Curiæ Regiæ contrarijs Decretis abrogari, ac nobilitatem citationibus Regijs euocatam, de bonis etiam hæreditarijs, probationibus ex Archiui Regij ſummarijs indicibus, dudum legibus abrogatis petitis, in diſcrimen venire. *De officijs & beneficijs incompatibilibus.* Magiſtratus diuerſæ functionis, & beneficia ſecularia cum regularibus ad vnum deferri, & diſtincta officia confundi. Abbatum eligendorum ius violari. *De Regio diademate aſſeruando.* Clauſtra quibus Diadema Regium obſeruatum eſt, ſine ſcitu eorum, quorum fidei id commiſſum eſt, reſerari. *De Præfectis arcium finitimarum.* Arcium finitimarum Præfectos, turmis militum præfici. *De Priuilegijs quæ Liuoniam concernunt.* Nouis, quæ ex Cancellariâ Regiâ in contrarium eduntur, priuilegijs vetera reſcindi, & in ijs quæ in Liuonicis cauſis ſcribuntur, appendicem, quâ iuribus Romanæ Eccleſiæ peculiariter cauetur, periculosè adijci, cùm verendum ſit, ne eo prætextu Prouincia illa, quondam Eccleſiaſtici iuris, ſed annuente Gregorio XIII. Summo Pontifice, eo abrogato, erecto tantùm in locum exſtinctorum ſacerdotiorum Epiſcopatu Vendenſi, Regno vnita, in diſcrimen, & ius Regni ancipitem diſquiſitionem veniat. *De Legationibus extra regnum mittendis.* Legatos inſcio ſenatu extra Regnum mitti. *De diuerſorijs tempore Comitiorum.* In aſſignandis hoſpitijs Varſauiæ, dum Comitia habentur, in ciuium ædibus, nec Senatorum, nec Nuntiorum dignitatis rationem haberi; ſed priuatos nonnullos longè commodiùs, quàm eos qui vniuerſam Rempublicam repræſentant, collocari. *De diſcordijs inter diſſidentes de religione componendis.* Diſcordiam inter de religione diſſidentes non componi, nec pacem, interpoſitis pœnis, quibus vtraque pars in officio contineatur, ſanciri. *De compoſitione inter ſtatus.* Vt ſacri & profani Ordinis homines, de ijs quæ vtriuſque partis iuris prætextu in controuerſiam vocantur, conueniant, ac finem litibus quibus Reipublicæ negotia ſæpè impediuntur imponant, à Regiâ Maieſtate, quod Regij muneris ſemper fuit, ſedulò non curari; id magnâ Equeſtris ordinis iniuriâ fieri:

quòd

quòd is & decimari ſuos prouentus pati, & iudicato parere cogatur; cùm contrà ſpirituales prouocationibus ad Curiam Romanam inſtitutis, in cauſis, in perſonas eorum directis, litis actiones facilè eludant: Nobilitas verò non pari, vt ſpirituales, præſcriptionum beneficio gaudeat, & non modò iurium patronatus prætextu, ſed alijs prætereà ex cauſis in ius vocetur, ac bonis etiam, quæ ſpirituales emptionibus & cohæreditatibus, violentis ſcultetiarum ademptionibus, occupantes, iuri Eccleſiaſtico contra leges adſcribunt, exuatur. Iuſtam ex eo habere conquerendi Equeſtrem ordinem cauſam, quòd Reipublicæ patrimonium magnâ ex parte in priuatos Regis vſus redactum ſit, ac benè meritorum præmia fiſcus occupet. Nobiliorum & opulentiorum Præfecturarum, quibus onus iuriſdicendi incumbit, prouentus vel in partes diſtrahi, vel in priuatum Regis ærarium inferri. Bona, quæ caduci iuris dicuntur, ad externos deferri; homines verò nobiles, qui totâ ætate Regis & Reipublicæ negotijs impensâ, patrimonij & rei familiaris iacturam fecerunt, egere. Eſſe prætereà complura quæ maiorem, quàm hactenùs adhibità eſt, Regis curam deſiderant, tot ſalutares leges, quæ de inſtituendis emporijs, fluminum accommodandis nauigationibus, de corrigendis ſtatutis, quibus iura Regni continentur, de componendis cum externis Principibus, occaſione Regni limitum ortis, diſcordijs, vtiliter latæ ſunt, & quorum executio dudum magno omnium deſiderio flagitatur, neglectæ. Peti à Regià Maieſtate, vt ad ea omnia præſtanda & efficienda animum adijcere, & eo ipſo non modò muneri ſuo & promiſſis iuriſiurandi ſacramento firmatis ſatisfacere, verùm etiam ſubiecti ſibi populi ſtudia, in ſui & Patriæ amorem excitare velit. Hoc poſtremò Equeſtrem Ordinem à Senatu poſtulare, ſuam apud Regiam Maieſtatem auctoritatem interponere velit, ne in ijs quæ propoſita ſunt, & quæ vniuerſæ nobilitatis vota & deſideria expoſcunt, præſtandis moram faciat. Tam prolixæ & diu meditatæ Nuntiorum petitioni, non facilè, niſi re maturiùs expenſâ, reſponderi poterat. Igitur rogatis Senatorum ſententijs, cùm ſinguli quid hac de re ſentirent, prompſiſſent; poſtremò in eum modum ſcripto reſponſum eſt. Ea quæ per Nuntios propoſita ſunt accipere Regiam Maieſtatem in optimam partem, & paterno planè affectu; optaſſe quidem Regiam Maieſtatem, vt ita ſubiecto ſibi populo præeſſet, ne quâ ex parte officio ſuo deeſſe videretur, & ne æquabilis ipſius Imperij ſtatus in odium cuiuſquam veniret; ſed nullum eſſe ita perfectum, vt non interdum offendat, idque in eis potiſſimùm euenire, qui cæteris eminent: communem eſſe eam Regum ſortem, quam cùm Regiæ quoque Maieſtatis deceſſores experti ſint, eandem Regiæ Maieſtati ſubeundam eſſe. Cæterùm quò candidus & ſyncerus ipſius animus cunctis pateat, paucis ad ea quæ propoſita ſunt reſpondere, ac ſimul volun-

De iuſtitià diſtributiuà.

Reſponſum Regium ad ea quæ à Nuntijs poſtulabatur.

tatem ſuam declarare, palamq́ue facere, quid eorum præſtiterit, quæ adhuc deſiderantur, quid poſtremò, quominùs nonnullis ſatisfiat, impedimento ſit. Non negare Regiam Maieſtatem ſe ad præſtanda ea, de quibus pactis electionis cautum eſt, teneri. Eorum primum erat de ineundâ contra communes vtriuſque Regni hoſtes ſocietate, non per Regiam Maieſtatem hactenùs ſtetiſſe, quominùs id effectum ſortitum fuerit, ſed quòd Regnum illud ipſius hæreditarium in alienam poteſtatem venerit. Ideò factum eſſe, quòd Regia Maieſtas, eo tempore, quo mortuo parente ſuo, permittentibus Regni ordinibus, profectionem ſuam in Sueciam, adeundæ illius regni poſſeſſionis causâ inſtituerat, rebus ibi nondum conſtitutis, periculis huius Regni (quæ ob Tartarorum per fines Podoliæ in Hungariam tranſitum imminebant) admonita, maturiùs inde, incerto adhuc & nondum firmato illius regni imperio, ac dubiâ ſubditorum fide, excedere coacta fuerit. Eſtoniam vt viuente & rerum potiente patre regno vniret, Regiam Maieſtatem nec ſi vellet potuiſſe, nec fuiſſe obligatam. Eo vitâ functo, quòd Carolus cupiditate regnandi accenſus, ex eâ occaſione initium turbarum quæreret, in primis, quæ poſt reditum Regiæ Maieſtatis celebrata ſunt, Comitijs, placuiſſe Regni ordinibus hanc Eſtoniæ vnionem aliquantiſper non vrgeri: verùm cùm Regia Maieſtas videret Carolum ſuâ in eum indulgentiâ deteriorem fieri, & palàm regnum affectare, Anno demum Milleſimo ſexcenteſimo primo, datis eo nomine diplomatibus, Prouinciam eam pleno iure regno Poloniæ attribuit, quod licet maturiùs etiam feciſſet, perinde tamen vt nunc armis ea vindicanda fuiſſet. Claſſem & promiſſa tormenta bellica, niſi recuperato Sueciæ Regno haberi non poſſe: erepta quidem Moſcho ad Vendam tormenta pridem in Regnũ illata eſſe. Pecuniam quam Sigiſmundus Auguſtus Regi Sueciæ debebat, remiſſam dudum eſſe; ſimulq́ue penſionibus Neapolitanis Regiam Maieſtatem Reipublicę ceſſiſſe. Arces quinque, quòd opportuna, in quibus eæ conſtitui deberent loca, non tam facilè commonſtrari poſſint, vel priuatorum poſſeſſionibus occupentur, hactenùs non eſſe conſtructas: ſed nullã in eo Regis culpam, eum & nunc paratum eſſe ad id præſtandum: modò ne ij impediant, qui priuati commodi causâ, ne fieret, hactenùs obſtiterũt. Exteros homines, qui aliquo Magiſtratu fungerentur, nullos à Regiâ Maieſtate eſſe inductos, paucis Suecis exceptis, quorum operâ in Sueticis negotijs explicandis vtitur. Cohortem ad corporis cuſtodiam ex Polonis, Pruthenis, & Liuonibus, qui omnes ciues Regni ſunt, conſtare. Præfectũ eorum eſſe Boianouium in Poloniâ nobili loco natum. Peditatum eundem, quem Rex Stephanus habuerat, eſſe, paucis in demortuorum loca, ijſq́ue ferè Polonis ſubſtitutis: eorum Præfectum Hungarum quidem eſſe, ſed fide conſpicuâ, & de hac Republicâ multis expeditionibus ita meritum, vt cùm iam domicilium hîc fixerit, de donando eo iure

Cur ſocietas intra Sueciæ Regnum & Poloniæ contra communes hoſtes init non fuerit.

Rex commodis Poloniæ conſulendo res Sueticas incompoſitas reliquit.

De Eſtoniâ Regno Poloniæ vnienda.

De claſſe maritimâ in portus Polonicos deducendâ.

Debitum Regno Sueciæ.

Penſiones Neapolitanæ.

Cur arces in confinijs non ſint constructæ.

Nulli ſunt externi qui aliquo in Poloniâ Magiſtratu fungantur.

Cuſtodes Regij corporis omnes ciues Regni Poloniæ.

Præfectus peditum Hungarus quidem, ſed expertæ ſidei.

iure ciuitatis anteà deliberatum ſit ; ſi tamen vt is ab eo officio amoueatur, omnino contendant, in eo Regiam Maieſtatem non fore difficilem. Æs omne alienum, tam militibus, quàm perſonis priuatis publicè debitum, iam ſolutum eſſe, ita vt nemo eo nomine queratur. Vt inter eos qui in religione diſſident pax & concordia conſeruaretur, omnem operam à Regiâ Maieſtate adhibitam hactenùs fuiſſe ; vt verò formula certa, ex quâ ius eo nomine læſis redderetur, præſcribatur, omnium ordinum conſenſu opus eſſe. Pari modo earum, quæ inter ſecularem & Eccleſiaſticum ordinem intercedunt controuerſiarum ſopiendarum rationes, non niſi cunctis conſentientibus iniri poſſe ; proponant modò ordines media, quibus id effici poſſit, curaturam Regiam Maieſtatem, vt ea ad effectum deducantur. Inuitis ſanè & refragantibus leges imponi, aut quidpiam ſtatui, non eſſe ex vſu huius Reipublicæ, cuius libertates & prærogatiuas ſingulorum ordinum Regia Maieſtas ſecundùm datam in coronatione fidem non modò integras conſeruat, ſed & ſartas eſſe cupit. Et quoniam ijſdem pactis eæ quoque conditiones, quæ Henrico Regi, dum ab ordinibus in Regem eligeretur, oblatæ erant, & per Stephanum approbatæ ſunt, continentur, Regia Maieſtas ijſdem quoque ſe teneri cùm non ignoraret, idcirco quantum in illâ fuit, vt illis ſatisfieret, contendit. Saluum inprimis eſt ius Regis liberè eligendi, cùm & hæreditarium Regni titulum Rex minimè vſurpet, & illo ex hâc luce ſublato, alterius liberis ſuffragijs ſubſtituendi plena ordinibus relinquatur facultas. In admittendis externorum Principum Legatis, ſuiſque ad eos mittendis, eum modum tenet ſemper Regia Maieſtas, vt quemadmodùm iura Regni præſcribunt, quæ vniuerſam Rempublicam concernunt, de ijs ad publica comitia referat : quæ verò vel diuturnam moram non patiuntur, vel ad priuatum præſentium in aulâ Magiſtratuum conſilium pertinent, ea exploratis eorum, & reliquorum Senatorum, qui tum interſunt, ſententijs expediat. In indicendis bellis, iubendâque publicâ expeditione, nihil hactenùs à Regiâ Maieſtate præter leges Regni factum. Quod verò attinet finium Regni defenſionem ordinariam, cuius ſuis viribus & priuatis copijs ſuſtinendæ onus, tam Stephanus Rex, quàm ipſamet Maieſtas Regia, in ſe ſuſcepiſſe videri poſſit ; cupere Maieſtatem Regiam vt expenſis, atque etiam excuſſis Regni vectigalium & prouentuum rationibus, ordines diſpicerent, num Regia Maieſtas, etiamſi vellet id præſtare, poſſet. Non eam eſſe præſenti rerum ſtatu, horum, quibus ærarium continetur, redituum rationem, vt & Regiæ Maieſtatis dignitati tuendæ, & alendo tanto exercitui, qui fines Regni perpetuò defendat, ſufficiant. Longè factu facilius id maioribus Regiæ Maieſtatis fuiſſe, qui ſolidos Præfecturarum prouentus in ſuâ poteſtate cùm haberent, ad ſuum itidem arbitrium in vſus Reipublicæ eos expendebant : nunc beneficio & liberalitate Regum, tribus, vel

Stipendia militibus perſoluta.

Quâ ratione pax inter diſſidentes de religione conſeruanda.

Præſcribendi modi quibus compoſitio inter ſtatus ineunda.

Iiſdem conditionibus tenebatur Rex Sigiſmundus, quibus Henricus Andegauenſium Dux fuit in Regno Poloniæ electus.

Ius eligendi Regis Polonis ſaluum.

Quid in mittendis vel recipiendis Legationibus Rex faciat.

In bellis indicendis nihil præter leges factum.

Defenſionem ordinariam finium quare Rex non præſtet.

quatuor eiuſmodi redituum portionibus, priuatis perſonis attributis, ac Quartâ Rauam inferri iuſsâ: reliquum quod ſupereſt priuatis Regiæ Maieſtatis vſibus, publiciſque impenſis, ſi quis ordinarios atque extraordinarios Regiæ Maieſtatis ſumptus ad calculum reuocet, vix ſufficit. Nec à Stephano Rege, licet is quoque idem ſe facturum recepiſſet, hoc poſtulatum fuit; nimirùm eiuſmodi promiſſiones, in Electionibus Regum exactæ, eâ conditione factæ fuiſſe intelliguntur, vt eas in tantum Rex præſtare teneatur, quantum rationes ærarij & prouentuum ferant: quæ cùm opinione minores ſint, durum ſanè & minimè decorum, nec Reipublicæ tutum foret, id à Regibus expoſcere, quod illi nequaquàm præſtare poſſint. In ſententijs Senatorum, vbi diſcordes fuerint, conciliandis, Regiam Maieſtatem eâ vti moderatione, vt non antè vel Senatusconſultum perſcribi, vel in priuatorum cognoſcendis, iudicandiſque cauſis decretum ferri decernat, quàm diſſentientium ſententias, iteratis earum rogationibus ſimiles & conformes efficiat. Placere Regiæ Maieſtati vt Senatores certo numero per vices deſignentur, vt præſentes in aulâ ſint, & non modò conſilij copiam faciant, verùm etiam dignitati Regis inſeruiant. Neglectum id hactenùs non Regiæ Maieſtatis culpâ, ſed magis eorum, qui huic muneri deſtinati quotannis erant, negligentiâ: daturum inſuper ex ærario ſuo illis annuam penſionem pollicetur. In indicendis tempeſtiuè Comitijs omnia ex præſcripto legum fieri. Annulo & ſigillis, in ſignandis tam literis quàm diplomatibus, non alijs Regiam Maieſtatem, niſi quæ fidei Cancellariorum tam Regni Poloniæ, quàm Magni Ducatus Lithuaniæ concredita ſunt, vti. Numerum Magiſtratuum legibus & conſuetudinibus Regni præſcriptum, nec minui nec augeri, ac vt ij ſuo munere fungantur, Regiam Maieſtatem minimè impedire. Quod verò attinet Theſaurarium Regni, is ſi præſens in aulâ eſſet, nemo alius illius officium vſurparet; illo abſente, non ferunt publicę rationes, vt minutiora quæque negotia ad eum referantur: ſed & huic rei facilè medebitur, Curię Theſaurario, qui illius maioris vices obeat, conſtituto. De mineris in priuatorum fundis inuentis interceptis, neminem eſſe qui queri poſſit. Ne interpretatione ex iure Cæſareo petitâ, Regni leges ac Priuilegia Regumque donationes in alienum ſenſum detorqueantur, Regiam Maieſtatem diligentem ſemper operam dediſſe. In ineundo matrimonio nihil à præſcripto legum Regiam Maieſtatem receſſiſſe; ſed conſulto primùm Senatu, cùm longè maior eius pars conſentiret, eorum ſententiam ſecutum eſſe. Diadema quo Reges inſigniri ſolent, in Theſauro Regni, eorum quibus id munus incumbit, cuſtodiâ aſſeruari. Reliqui eiuſdem generis articuli, qui Regi Henrico oblati fuiſſe dicuntur, cùm nunc in quæſtionem non vocentur, nullâ diſquiſitione indigent. Ad ea de quibus prætereà Nuntij queruntur, ita reſponderi.

Quid diſcordantibus Senatorum ſententijs Rex facere ſoleat.

Vt Senatores per vices reſideant apud aulam placere Regi.

In indicendis Comitijs Rex ſequitur præſcriptum legum.

Sigillis Cancellariorum diplomata & literæ ſignantur.

Numerus Magiſtratuū imminutus habetur.

Ad Theſaurarium ab aulâ abſentē minutiora negotia nequeunt referri, proinde curiæ Theſaurarius conſtituendus.

Mineris nemo priuatus.

Legum Polonicarum nunquàm ex iure ciuili petitur interpretatio.

Rex matrimonium inijt ex ſenſu maioris partis Senatus.

Diadema Regium habetur ſub eorum cuſtodiâ quibus id incumbit.

In primis in iure dicundo eam à Regiâ Maiestate seruari æquitatem, vt nec sedula diligentia, nec accurata deliberatio desiderari possit: non temerè, sed iterum atque iterum exploratis Senatorum sententijs decretum ferri, ac interdum, idque grauibus de causis, cùm vel id de quo agitur non satis liqueat, vel discordes de eo sint sententiæ, illud non perscribi; non abnuere quin aliqua, quæ emendatione indigent, in accommodandâ formulâ Iudiciorum, corrigantur; ac quod ex ordine ius vnicuique reddatur, parque omnium ratio habeatur; ac is index, ex quo in ius partes citantur, diligenti Referendariorum inspectione conscriptus subinde non mutetur. Quod hactenùs seruatum fuisse Regia Maiestas existimat: nisi quòd interdum vel egentium causæ, vel maioris momenti, & ad exemplum pertinentes, vel nonnumquàm etiam ipsismet Nuntijs flagitantibus ex ordine excerptæ, atque alijs prætermissis iudicatæ sint, idque ne aliquando eueniat, satis caueri non posse. Temerè existimari pecuniam ex tributis publicè scitis collectam, & eam quæ ex quartâ Regiorum prouentuum parte, Rauam quotannis infertur, non rectè administrari, & in vsus priuatos potiùs quàm publicos erogari: nam rem eam secus se habere, rationes Thesaurarij, quæ Nuntijs excutiendæ relinquuntur, ostendent. Non diffiteri Regiam Maiestatem Rauensem pecuniam non in eum modò militem qui in Russiæ finibus excubias agebat, sed in Liuonensem quoque erogatam esse, sed lege, dummodò id ex consilio Senatus fiat, non vetante, & ingenti periculo vrgente id factum fuisse. Iam verò quòd miles hyberna in Poloniâ egerit, datum id esse precibus Nobilitatis Russicæ, quæ militaris eiusmodi custodiæ sibi molestæ pertæsa, petijt, aliquot anteactis Comitijs, vt is inde abduceretur. Vacui Magistratus si qui fuerunt, ante Comitia eos iam, subrogatis tempestiuè in defunctorum locum alijs, expletos esse; si qui præterea proximè fato functis illis qui eos gerebant, adhuc vacant, durantibus Comitijs, personis idoneis Regiam Maiestatem collaturam. Hominibus peregrinis, qui ciues Regni non essent, nullas hactenùs possessiones in Liuoniâ concessas esse; in eoque strictè scitam hac de re legem seruari: arces quasdam quas nonnulli Liuones fidem Regiæ Maiestatis secuti, Ioanni Zamoscio belli supremo Duci dediderunt, eorumdem fidei, quòd ita Zamoscio visum foret, concreditas, nec quidquam præterea quod meritò reprehendendum foret, adferri posse. Qui apud Turcarum Imperatorē legationis munere ex dignitate Regis & Regni fungerentur, non facilè reperiri potuisse; hunc ipsum qui eò iturus est, morbo tardatum quominùs maturè proficisceretur; ne quid tamen ex eâ causâ Respublica detrimenti caperet, missis ad eundem Imperatorem frequentibus Nuntijs, qui moram hanc excusarent, sufficienter Regiam Maiestatem prouidisse. Frequentes Tartarorum in Podoliam excursiones, vetus à longè maiorum memoriâ, quàm Regiâ Maiestate Imperium moderante, illius Prouinciæ malum immeritò Regię Maiestati

In iure dicendo quem modum Rex teneat.

Causæ egentium vel maioris momenti aliquando nō seruato ordine iudicantur.

Pecunia contributa vel ex quartâ Rauensi in publicos vsus conuertitur.

Cur miles in Poloniâ hyemauerit.

Vacantes magistratus omnes distributi.

In Liuoniâ nullæ possessiones nisi ciuibus Poloniæ Regni dantur.

Cur Legatus ad Turcarum Imperatorem tardiùs missus; prouisum tamen ne quid inde damni eueniat.

Cur Tartarorum incursiones cohiberi non possint.

ſtati imputari: cùm hoſtis ille nec fœdere attineri, nec oblatis etiam donatiuis, vbi luculenter prædæ ſpes & occaſio inuitauerit, deuinciri poſſit. Quieuerant ij aliquantiſper domeſticis fortè motibus retenti, ſiue vt cùm minùs timerentur, incautos & ſecuros inuaderent, fineſque nouis colonijs completos, atque antè deſertos, nunc cultos longè lateque ſub ipſum ferè hoſtis aſpectum procurrentes campos faciliùs incurrerent. Negotium Pruſſicum ita à Regiâ Maieſtate tractatum eſſe, vt nihil temerè vel minùs conſideratè quidquam in eo factum ſit, ſi quis recto iudicio illius progreſſum expenderit, facilè animaduertet. Nã conceſſionis feudi à Sigiſmundo Auguſto in Petricouienſibus & Lublinenſibus publicis Regni Comitijs domui Brandeburgicę factæ, & ſubſequentium Regum non dubio aſſenſu firmatæ, approbationem, quæ magnâ Regum & Principum Chriſtianorum ſuffragatione petebatur, cùm Regia Maieſtas ſine omnium Ordinum ſcitu & conſenſu concedi non poſſe videret, quamprimùm eo nomine publicis legationibus appellata fuit, ad omnes Regni particulares Nobilitatis conuentus de eo retulit, vt quid hac de re ſtatuere vellent, communi omnium ſententiâ decernerent. Curam verò ægri in Pruſſiâ Ducis vt deferret, ſibi iure & exemplo licuiſſe Regia Maieſtas exiſtimat; cùm & vſurpatâ in Regno, ac legibus etiam firmatâ conſuetudine, Regij iuris ſemper fuerit, prouidere ægris & pupillis curatores: & nouiſſimè Stephanus Rex, eo ipſo prætextu eandem ægri in Pruſſiâ Ducis curam Anſpachio, nullis adiectis conditionibus, liberam & immunem contulerit. Sed nec eo etiam iure temerè ſibi vtendum, atque ideò totum hoc negotium proferendum, donec de illâ in controuerſiam vocatâ feudi conceſſi approbatione tranſactum fuiſſet, Regia Maieſtas putauit. Cęterùm cùm aliquot Regni Comitijs, in quibus citrò vltroque allatis rationibus de iure eius feudi diſputabatur, nihil certi de eo ſtatui potuiſſet, hancque moram Elector Brandeburgicus in derogationem prętenſi iuris ſui fieri interpretaretur, atque per Oratores ſuos, Galliæ & Danię Regum, atque primariorum Germaniæ Principum adiunctâ interceſſione ſedulò reſponſum vrgeret, Regia Maieſtas ne ſi tanti nominis Principes morâ reſponſi contemnere videretur, noui & inſperati belli Reipublicæ cauſam pręberet; cùm proximè præterita Comitia, nonnullorum diſſenſu, rebus infectis diſſoluta fuiſſent, ex Senatus, qui tum frequentiſſimus, ac penè eodem numero, quo Comitia obiri ſolent, erat, conſilio, eam ineundam ſibi rationem exiſtimauit, vt ſimul & petitioni tantorum Principum aliquâ ex parte ſatisfaceret, & ius Regni veteremque illius Prouinciæ poſſeſſionem firmiorem certioremque redderet. Conditionibus igitur interpoſitis, quibus & ius directi dominij, nomine magis anteà quàm re vſurpatum firmaretur, & Reipublicæ ærarium impoſito ei Prouinciæ ſtipendio, non mediocria incrementa ſumeret, hæc ipſa cura & adminiſtratio illius Ducatus Electori Brandeburgico permiſſa eſt, veteri de iure

Quid in negotio Pruſſico à Rege factũ.

Aegro in Pruſſiâ Duci iure ſuo Rex vſus curatorẽ dedit.

& quas ob cauſas.

iure feudi diſceptatione, quæ Regni Ordinum in Comitijs generalibus cognitioni reſeruatur, indeciſâ manente. De eorum, qui publica vectigalia exercent, iniurijs & iniquitate, vetus & non noua, atque adeò orbis vniuerſi eſt querimonia: ei vt Regia Maieſtas mederetur, præcipuis è Senatu, inter quos Archiepiſcopus Gneſnenſis & Epiſcopus Cuiauienſis alijque magni nominis fuêre Senatores, demandauit, vt cum Theſaurario Regni tam vectigalium Præfecti, quàm mercatorum rationes inſpicerent; ijſque excuſſis, atque etiam Priuilegijs & immunitatibus Ciuitatum inſpectis, omnia ad veterem conſuetudinem reuocarent: grauiter & exactè id negotium ab eis tractatum, poſteà ad Regiam Maieſtatem remiſſum, cum eâ tamen ſignificatione, vt immeritò mercatores queri compertum per eos fuiſſe oſtenderetur. Propoſita & audita fuit hæc cauſa in poſtremis Cracouienſibus Comitijs, quæſita media; ſed cùm mercatores illud vnum, vt ab omni penè vectigali immunes eſſent, in fraudem & detrimentum fiſci, quo potiſſimùm Reipublicę rationes nituntur, contenderent, nihil certi ſtatui potuit. Certa nihilominùs formula, ſecundùm quam & ij qui publicis vectigalibus præſunt, illa exigere, & mercatores illa pendere debeant, auctoritate Comitiorum Varſauienſium anno Milleſimo ſexcenteſimo primo ad normam veteris à Sigiſmundo I. inſtitutæ præſcripta eſt, in quam ſi quid fortè peccaretur, id iure cuique læſo vindicandum relinquitur. Vt moneta ſub nomine Regio ſignato iuſto pondere & valore examinata cudatur, publicis monetarijs à Regiâ Maieſtate iniunctum eſſe; ſed eâ re parum profici, niſi in eos qui priuatâ auctoritate falſam cudunt monetam, ſeriò animaduertatur: quod factu difficile, quia præcipui falſarij eo nomine infames, nobilitatis prætextu pœnas legum eludunt, nec eius criminis, niſi per teſtes genere nobiles, conuinci poſſunt: id verò fieri non poteſt, cùm ij operâ potiſſimùm vilium & ignobilium perſonarum ad eiuſmodi facinora abutantur: quorum nonnulli ſceleris conuicti dederunt pœnas; auctores, qui Equeſtris ordinis ſunt, omnibus legibus ſoluti, abſque metu impunè abeunt: nouæ itaque ſanciendę leges & pœnæ forent, quibus, ſublato nobilis & plebeij diſcrimine, cuncti tanti criminis rei tenerentur. De Iungæ priuilegio causâ cognitâ, id quod æquum fuerit decernetur. Vt pari iure Poloni in Pruſſiâ, quo Prutheni in Poloniâ quoad dignitates & Præfecturas adipiſcendas gaudeant, vbi eâ de re inter ordines conuenerit, Regiam Maieſtatem omnium conſenſui ſuam voluntatem libenter accommodaturam. Non obſtare Regiam Maieſtatem, quin quod leges iubent, ſingulis luſtris Regia bona cenſeantur: id ob eam cauſam hactenùs intermiſſum eſſe, quòd Comitia rebus plerumque infectis diſſoluantur: darent operam Nuntij ne id in præſentiarum eueniat, ſed omni ex parte Reipublicæ prouideatur, & hi etiam, qui hoc munus cenſendorum bonorum obeant, auctoritate Comitiorum deſignentur. Ad fines, vbi ij inter Regios

De vectigalibus mercatorum querela;

ſed iniuſta.

De monetâ.

Cur falſarij qui adulterinam pecuniam priuatim cudunt non caſtigentur.

De Iungæ priuilegio.

Polonis in Pruſſiâ & Pruthenis in Poloniâ adipiſcendi dignitates par ius.

Placere Regi vt bona Regia ſingulis luſtris luſtrentur.

De commissionibus finium regundorum. Decreta Cōmissariorum & supremi Tribunalis in dubium numquàm vocantur.

gios & priuatorum agros controuersi fuerint, disterminandos, mandare Regiam Maiestatem, vt poscentibus Commissiones è Cancellaria extradantur. Decreta quidem ab istis Commissarijs legitimè lata, quemadmodùm & ea, de quibus queruntur supremi Tribunalis Regni, fuisse aliquando vel in dubium vocata, aut contrarijs Regiæ Curiæ decretis abrogata; pari modo quæ sint istæ Nobilitatis præter ius euocationes, aut veterum priuilegiorum recentibus abrogationes, & depromptæ è summariis indicibus, siue, vt vocant, Metricâ, ad interuertenda bona priuatorum, probationes, non satis intelligere Regiam Maiestatem, quando, vel quâ in re id factum existiment. Præstò sunt Magistratus, qui in aulâ ius dicunt, ij rationem, vbi appellati eo nomine fuerint, facti sui, si quid illis nominatim imputabitur, reddent. Vnum interdum bina vel plura sacerdotia habere, non nouum esse; id ex arbitrio Summi Pontificis, tanquàm bonorum Ecclesiæ supremi dispensatoris, nonnunquàm iustis de causis, vel genere vel doctrinâ excellentibus viris indulgeri. Electiones Abbatum nequaquàm à Regiâ Maiestate infringi, modò ne Religiosi tantum sibi vsurpent, vt Iuspatronatus Regium interuertant & extinguant. Ne Equestris ordinis homines in actionibus, quas in personas Spiritualium dirigunt, iudicium Curiæ Romanæ exspectare cogantur, sed & eiusmodi causæ hîc in Regno decidantur, egisse Regiam Maiestatem cum Summo Pontifice, deinceps quoque curaturam, vt votis & desiderijs subditorum suorum eâ in re respondeatur. Græcæ religionis homines in quo iura & prærogatiuas suas lædi existiment, omnino incompertum esse Regiæ Maiestati: cùm omnes subditos pari complectatur amore, omnium quoque libertates saluas & illæsas esse cupiat. Vetari non posse ne Spirituales bona hęreditaria emant, & vsibus pijs addicant, cùm in potestate vniuscuiusque sit rebus suis pro suo vti arbitrio, præsertim cùm id nullo Reipublicæ detrimento fiat. Sculteti in oppidis & pagis Spiritualium, an directo iure illis subiecti sint, eorundemque amouendorum potestatem habeant, vt in re controuersâ & dubiâ nihil hactenùs decisum. Spirituales quidem eiusmodi directi dominij titulum & ius probaturos se recipiunt. Ne finitimarum arcium Præfectis turmæ militum, quæ in confinijs excubias agunt, regendæ attribuantur (quamuis id vsu veteri receptum fuerit) sed vt quæque centuria suum Præfectum habeat, assentiri Regiam Maiestatem. Conditio saluis iuribus Ecclesiæ Catholicæ, quæ in omnibus priuilegijs adscribitur, potissimùm Ecclesiarum iura tuetur; quæ etiamsi adiecta non esset, perinde tamen intelligeretur Regiam Maiestatem, vt non alterius iuri, sic nec Ecclesiæ derogare velle. De Liuoniæ illiusque Prouinciæ Episcopatu, non esse verendum, cùm per Sedem Apostolicam præsenti illius statu approbato, satis ei rei cautum sit. In assignandis hospitijs difficilè cunctis satisfieri posse in tantâ hominum frequentiâ, mandaturum tamen Regiam Maiestatem, vt eorum, qui publico nomine

Pluralitas beneficiorum Ecclesiasticorum. Ius eligendorum Abbatū Religiosis saluum. Ne Nobilitas ad Curiam Romanam euocetur, curaturum se Rex pollicetur. Homines ritus Græci non habent de quo querantur. Ecclesiastici iustè bona terrestria emere & Ecclesiæ addicere possunt. Sculteti in bonis Ecclesiæ cui directo dominio subiecti sunt. Conditio, saluis Ecclesiæ iuribus, in omnibus priuilegiis adscribitur. Nullum periculum ne quis sibi ius vsurpet in Liuoniam. In assignandis Varsauiæ hospitijs ratio habenda eorū qui publici negotij causâ veniunt.

ne huc veniunt, potissima ratio habeatur, quod magis expeditum foret, si ij pauciori comitatu ad consultationes publicas accederent. In ordinandis Regijs reditibus, eâ moderatione Regiam Maiestatem vti, vt neque benè meritorum præmijs quidquam subtrahere velit, & id potissimùm spectet, vt seruatâ proportione pro conditione quisque suâ, Regiæ sit particeps liberalitatis, ita tamen ne, si ea fundum exhauriat, Regia Maiestas & ipsa egeat, & cæteris gratificandi omnem sibi auferat potestatem: à nonnullis Præfecturis aliquot abstracta esse prædia fatetur Regia Maiestas, sed id more & exemplo maiorum, atque ipsâ necessitate exigente, quò personæ suæ Regiæ ex dignitate Regni commodiùs prouideatur, factum. Bona Reipublicæ nullâ dote esse onerata, cùm morte proximè defunctæ Reginæ, illius dos extincta sit. In conferendis bonis iuris caduci, habere semper rationem Regiam Maiestatem, & legum publicarum, & benè de Republicâ meritorum; idem deinceps quoque esse facturam. Multarum legum salutarium, atque vtilium pridem iam magno iudicio latarum executio, cuius vitio hactenùs differatur, expenderent diligenter ordines ipsi: fuisse quidem aliquoties deputatos, qui hæc ipsa iura reuiderent corrigerentque, quid obstiterit quominùs id factum sit, nemo est qui nesciat: paratam esse ac semper fuisse Regiam Maiestatem, ijs quæ flagitantur admouere manum, atque poscentibus ius reddere, priuatumque pariter & publicum commodum promouere, illudque in votis Regiam Maiestatem habere, vt hanc inclytam Rempublicam, suo imperio florentem, & omnibus incrementis & ornamentis auctam & cumulatam videat. Cæterùm ad id efficiendum ordinum consensu, & conspirantibus bonorum voluntatibus opus esse; darent operam itaque Nuntij, vt sepositis priuatis respectibus in præsenti conuentu publica negotia tractentur, cessura cuncta ex animi sententiâ, totius Reipublicæ expectationi optato & felici euentu Regiâ Maiestate libenter adnitente & promouente responsura. Responso eiusmodi tam miti nequaquàm contenti Nuntij, longo & prolixo scripto illud confutare ausi sunt; cuius ea summa fuit, vt prorsus omnes Regias excusationes reijcerent, neque vllis conditionibus acquiescere velle viderentur; ideò fiebat, quòd Palatinus Cracouiensis, cuius omnia consilia in disturbandis Comitijs versabantur, Lanchoronâ iam mouerat, magnaque tam clientum suorum, quàm militum stipatus manu, Stęzicam versus progrediebatur; vt & ijs, qui in Comitijs dissoluendis suam illi operam nauabant è viciniori loco animos adderet, & Stæzicensis conuenticuli indictam à se diem obiret.

In ordinandis Regijs reditibus quis modus teneatur.

Obligatio bonorum Reipublicæ dote prioris Reginæ, morte illius extincta est.

In conferendis bonis caducis quæ ratio obseruetur.

Leges cur executioni non mandentur.

Regis desiderium vt Regnum Poloniæ omni felicitate floreat.

Tam miti Regis responso apud ordines nihil proficitur.

Cuius rei causa Palatinus Cracouiensis.

Iam præcipui aduersæ factionis Ioannes Radiuilus, cuius suprà fecimus mentionem, Stanislaus Stadnicius Lanczuti Dominus, Petrus Goraiscius, Iacobus Sienieuius, Martinus Bronieuius, Andreas Meczynius, omnes primarij Hæreticorum illius temporis antesignani & propugnatores, futurique tumultus auctores & litui, nullo Regiæ dignitatis

Ioannis Radiuili & asseclarum temeritas.

tatis

tatis & Senatoriæ auctoritatis respectu, ita ea quæ Nuntiorum nomine proponebantur, tumenti & mordaci verborum fastu, atque aculeatâ oratione vrgebant, vt prorsus à pace & concordiâ alienum eos gerere animũ constaret. Radiuilus quidem publicæ causæ prætextu, priuato in Regem odio ferebatur; quòd sua in Rempublicam merita minoris fieri existimaret.

Eius malus in Regem animus, quòd Rex Præfecturam Dudensẽ ad Carolum Chodkieuicium detulerit.

Eiusdẽ æmulatio cum Chodkieuicio.

Acciderat prætereà vt Rex Carolo Chodkieuicio Supremo in Lithuaniâ exercituum Duci Præfecturam Dudensem, quam Radiuilus sui iuris esse contendebat, sed quòd possessionem eius nec viuo, nec vitâ functo patre, legitimè secundùm iuris formam adijsset, iure eius excidisse putaretur, conferret. Eâ re, sed multò magis æmulatione eiusdem Chodkieuicij, quòd eum in locum patris sui Palatini Vilnensis, qui summus item exercitus Lithuanici Dux erat, suffectum, & rebus præclarè gestis, & Regiâ gratiâ florere videret, iuuenis elati animi accensus & quasi irritatus, omnes eò conatus intenderat, vt quàm maximis viribus excrescentem factionem promoueret, Regique ipsi negotium facesseret.

Stadnicius occasione tumultuum ciuilium crescere cœpit.

Stadnicius verò dudum inquieti vir animi, discordijs ciuilibus assuetus, factiosus idem & audax, militarisque ferociæ ostentator; dum occasione nouarum rerum quoquomodo crescere cupit, tanto studio in causam eam ferebatur, vt potentiâ & factione primas ferè partes sibi assumeret, nec vt cæteri ambigua differens, sed palàm & apertè hostilem in Regem animum se gerere ostẽderet.

Hæretici per occasionem turbatæ pacis publicæ hæresim augere intendunt.

Cæteri item, quòd eâ rerum, quam sibi animis desponderant, conuersione, ad religionis vel potiùs hæresis suæ incrementa facilè, ipsomet Palatino & Catholicis factionis eiusdem, si non adiuuantibus, at certè conniuentibus se abusuros sperarant, nihil intentatum relinquebant, dummodò rem ad tumultum deducerent.

Boni patriæ amatores quid mali ex ijs motibus Poloniæ impenderet prævidebant.

Nemo erat in Senatu, qui impendentis tempestatis, quam apparebat latiùs processuram, ingentemque calamitatem Reipublicæ allaturam, periculis non moueretur; quamobrem boni omnes, ac quietis & otij amantes, omnes eius auertendæ rationes ineundas esse censebant: præcipuè verò (nam non adeò obstinatum Palatini animum esse plerique veteres eius amici existimabant, vt non, si benigniùs cum eo ageretur, de sententiâ cessurus, factionemque eam, quæ tota hæreticis constaret, relicturus crederetur) appellandum eum eo nomine secretâ aliquâ legatione consulebant.

Quibus suadentibus Rex mittit Petrũ Scargam ex Societ. Iesu ad Palatinũ, vt dispiceret in quantum periculum Rempublicam & religionem Catholicam conijceret.

Rex, etsi pertinaces Palatini sensus satis perspectos haberet, ne quam tamen illius sanandi rationem prætermittere videretur, se eò abduci passus est, vt Petrum Scargam Societatis Iesu Presbyterum ad eum mitteret, cuius persuasioni, quòd admodùm familiariter anteà illo vteretur, locum daturus putabatur. Summa legationis erat, vt Palatinus ijs quæ eum, qui illo duce & auctore excitabatur, motum consecutura erant, & in quantum Rempublicam & religionem Catholicam discrimen conijceret, expensis, maturè cœptis desisteret, nec priuato odio publicam causam prætexeret, seque seditiosis & hæreticis ad perturbandam Rempublicam ducem ne præberet: id si fecisset, facilè ea, quo-

rum

rum causâ malè in Regem animatus esset, sublatum iri. Eâ legatione, quæ eum mitiorem redditura putabatur, factus elatior, non quasi vnus è Senatu, sed tanquàm is, qui solus omnium rerum & consiliorum publicorum arbitrum ageret, Regio nomine compellaretur, respondit: se nullâ priuatâ offensâ commotum, causam publicam suscepisse, vt eorum sententiæ, qui sub ipsis Comitijs Stæzicensibus conuentum indicendum passim flagitabant, subscriberet: ideò factum esse, quòd ex ijs quæ Regio nomine priuatis in conuenticulis proponebantur, metus quidam magni in Republicâ periculi cunctis iniectus esset, ne spretis ijs, quorum causâ priora Comitia dissoluta erant, futura inuitis ordinibus expedirentur, Rexque velut ijs, quibus illi regnum delatum est, legibus solutus & conditionibus, quarum satisfactio hactenùs expectatur, non expletis, absolutè imperium in libero populo vsurparet: maximè cùm eò res spectaret, vt inuitis & dissentientibus alijs, paucorum assensu Comitia concluderentur: Conuentum quidem istum Stęzicensem, multis de causis vtilem, & admodùm opportunum fore, modò Rex illius commoditate vti velit; nam faciliùs de sententiâ omnium ea, de quibus in Comitijs conuenire non posset, deciderentur. Suadere itaque Regi, vt ijs ante omnia, quæ meritò ab illo postulantur, satisfaceret, metumque absoluti imperij, qui quorundam aulæ Magistratuum insolentiâ, & agresti hominum tractatione augebatur, ex animis subditorum euelleret; vacantes Magistratus ex suâ & Reipublicæ dignitate, viris idoneis & aliorum iudicio probatis conferret: postremò ne tali matrimonio, quod citra multorum assensum cum sorore prioris vxoris iniuit, hacque iteratâ cum domo Austriacâ affinitate, Respublica in discrimen veniat, sufficienter caueret. Eo responso cùm non satis explicaret mentem suam, quinam iste esset metus, & vnde profectus, cur cæteris, qui in eadem Reipublicæ speculâ essent, ignotus; fremebant plerique è Senatu, illum vnum tantum prospicere, quantum vniuersi aduertere non possint, & tantum industriæ, & in Reipublicæ custodiâ vigilantiæ sibi arrogare, vt cæteros vel negligentiæ vel perfidiæ damnare videatur; veniret & non è longinquo collegarum iudicia cauillis arroderet, sed coràm in publico Regni consessu, more Maiorum, quid vellet exprometeret, hasque ipsas, quas à Rege præstari vult satisfactiones & cautiones vrgeret: si æqua postulauerit, iturum Senatum in eius sententiam, vel si nihil nouum aut maiori dignum consideratione attulerit, inanes metus, & ficta somnia reprobaturum. Quare vt intelligeret ipsius actionibus Senatum permoueri, grauiterque ferre, ab vno omnibus leges præscribi, è publico omnium consilio Rege annuente missi sunt ad eum è Senatu, Albertus Baranowski Episcopus Plocensis, Stanislaus Krasinski Palatinus Plocensis, Andreas Przyemski Castellanus Gnesnensis, qui publico nomine ex eo causas noui illius in Republicâ motus exquirerent, ac quorsum eius conatus tenderent, explorarent. Non alij, nisi quos Palatinus eò secum ad-

Hâc legatione Palatinus factus elatior.

Eius responsum.

Alios Senatores malè habet, Palatini Cracouiensis tantum sibi vsurpantis fastus.

Mittitur à Senatu ad Palatinum Cracouiensē.

Conuentus ad Stezicam. adduxerat, principio ad Stęzicam venerant: sed cùm passim vulgaretur, prolaturum isthic Palatinum secretas quasdam, quæ contra Rempublicam institutæ sunt, machinationes, eius rei curiosi nonnulli, rerum nouarum studio, alij contrà vt gliscentem seditionem suâ præsentiâ discuterẽt, non plures tamen nisi sex Senatores, inter quos Ioannes Dux Ostrogiæ Castellanus Cracouiensis semper ambiguæ erga Regem voluntatis, Alexander Romecpolski Palatinus Siradiensis bonarum partium studiosus, & Regi addictus, vt & Stanislaus Bykoroski Castellanus Lenciciensis conuenerunt, quibus tres illi à Senatu missi accessêre, ita vt nouem essent Senatores. Quorum secreto colloquio petito, Palatinus facti sui rationem probaturus, orsus est ab eo tempore, quo Archidux mater ad persoluenda iusta filiæ suæ priori Regis vxori Cracouiam venerat; cùm Rex cum eâ Niepolomicijs, quò ob pestis suspicionem Cracouiâ statim à funere secesserat, moraretur, passim tum rumorem sparsum fuisse, de ineundo cum sorore prioris vxoris matrimonio, pacta firmari, ac quiddã maius etiam tanquàm de tradendo Austriacis regno tractari. Eâ suspicione se commotum semper, deinceps pro munere Senatorio in omnes occasiones intentum fuisse; vidisse Regiam Maiestatem, antiquis consiliarijs spretis, nouos eosque quondam sibi suspectos, & parum gratos adsciscere, totam aulam, Magistratusque publicos externis promissionibus niti, atque cõsilia peregrè petita potissimùm valere, eaque vt cæteris alijs in rebus, tum in matrimonij negotio obtinuisse: nam licet ter in frequentissimo Senatu Regia Maiestas publicè declarauerit, se germanam sororem prioris vxoris non ducturum; ijsdem tamen consiliarijs adnitentibus, & consensum aliorum Senatorum procurantibus, flexit eò mentẽ, vt prætextu quarundam Summi Põtificis & Imperatoris literarum mutaret sententiam. De quo cùm Regia Maiestas secum per literas communicasset, se grauiter commotum, dissuadere conatum fuisse Regiæ Maiestati tale matrimonium, atque ne eam pietatis laudem, quam apud omnes sibi pepererat, hoc nouo & nulli vnquam, licet consensu summorum Pontificum initum esset, prospero & felici connubio perditum iret, seque exosum subditis ipsis redderet, diligenter & candidè monuisse. Sed frustra, obnitentibus ijs, qui malorum consiliorum auctores erant, qui insitato freti, quem ante proximè acta Comitia fieri vidimus, apparatu, & potentiæ fiduciâ, haud dubiò suos nefarios conatus, malo Reipublicæ iam tum exercuissent, nisi eorum alter (Ioannem Tarnouium Archiepiscopum Gnesnensem intelligi volebat) diuinitus è medio sublatus, alter, Supremus videlicet Marescalcus, morbo prostratus fuisset. Hos eosdem Regi persuasisse, illum nullis pactis cum Republicâ initis teneri: postremò non debere pati, vt factorum & consiliorum ratio à se exigeretur, non defore in Comitijs vires, quibus Cancellario obsistatur, cui nequaquàm cedendum, neque committendum, vt quemadmodùm anteà Regiam confessionem de initis cum domo Austriacâ, de tradendo illi Regno tractatibus

Qui senatores ei conuentui interfuerint.

Palatinus Cracouiensis facti sui rationem in secreto colloquio reddit aliquibus Senatoribus.

ctatibus extorſerat, nunc pari ratione ſimile aliquid attentare auderet. Soluantur licet rebus infectis Comitia, id non adeò magno incommodo futurum, vel ſi quid aduerſi ex eo acciderit, contrariæ factioni & Cancellario imputatum iri: illum interim, vergēte iam ad ſenium ætate, moriturum, eoque ſublato neminem fore, qui deſtinatis Regijs obſiſteret. His perſuaſionibus obfirmatam Regiam Maieſtatem, nec ſalutaribus ſuis conſilijs, nec vniuerſorum ordinum poſtulationibus in iiſdem Comitijs factis locum dediſſe: Magiſtratus Regni, præter omnium exſpectationem, perſonis minùs idoneis contuliſſe; poſtremò optimis & honeſtiſſimis conditionibus promiſſam iam & ferè pactam Ferdinandi Archiducis Auſtriæ filiam, ſolicitante ſocru, & id vnum, vt Rex alteram illius filiam vxorem duceret agente, deſeruiſſe, & ad præſentem vxorem prioris ſororem animum adiecìſſe. Curam ægri in Pruſſiâ Ducis, priuatâ auctoritate ad Electorem Brandeburgicum detuliſſe, atque defuncto Cancellario tamquàm malorum conſiliorum, & Regiæ potentiæ obice, omnem Reipublicæ adminiſtrationem ita Regiam Maieſtatem in ſuam poteſtatem redegiſſe, vt quibus legibus regnum ad eum delatum ſit, omnino oblita eſſe videatur. Ab eo ſe quidem & priuatis monitionibus & literis (quarum exempla proferebat) Regiam Maieſtatem ſeriò dehortatum fuiſſe, acriùs etiam nullo priuato gratiæ reſpectu, dummodò Senatorio munere defungeretur obiurgaſſe: ſed cùm ſua monita contemnerentur, Rexque ſuſpiciones à ſe obiectas non modò non refelleret, ſed tacito etiam aſſenſu quodammodò comprobaret, in eâ opinione ſe confirmatum, vt eum non tantùm de ineundo hoc omnibus exoſo matrimonio, ſed & de deſerendo atque Auſtriacis prodendo regno conſilia ſuſcipere crederet. Hæc ferè prolixo comprehenſa ſcripto, compluribus ſuis literis (quas in eâ materiâ ad Regem dederat) Senatoribus ibi præſentibus exhibuit: atque ab ijs qui Varſauiâ venerant, vt hoc ipſum ad Senatum & ordines deferrent, poſtulauit: verùm illi non eſſe ex ſuâ dignitate alienos rumuſculos venditare exiſtimantes, id publicè recuſarunt; priuatim tamen ſe cum collegis eâ de re communicaturos receperunt, Palatinumque Cracouienſem, vt, ſi tantoperè ſuis iſtis ſuſpicionibus moueretur, eas aliorum iudicio ſubijceret, monuerunt. Quæ poſtquàm Varſauiam perlata ſunt, legatique ad Stęzicenſem conuentum miſſi, redierunt, variâ hominum cenſurâ exagitata fuit Palatini temeritas, quòd leuibus & obſcuris motus coniecturis, non modò Rempublicam varijs impleret rumoribus, ſeditionemque captaret, verùm etiam Regem ipſum immeritò grauiſſimi criminis reum faceret. Diſplicere illi matrimonium duobus Summis Pontificibus, quibus id vetandi iubendique poteſtas erat, probatum, vniuerſo Senatu aſſentiente initum; id verò inſolitum, nec ſine aliorum iniuriâ, vnum cunctorum velle eſſe virtutis & meritorum æſtimatorem, eoſque ad quos Rex Magiſtratus Regni detulit, minùs ijs ferendis idoneos exiſtimare non aliam ob cau-

F ſam

ſam, niſi quòd ſuæ factionis non eſſent; denique illum ſolum queri quòd non imperet. Nulli patientiùs reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur. Id tum egregiâ animi magnitudine Rex comprobauit, nam tot in ſe falſis coniectis conuitijs, eâ vſus eſt moderatione, vt nulla perturbati animi ſigna dederit, vnicoque bonæ conſcientiæ clypeo tectus, omnes inimicæ vocis ſugillationes eluſerit. Iam ferè præfixum lege Comitiorum tempus exierat, cùm varijs altercationibus Nuntiorum, ijſdem quibus initio de rebus in caſſum diſceptaretur: longè quidem eorum maior pars Regiæ declarationi acquieſcendum cenſebat, pauci factioſi futuri motus auctores, rerum nouarum expectatione ineſcati, omnes concordiæ rationes abnuebant. Ac ne quid deeſſet, quod ad perturbandam pacem publicam, mutuoque irritandos animos pertineret, accidit, vt cùm Nuntij in Senatum vocarentur, quò cunctis, qui vel Senatores non eſſent, vel publico munere non fungerentur, excluſis, ſoli cum Senatoribus Rege præſente de ijs rebus de quibus nondum conuenerat, agerent, ac Sigiſmundus Myszkowski Supremus Regni Mareſcalcus qui ad fores, ne quis non Nuntius eò ingrederetur attendebat, quendam Zienieuicium, temerè ſe ingerentem aditu prohibuiſſet, & magis nitentem ſeque Radiuili eſſe familiarem iactantem, verbis & verbere reieciſſet, & ille furore percitus, manum capulo tamquàm arma stricturus admouiſſet, publici apparitores eum prehenderint. Quo Radiuiliani, qui ſuis diſcreti agminibus aream palatij occuparant, cognito, tumultum ingentem excitant, adituſque palatij, qui à Regijs ſatellitibus ſeruabantur, irrumpere conantur; & niſi Radiuilus ipſe è feneſtrâ ſuos, ne quid attentarent, inhibuiſſet, iam tum ſeditionis & cædis initium factum fuiſſet. Sedato vtcunque eo tumultu, Radiuilus in medium progreſſus frendens fremenſque Mareſcalcum incuſat, quòd hominem nobilem nullius criminis reum, non aliam ob cauſam, niſi quòd ſuus eſſet familiaris, verbis contumelioſis affectum ac pulſatum prehendi iuſſiſſet, ſe nomine Equeſtris ordinis legatione fungi, nullam Mareſcalci iuriſdictionem agnoſcere, ac proinde non paſſurum quidquam grauius in familiarem ſuum ſtatui, atque inuocato etiam cæterorum Nuntiorum auxilio eius eliberandi omnes rationes initurum. Adſtrepebant cæteri Nuntij ſuam in eo dignitatem violari aſſerentes, nonnulli verò dignum facinus hominis inſolentis acriori pœnâ cenſebant; verùm Mareſcalci, qui more maiorum iure in ſontem animaduertere potuiſſet, facilitas, cæteris, quis acrioris ſententiæ auctor eſſe vellet circumſpectantibus, præbuit cauſam, vt non iudicio, ſed amicorum interuentu id negotium tranſigeretur, ac prehenſus deprecatus temeritatis culpam, dimitteretur. Paucis denique interiectis diebus, magno bonorũ omnium dolore, irrito effectu, paucis publicę concordiæ,

Comitiorum malus ſucceſſus.

In palatio Regio tumultum incipiunt Radiuiliani.

Radiuili ob prehenſum inſolentem famulum indignatio.

ad quam maior pars summo studio ferebatur, obnitentibus: tributo tantùm, accedente omnium consensu, ijs potissimùm qui hostium incursionibus & periculis obnoxios se esse ostendebant, flagitantibus scito, soluuntur comitia. Cancellarij munus, quod morte Zamoscij vacuum erat, Rex accedente consilio Senatus in his Comitijs ad Matthiam Pstroconium Episcopum Premisliensem proximè Procancellariatus officio functum, hunc verò ipsum Procancellariatum ad Stanislaum Minscium Palatinum Lenciciensem nobili & illustri loco natum, eleganter eruditum, ac multis peregrinationibus partâ rerum variarum linguarumque notitiâ clarum, detulit; ac prætereà Felicem Criscium vetusti & patricij generis splendore conspicuum, ac in Reipublicæ negotijs strenuè versatum Referendarij honore auxit: cæterosque Magistratus, ne quis eo nomine queri possit, distribuit. At ij quos in Comitijs publicæ omnium concordiæ refragatos diximus, quasi de eo, quod Rex nullis, vt illi falsò asserebant, postulationibus, per eos nomine Equestris ordinis in Comitijs factis, & propositis annuere voluisset, conquesturi ad Palatinum solum iam cum suis asseclis illorum aduentum præstolantem se conferunt: simulque in frequentiam eius conuentus conspicati, nec se quidquam posse in eo statuere, eò demum audaciæ progressi sunt, vt vnus Senator, & pauci ex Equestri Ordine Senatus & ordinum omnium vsurpato nomine, nouo exemplo edictum præscripserint, quo in primis omnia Comitiorum Acta sinistrâ interpretatione traducentes, quò maiorem Regi apud imperitam multitudinem inuidiam conciliarent, nihil in Comitijs legitimè actum, vi & armis oppressos Equestris Ordinis Nũtios, ac suffragia libera erepta, comminiscebantur. His rebus se permotos, & quòd prætereà non leuibus coniecturis, ius liberè eligendi Regis periclitari, libertatesque vniuersæ Nobilitatis in dubium vocari comperierint, non aliâ ratione impendentibus malis obuiàm iri posse existimarint, quàm si omnes, qui Rempublicam saluam esse cupiunt, exemplo maiorum, non anteactâ modò ætate, sed nostris quoque, quotiescunque necessitas exposceret temporibus, vsurpato, in vnum armati conueniant. Quare ad diem quartam Iunij Lublini Conuentum à se indici, omnesque Regni & magni Ducatus Lithuaniæ tam Senatorij quàm Equestris status ordines eò inuitari. Rex cùm hæc fieri animaduerteret, vt & ijs mederetur, & confictas in se criminationes amoliretur, simulque de imminentibus ab externis hostibus periculis ordines commonefaceret eorumque subsidium imploraret, ad diem tertiam Iunij particulares per omnes eorum Palatinatuum, quorum Nuntij in Comitijs ad sciscendum tributum consentire noluerãt, Districtus, conuentus edicit: simulque Senatores per literas monet, vt hos conuentus per se obeant, falsoque vulgatum de Actis Comitiorum opinionem diluant, accuratâ prætereà totius Comitialis progressus descriptione per Nuntios suos, non per se stetisse, quominùs ijs, quæ proponebantur satisfieret, vel pu-

Finis Comitiorum qualis.

Regni Cancellariatus ad Matthiam Pstroconium Episcopum Premisliensem delatus.

Procancellariatus ad Stanislaum Minski Palatinum Lenciciensem à Rege delatus; & cæteri Magistratus vacui ritè distributi.

Ij qui comitia disturbarunt, Stazicã ad Palatinum Cracouiensem se conferunt, falsoq; Regis actiones interpretantur.

Palatinus cum paucis ex Equestri ordine omnes ordines ad quartum diem Iunij Lublinum edicto conuocare ausus.

Falsæ in Regẽ criminationes.

Rex indictis per Districtus conuentibus sparsas calumnias refellit.

blica consilia optatum haberent exitum, edoceant; esse quosdam, qui præsenti rerum statu non contenti, priuata odia publico prætextu exercere iam dudum in animum induxerant: ab ijs pro libitu conuentus cogi, seditionem excitari, & pernicioso exemplo pacem publicam turbari. Quid tam absurdum, quàm Regem ideò vxorem accipere, vt Regnũ prodat, filium Regio diademate insignire velle, vt hanc ipsam dignitatem ad alienos transferat? hæc tamen ab illis sibi inuicem planè contraria fingi, vt fucum faciant: petere Regiam Maiestatem ab ordinibus, ne eiusmodi commentitijs somnijs fidem habeant, quin potiùs hac tam insigni iniuriâ, quam Rex tot immeritò oneratus calumnijs patitur, commoti, temerarias aduersæ factionis actiones publicâ iudicij sui censurâ damnent: testari Regiam Maiestatem, se hoc inclytum Regnum habuisse semper, & demum habiturum carissimæ Patriæ loco, illius iura & prærogatiuas non modò conseruatas, sed auctas etiam esse velle; optare, vt se Imperium obtinente floreat, firmaque sit & locuples, opibus, copijs, & gloriâ vniuersa Respublica; tantum laudis & bonæ apud posteritatem nomini suo memoriæ accessurum, quantò maiora incrementa illa, se imperium obtinente, acceperit. Confidere vicissim Regiam Maiestatem, vniuersos ordines huic optimæ erga Rempublicam suæ voluntati fide Polonâ responsuros, atque vnanimi consensu ad ferendum Patriæ subsidium, præsentemque illius statum, & Regiæ Maiestatis Imperium tuendum, & contra quosuis illius osores defendendum conspiraturos. Hæc quidem publicè certâ & non dubiâ causæ suæ fiduciâ à Rege proposita fuere: sed quàm parum illis profectum sit, ex vlteriori horum motuum narratione patebit.



DE MOTV CIVILI IN POLONIA.

LIBER SECVNDVS.



CVM seditiosorum factio minimè pacatis consilijs contenta fore putaretur, ac turbulenti quique concitarentur; Rex quoque suæ incolumitati prospiciendum ratus, Stanislaum Zolkieuium Castellanum Leopoliensem, exercitus campestrem, vt vocant, Ducem ad se euocat. Is egregijs animi dotibus instructus, iuuenis adhuc Stephano Regi, non tam Ioannis Zamoscij, cui sanguinis necessitudine coniunctus erat, quàm virtutis & spectatæ indolis commendatione gratus acceptusque, per omnes militiæ gradus, tantum sibi gloriæ pepererat, vt Zamoscius ipse in administratione bellorum, vicariâ ipsius potissimùm operâ vteretur, dignumque iudicaret, qui in suum locum succederet. Habebat is vxoris Palatini Cracouiensis sororem in matrimonio, quæ ex affinitate contractâ necessitudo, ne eum Palatino obnoxium consiliorumque fautorem faceret, plerique suspicabantur, ambigebantque quo in Regem animo esset futurus: sed Rex ipsius virtuti confisus, accitum, & Varzauiam venientem honorificè excipit, suisque cum eo communicatis consilijs, quid in præsenti rerum statu agendum foret, deliberat. Ille lætus ex Regis de suâ fide opinione, prolixè operam suam defert, pollicetur se inprimis cum Palatino acturum, ne quid ampliùs moliatur noui: quod si is suis consilijs parere noluerit, conatibus eius omni ope aduersaturum, Regique & Reipublicæ præsidio futurum. Multi præthereà Russiæ Proceres, Regis moti periculo, ad ferendam illi & Reipublicæ opem sese accingebant; præcipuum istic robur militis, qui præsidij causâ Tartaris in finibus Regni oppositus excubabat: is in potestate Zolkieuij cùm esset, facilè in Regias partes concessit, magnumque rebus momentum addidit. Intereà Lublinensis conuentus auctores, dimissis per vniuersum Regnum Nuntijs & literis, sollicitare homines, his spem præmiorum, illis metum ostentare: multò plura quàm initio de Rege fingendo, simulatione imminentis periculi, ignaris terrorem incutere, id demum postremò agere, vt quàm maximo excitato tumultu, frequentem eum conuentum redderent. Primores eorum militaribus septi turmis, in omnem rei euentum intenti erant. auxerat numerum Castellanus Cracouiensis, qui etsi quo sensu in Rempublicam esset, non se satis explicaret, ac in Regias interdum, nonnunquàm in alterius factionis partes propendere videretur; totoque hoc tumultu

Rex incolumitati suæ prospecturus Zolkieuium exercitus campestrem Præfectum ad se euocat.

Qui vir fuerit Zolkieuius.

Eius erga Regem animus.

Interim seditionis auctores per totum Poloniæ Regnum contra Regem homines sollicitabant.

Eorum Lublini conuentus.

Ioannes Ostrogius Castellanus Cracouiensis sub tempus motus ciuilis ambiguus.

tumultu ita se gessit, vt neutra pars illi fideret, & nec Regiam gratiam, nec populi fauorem, dubijs eiusmodi actionibus mereretur; Lublini tamen popularem auram captans magnis stipatus copijs, quasi potentiâ suâ nascentem factionem promoturus, consilijs seditiosorum se ingerebat. Venerat eò præterea Stanislaus Zolkieuius, iam tum Palatino ipsi suspectus, quasi alienorum à suâ sententiâ consiliorum fautor: cæteri item maxima pars Hæretici, quorum factio cùm præualeret, ex eorum sententiâ, potestas regendi conuentus rogandarumque sententiarum (Marescalcum vocant) ad Ioannem Radiuilum delata; qui & potentiâ, & factionis studijs, primas partes tenebat. Palatinus veluti supremus consiliorum arbiter & interpres, breui, nec satis explicato sermone, suæ sententiæ copiam faciens, expectatione alti cuiusdam secreti, suspensos hominum animos tenere volebat; ac cæteris mussantibus, nec quid sibi conuentus ille vellet explicantibus, septimo demum eius die, aliorum ac præcipuè Palatini, vt posteà compertum est, instinctu, sub vesperam in maximo hominum, magnâ ex parte temulentorum, tumultu, Stanislaus Stadnicius petitâ dicendi potestate, Regis inprimis nomen incestuoso lacerat ore, impium, periurum appellat, nullo maledicto abstinet, regno, quòd pactis initis non steterit, eum excidisse denunciat: se deinceps illius imperio non pariturum, profitetur. Hæc insolens furiosi hominis oratio, seditiosis, & ipsi Palatino grata, ijs verò, qui nequaquàm eo animo venerant, vt præsentem Reipublicæ statum immutandum arbitrarentur, noua, & minimè eo consessu digna visa est; sed applaudentibus armatis hominibus, qui Comitium circumsteterant, & incondito sono dicta Stadnicij approbantibus, nemo vnus contradicere, vel maledicta refellere ausus; discessumque eo die è consilio, non dubio quid noua factio moliretur, intellectu. Nam Zolkieuius dicta factaque Palatini conferens, nec Stadnicium eò audaciæ progressurum fuisse, nisi Palatini perspectum haberet sensum, coniectans, Regem celeri nuntio, quorsum consilia aduersariorum spectarent, certiorem reddit: se in sanando, & à perniciosis consilijs auocando Palatino operam perdidisse: obstinatum illum in proposito id vnum spectare, vt Regem Regno spoliet, nunc in eo summam illorum esse consilij, vt vel Regem imparatum opprimant, vel aditu Cracouiæ excludant; suadere se Regiæ Maiestati, vt vel Cracouiam maximis itineribus petat, vel si id tutò fieri non posse existimet, munito aliquo in loco subsistat, se interim militem & præsidia quibus Regi opem ferret celeriter paraturum.

Ianussius Radiuilus conuentus Lublinensis Marescalcus.

Stanislai Stadnicij impia & temeraria oratio.

quæ sanioris consilij.

Ea Zolkieuius Regi significat,

suadetq; vt vel Cracouiam petat, vel aliquo munito loco se contineat.

Erant Varsauiæ decem circiter Senatores, consultò à Rege eam ob causam euocati, ne si quid improuisi accideret, omni ex parte imparatus esset: ad eos, cùm de eo periculo Rex retulisset, pars illorum maior cedendum, Prussiamque sibi fidam, & munitis oppidis tutam petendã, donec interim maiora subsidia pararentur; alij contrà hostium conatibus obuiàm eundum; ac dum eorum nutant consilia, relictis omnibus impe-

Regis de ijs rebus deliberatio.

Variæ Senatorum eâ de re sententiæ.

impedimentis, Cracouiam penetrandum ſuadebant. Rex in eo ſtatu nutantibus pleriſque ac metu perterritis, ab animi magnitudine conſilium mutuatus, nequaquàm dignitati ſuæ conuenire hoſtium minis tantoperè permoueri, vel ſigna timoris præ ſe ferre, reſpondit: proinde iturum Cracouiam ſolito comitatu, non exiſtimare hoſtes eò audaciæ progreſſuros, vt iter ſuum impediant; quod ſi id facere conati fuerint, non defore ſibi rationes, quibus ſecuritati ſuæ proſpiciat: confidere ſe virtuti & fidei Polonæ, denique omnia potiùs perpeſſurum, quàm vt aliquid ſe & nomine ſuo indignum committat. Simul aulicum ſuum peditatum ad iter faciendum expeditum eſſe, tormenta currulia ex armamentario depromere, aulæ vniuerſæ comitatus vt in omnem euentum paratus ſit iubet, itinera omnia & Iſtulæ traiectus exploratoribus implet, ac vt hoſtem contrariâ profectioni ſuæ opinione diſtineret, naues adornari, & inanibus ſarcinis onerari, tanquàm Gedanum, vel Torunium Iſtulâ nauigaturus mandat, nec profectionis ſuæ conſilium, niſi duabus, antequàm equum conſcenderet horis, aperit. Quod vbi pronunciatum eſt, iterque apparari cœptum, videre erat pleroſque varias, ne in eodem eſſent, in quo Rex verſabatur, periculo, ſubterfugiendæ profectionis occaſiones circumſpectare; hic morbi ſimulatione vti, ille negotijs diſtineri, alius tam arctum pronunciati itineris tempus incuſare, maxima pars temerè, vt illis videbatur, ſuſcepti conſilij Matthiam Pſtroconium Regni Cancellarium eius ſuaſorem maledictis inceſſere. Cõtrà alij egregiâ in Regem fide, pro eius vitâ & dignitate omnibus periculis defungi volentes, vltro eius viæ comites ſeſe offerebant; è quibus Hieronymus Goſtomski Palatinus Poſnanienſis, quò ſua in Regem eſſet teſtatior voluntas, non ſeipſum modò exactâ iam ætate & valetudine impeditum periculo obtulit, verùm vxorem etiam & filios ſecum duxit. Rex ipſe toties denunciati periculi metu numquàm permotus, ac vana hoſtis territamenta, quæ partium fautores, quò Regem à propoſito auocarent, callidè vulgabant, eoſque qui illis fidem habebant, palàm irridere ſolitus, eundem ſemper animi vigorem ac imperterriti vultus conſtantiam præſeferebat. In itinere Stephanus Potocki Felinenſis Præfectus, cum inſtructo comitatu Regem aſſequitur, Mareſcalcus verò Regni Myſcouius ſexto à Cracouiâ milliari, Regi obuiàm progreſſus, egregiè ſub ſignis inſtructos quingentos circiter equitum & peditum milites, Regio comitatui adiecit. Octauo demum die ſolitis itinerum ſpatijs, & ijſdem quibus ſemper vti conſueuerat ſtatiuis, Rex Varſauiâ Cracouiam venit; exceptus cum Bernardi Macieiouij Cardinalis & Archiepiſcopi Gneſnenſis, Staniſlai Minski Procancellarij, Sebaſtiani Lubomirski Caſtellani Voinicenſis, Ioannis Comitis Tenczynij aliorumque Procerum, tum præcipuè vniuerſæ vrbis eximio quodam applauſu, & inſolitâ gratulatione. Pridiè quàm Rex eò veniſſet, præſidium trecentorum & quinquaginta peditum, quod Palatinus in arce habebat, ad famam

Regij animi magnitudo.

Rex Cracouiam petere conſtituit.

Eius de egregiâ Polonorũ fide iudicium.

Ad celandum hoſtem Regij conſilij quid fuerit facturus.

Multi Regem deſerunt, cõperto eum Cracouiam proficiſci.

Illuſtre factum Hieronymi Goſtomski Palatini Poſnanienſis, in conteſtando erga Regem animo.

Stephanus Potocki Regij Cracouienſis itineris comes.

Sigiſmundus Myſcouius Regni Mareſcalcus cum quingentorum militum agmine obuiàm progreditur.

Regis Cracouiam aduentus.

Quò Palatinus Cracouienſis Regem præuenire conatur, ſed fruſtra.

mam Regij aduentus inde excesserat: nam Palatinus aliquantò de Regis Varsauiâ profectione edoctus, quò Regem anteuerteret, atque Cracouiæ ingressu, quoad Reipublicæ administratæ vniuersis Regni ordinibus rationem redderet, prohiberet, iter eodem Lublino accelerabat; sed certior factus se à Rege præuentum esse, ne suum istic præsidium interciperetur, vt confestim inde deduceretur imperauerat, ipse ad Zauichostum spe occupandæ Cracouiæ deiectus, substitit. Cæterùm priusquàm ille Lublinensis conuentus solueretur, decreuerunt ad Regem solennem legationem, statueruntque, vt nisi Rex ei pareret, subditi fide quâ Regi obstricti sunt soluerentur, atque generalis quidam & vniuersalis conuentus, Rocos, petito ab Hungaris nomine, appellatus, ad diem sextam Augusti indiceretur, graui & minaci promulgato edicto, vt omnes quicunque nobilitatis prærogatiuâ gauderent, præstò adessent; militem prætereà Palatinus, Radiuilus, Gorayscius, Stadnicius Reipublicæ præsidio futuri scriberent: demum ea auctoritas potestasq; erat futuro conuentui, vt eo durante, omnis cunctorum ordinariorum Magistratuum iurisdictio cessaret, iustitium publicum esset, fora clauderentur, summa Reipublicæ in manu & arbitrio armatæ multitudinis Equestris ordinis consisteret: Rex & Senatus, ac vniuersi Magistratus, gestæ Reipublicæ consiliorum & functionum suarum rationem in publico illo consilio reddere tenerentur, laudem inde relaturi vel pœnam: qui eò non veniret, bonis confiscatis, iure & prærogatiuâ nobilitatis excideret.

Rocos nomen vnde dictum.

Hæc dictu speciosa, & imperitæ multitudini, quæ eâ seditione gaudet, & leui de causâ concitatur, grata erant: cæterùm prudentiores iam tum, quàm pernicioso in Republicâ exemplo is conuentus cogeretur, dispiciebant: omnes futuros sine legitimo imperio, exleges & sui quemque arbitrij: quòd si moderatio aliqua & forma politiæ in speciem adhibeatur, eos primas partes, concitatæ multitudinis seditiosis suffragijs habituros, qui apud vulgum seditionem ipsam sint concitaturi. Egregios verò censores, & legum latores, ac totius Reipublicæ reformatores, qui non virtute, cuius æstimatio non ita facilis est vt à quolibet discerni queat, lecti, sed dissonis vocibus adsciti, & alijs prælati, ex suâ libidine res sint æstimaturi; vix legitimo imperio disciplinam retineri, nedum inter certamina seditionum, modestiæ, vel quidquam probi moris locum habere. Impellere multitudinem quò velis, non arduum; regere & retinere difficillimum: non fore in potestate Palatini, finem his rebus quem voluerit imponere, nec eo modo reformandæ Reipublicæ legitimam rationem iniri, sed bellum ciuile apparari, cuius ille auctor & concitator, Regis desertor, proditor Senatus, Patriæ hostis & pernicies, & præsentis, vbi redditâ Reipublicæ luce actiones illius excussæ fuerint, & futuræ ætatis iudicio sit auditurus. Hæc tum vario hominum sermone agitata, exitus posteà comprobauit. Scripserat Rex vniuersis Senatoribus,

Prudentiores videbant quàm exitiosus Reipublicæ futurus erat Conuentus Lublinensis.

ribus, vt cùm tanti momenti Lublino ad ſe mitteretur legatio, quæ ad Reipublicæ ſtatum pertineret, ad eam audiendam, & quid legatis reſpondendum foret, conſilij copiam facturi ad diem trigeſimam Iulij Cracouiam venirent, imminentemque tempeſtatem, collatis in vnum ſtudijs auerterent, Regiæque & ſuæ dignitati conſulerent, atque etiam ſecuritati proſpicerent. Pauci initio venêre ad diem præſtitutam, dataque legatis Lublinenſis conuentus dicendi poteſtas, qui ex ſcripto ea quę ſibi commiſſa erant recitarunt. Continebat ea legatio eaſdem ferè, quas in Comitijs à Nuntijs propoſitas fuiſſe ſuprà memorauimus, querimonias, ſed acerbioribus concepta erat verbis, & mordacibus exiguo Regiæ dignitatis reſpectu referta ſententijs. Poſtremò illud poſtulabatur, vt Rex vel in adminiſtratione Reipublicæ ſe erraſſe, vel conſultò & temerariè, datæ fidei ac iuriſiurandi obliuione, leges & libertates Regni violaſſe, ac pactis conuentis non ſtetiſſe fateretur, & vel culpæ vel errati veniam in conuentu illo Rocoſſiano, quò illum inuitabant deprecaretur, atque inſuper Rempublicam metu omni, qui vel ab ijs qui malorum conſiliorum Regiæ Maieſtati & abſoluti Imperij duces & auctores ſunt, imminet, liberaret. Huic tam ſuperbæ denunciationi erant qui pari verborum acrimoniâ reſpondendum cenſerent; ſed non expedire viſum, ſatis per ſe exacerbatos, & omnia commouendi, Regemque ſiniſtrè traducendi occaſiones aucupantes, intempeſtiuè irritare: itaque in eam fermè ſententiam, Cancellario Regis nomine verba faciente reſponſum eſt. Præter omnem Regiæ Maieſtatis expectationem, hos extra ordinem conuentus indictos, multaque quæ more & inſtituto maiorum in Comitijs expediri deberent, ibi pertractari; Regemque prætereà immeritò in ſuſpicionem vocari; paratum eum fuiſſe in præteritis Comitijs Regni, Ordinum poſtulationibus ſatisfacere, ſeriò actum de eo fuiſſe, & niſi ij, qui eo conſilio, vt Comitia diſſoluerent, remque ad tumultum deducerent, publicam vniuerſi Senatus & Nuntiorum cōcordiam, ſuo diſſenſu irritam fecerunt, obſtitiſſent, omnia facilè conuentura fuiſſe. Nunc eò ventum, vt duobus iam actis conuenticulis, neque ijs quę iactabantur ſuſpicionibus declaratis, tertius inſuper is, in quo vt Regia Maieſtas poſtulationibus ordinum ſatisfaciat, & ſecum Senatum ſiſtat, poſtulant, indiceretur. Non poſſe Regiam Maieſtatem ad ea reſpondere, nec quidquam in re tam nouâ polliceri, niſi priùs Senatu conſulto, quem breui frequentem fore ſperat: intereà hortari, ne temerarijs conſilijs Rempublicam in diſcrimen conijciant, modeſtiâ potiùs, quàm pertinaciâ quod velint impetraturos, daturam viciſſim Regiam Maieſtatem operam, ne quid in ſuo munere deſideretur. Sic legati dimiſſi.

Rex Senatores conuocat ad audiendam ad ſe miſſam legationem à conuentu Lublinenſi.

Contenta eius legationis.

Ad ea Regium reſponſum.

Sub idem tempus de Demetrio Moſchorum Principe fraude ſubditorum cæſo, noſtriſque iſtic partim interfectis, partim captis, literæ ad Regem allatæ ſunt. Demetrius adepto Principatu minimè tantæ fortunæ capax, ſæuam acerbæ & impotentis Dominationis vim exercuit; nam ſtatim

Legatio Moſchouitica de Demetrio Moſchorum Principe cæſo.

ſtatim parto imperio, cædibus illuſtres familias exhaurire, ſtupris domos polluere, ſacra & profana priuatâ libidine interuertere, ærario longâ Principum parſimoniâ corraſo, & quaſi ſacro, auidas manus inijcere, ac publicis opibus ſuperiorũ Ducum victorijs partis, ex hoſtilibus copijs cumulatis, tanquàm alienis abuti: hæc hominẽ ignotæ ſtirpis, & è tenebris ad tantum faſtigium progreſſum, dudum inuiſum reddiderant. Polonorum demum aduentu, & tanto nuptiarum apparatu auctum ei odium apud Moſchos, qui ſueti anteà nonniſi ſuæ gentis homines, vel rarò exterorum legatos conſpicere, ægrè ferebant nunc tot millia hominum adduci, patere cuncta hoſpitibus, vel veriùs hoſtibus ſuis; eos, ni maturè caueant, Moſchorum nomine extincto, rerum potituros. Iam ipſa prædæ occaſio, noſtris nuptiali apparatu exornatis, inuitare videbatur auidos, & alienis opibus inhiantes, equos, phaleras, veſtem ſericam, aurum argentumque ſibi deſpondentes. Id auctore potiſſimùm Suiſcio agebatur, qui primariâ familiâ ortus, hæreditario iure, & generis prærogatiuâ, ſibi Principatum deberi cùm cenſeret, eum à tenebrione iſto interceptum indignabatur: ſed cùm palam quidquam attentare minimè auderet, quòd & plebs benigniùs à Demetrio culta, non facilè illum deſertura putaretur, & robur Polonorum, viſque militaris, ſæpiùs bellis experta terreret, clàm exercitum, qui proximè à Demetrio, noua imperia atque regnum ipſum Poloniæ, non obſcuris quorundam in eum ſtudijs animo voluente, magnâ curâ conſcriptus, ad Iulam eius iuſſu ſtatiua habebat, corrumpit. Polonos eo animo veniſſe vt Moſchos opprimant, eorum nunc eſſe Vrbe in ipsâ aliquot millia, multò maiore numero Duce Chodkieuicio ſubſequi alios, opprimendos priores incautos, & nuptiarum celebritate temerè ſecuros, priuſquàm cæteri veniant; hæc in Polonos tantùm apparari ſimulat; de Demetrio conſultò nulla facta mentio. Apparabantur interim nuptiæ, ac ſponſa ſplendido comitatu cum Regijs oratoribus vrbem ingreſſa, nec minori pompâ, ac ficto Procerum applauſu excepta, in Monaſterio, vbi ea quæ mater Principis eſſe putabatur manebat, deponitur, tempus inaugurationi futuræ aſſignatum ibi præſtolatura. Vbi dies, quæ fuit feria quinta magna, quam ſibi Demetrius aliquot euentis felicem erat expertus, illuxit, ſponſa eo quo Moſchouiticæ matronę Principes vtuntur, more inducta, Regio cultu gemmis onerata magis quàm ornata, ad templum deducitur, ibique ritu Græcorum ſacris peractis, ab Epiſcopo qui Patriarchæ nomen, nouâ, vt aiunt, Conſtantinopoli Patriarchæ conceſſione, ſibi vſurpat, inaugurata, & Ducalibus inſignijs exornata, futura Principis coniux & Imperij conſors, populo applaudente & fidem ſuam ei obſtringente, declaratur: paſſimque in vulgus aurei & argentei nummi, liberalitatis & magnificentiæ teſtandæ causâ, iuſſu Principis iactati. Poſtridie demum ſolennia nuptiarum, ſponſis inuicem fidem matrimonij iuramento firmatam ſibi dantibus acta, Moſchis, quòd ea dies memoriæ mortis Seruatoris

Moſchis Polonorum illic aduentus inuiſus & ſuſpectus.

Suiſcius Moſchus auctor conſpirationis contra Demetrium,

eiuſdem exercitum corrumpit.

Aduentus in Moſchouiam magnæ Duciſſæ Palatini Sendomirienſis filiæ;

Eiuſdem inauguratio;

eiuſdem nuptiæ.

uatoris nostri dicata, religiosiùs cùm omnium Christianorum, tum potissimùm Moschorum obseruatione transigi soleat, intempestiuam lætitiæ solennitatem abominantibus. Sed Princeps innatâ superbiâ rebus tum ad votum succedentibus elatus, in ipso temulenti conuiuij strepitu, quod Alexander Gazsieuius Regis legatus, Cæsareo nomine eum compellare recusauerit, non in illum modò præsentem, sed in Regem ipsum, à quo in Polonia liberaliter fuerat exceptus, eoque & conniuente & fauente tantum Imperium adeptus, sermone procaci inuectus, bello se eam iniuriam vindicaturum minatus, in tantum efferbuerat, vt nisi Palatini Sendomiriensis interuentu mitigatus fuisset, violentas legato manus admoturus videretur. Cæterùm Polonorum studia affectans, simulatâ comitate eos sibi conciliare volebat, appellando benignè, atque depositâ Principis personâ, familiariter cum illis conuersando, idque potissimùm extremo infaustæ istius lætitiæ die: quos solennibus epulis instructo conuiuio, mensæ adhibitos, posteaquàm vino incaluisse videt, mutuis ad compotandum inuitationibus, hilarem & iucundum se exhibens, commilitones, contubernales, suæ fortunæ socios appellabat, illorum operâ se deinceps vsurum dictitans: hæc & id genus vulgo militum grata, dubios interdum de Rege interserens sermones, iactabat. Destinatum erat iam tum Moschis cædem meditatam perficere, sed noctem à nostris conuiuij causâ peruigilem actam, suspectam habentes, in posterum diem destinata distulerunt; erant qui Palatino insidias strui denunciarent, certaque eius rei indicia proferrent: verùm ille fatali socordiâ hæc contemnens, eosque qui hæc deferebant, tanquàm temerè pauidos increpans, nihil tale euenturum affirmabat. Ecce verò altero die, instructis paratisque rebus omnibus, signo maioris æris campani, quod ingentis tumultus est indicium, sole oriente dato, præcipui cum armatis cohortibus arcem, nequicquam satellitibus qui custodiæ causâ excubabant, resistentibus, irrumpunt, fores Palatij Principalis cubiculi effringunt, Demetrium tumultu excitatum ad Bosmanum fidum sibi, qui proximè cubabat, progressum, sed illo iam cæso, in se impetum fieri conspicantem, nec amplius vxori, nisi se quidem fraude proditum esse, illam tamen citra periculum fore prolocutum, rapiunt, ac è superiori loco fenestrâ deiectum, contumeliosè tractatum, ante fores domus, in quâ Palatinus erat (quam veriti ne ea à populo inuaderetur, principalesque thesauri, qui curribus impositi in Poloniam mittebantur, discerperentur, militari custodiâ initio tumultus sepserant) protrahunt, ibique, quò conspectior mors foret, obtruncant. Plebs vniuersa, tanquàm Principem, quem à Polonis inuadi coniurati conclamabant, defensura in eorum hospitia impetum facit, fit vndique atrox cædes, & plurima mortis imago. Dux Visneuecius vir militaris, cùm se peti videret, cohortatus suos vltro prorumpit, ingentique editâ strage, Moschos reiicit, iterumque inuadere volentes, pari felicitate ita profligat, & in fu-

Demetrij Moschouiæ Ducis fastus, quem Alexander Gazsieuius Cæsareo nomine appellare abnuit.

Demetrius studia Polonorum ambit,

in Sigismundum III. Regẽ Poloniæ ingratus.

Demetrium fictum Moschouiæ Ducẽ obtruncant Moschi.

inter Polonos & Moschos atrox vtrimq; cædes.

Visnieuiecij in illo tumultu, & Polonorum virtus.

fugam vertit, vt deinceps propiùs accedere ausi non fuerint: non absimili quoque audaciâ cæteri in sui defensionem prorumpunt, cædeque ingenti editâ, vt ipsi quoque non inulti caderent, efficiebant. Cæso demū Demetrio, Proceres ad sedādum tumultū, quem mutuâ vtriusque gentis pernicie fieri videbant, conuersi, imprimis Galicinus primarius Senator, Palatinum clarâ voce compellans, vt certos homines qui de pace cum Proceribus agerent mitteret, monet, simulque impostorem dedisse pœnas significat occisumque demonstrat, ac exosculatâ cruce (is iurandi apud Moschos ritus) fide datâ firmat. Palatinus circumspectis ijs rebus omnibus, se in angusto videns, & spem omnem, nisi quam hostis daret, salutis præcisam, acceptis datisque obsidibus, cætera, vt in tali casu, magis ex hostium, quàm suo arbitrio componit. Nostri hospitijs datis custodibus coërcentur, Suiscius tumultuarijs coniuratorum suffragijs Princeps declaratur. Hæc cùm in Poloniam nunciata essent, nemo erat qui non vicem cæsorum captorumque istic doleret, multis cognatos affinesque suos desiderantibus. Constans eo tempore fama erat, nonnullos è factione Rocossianâ promissis Demetrij inescatos, clàm cum eo de tradendo illi Regno consilia iniuisse, atque de Lublinensis conuentus euentu, impendentiumque motuum successu, celeriter per dispositos equos misso nuntio, certiorem eum reddidisse: verumne id fuerit, affirmare non ausim; minimè tamen ea quæ tum in ore populi erant, silentio prætерire debui: hoc tamen constat impostorem illum, ingentem pecuniæ summam certis hominibus (ac inter alios Stadnicio acerrimo Regis oppugnatori) centum millia florenorum ex thesauro depromptam mittendam destinasse, iamque curribus impositam vt in Poloniam veheretur, per Moschos, eo demum interfecto, interceptam esse.

Proceres Moschi sedare conantur tumultum.

Iurandi ritus Moschis.

Palatinus Sendomiriensis cum Moschis transegit.

Poloni arctâ ibidem custodiâ circumdati: Suiscius Magnus Moschouiæ Dux declaratus. Rocossianos cum Demetrio de tradendo illi regno tractasse fama erat. à Demetrio summa centum millium florenorum Stadnicio Regis oppugnatori destinata, sed à Moschis intercepta.

Deliberabat intereà Rex Cracouiæ cum Senatoribus qui frequentes venerant, quid in tali totius Regni perturbatione facto opus esset: mitti itaque placuit Regis nomine primarios è Senatu, mitibus cum mandatis, atque in illo conuentu palàm declarandum, Regem in eo semper fuisse, vt & conditionibus, quibus sibi hoc Regnum delatum est, satisfaceret, & iura Regni secundùm datam à se fidem conseruaret, ac tueretur; si quid prætereà desideraretur, non alienam fore Regiam Maiestatem ab ineundis eiusmodi rationibus quibus Reipublicæ satisfiat: modò more maiorum & non per tumultum id sibi proponatur, ostendendum postremò nihil minùs Regem, quàm de deserendo hoc Regno, vel (quod absit) prodendo cogitare. Delecti qui legationis munere fungerentur, Petrus Tylicki Episcopus Cracouiensis, Stanislaus Minski Regni Procancellarius, hi ambo Palatino, quod in continuâ eius essent amicitiâ nō ingrati futuri, ac proinde fidem & auctoritatem habituri, multumque priuatis etiam admonitionibus effecturi credebantur. Rocossianæ factionis duces, maturè locum futuro conuentui designatum, armatis hominibus occuparunt; cæteri nouarum rerum studio, plures incerti quâ de cau-

Placuit mitti primarios Senatores ad Rocossianos.

sâ euocati, vnum illud, ne si non comparerent, graui pœnâ mulctarentur veriti, nec quid vel à quo iuberentur gnari, certatim se accingebant: is certè erat rerum status, vt vnus in aliquo districtu seditiosus & audax, cæteros quantumuis pacatos, quocumque vellet, traheret: videre erat senio confectos patresfamilias, & longo otio desides, segnem & bellorum oblitam Nobilitatē, arma expedire, mercari equos, & velut hostis adesset, in prælium accingi, bellico apparatu cuncta strepere: pauci admodùm, non modestiæ modò memores, ac præsenti rerum statu cōtenti, verùm etiam toto eo negotio diligenter expenso, se vnius Senatoris, & paucorum seditiosorum edictis cogi non posse, nec debere considerantes, domi rei familiaris curâ occupati, alienæ vel insaniæ, vel stultitiæ spectatores esse, quàm socij maluerunt, nec se istis motibus immiscuerunt.

Ex nobilitate prudentiores illis motibus non se immiscuêre.

E Senatu præcipui quique magnum Equestris Ordinis numerum secum adducentes, Cracouiæ Regi præstò fuêre: sed præcipuè Russiæ Proceres Regiarum partium robur, frequentibus bellis assueta armis Nobilitas, equis virisque insignes, ac numeroso comitatu, vti soliti, Regi operam suam deferebant. Stanislaus Zolkieuius Regis & Senatus mandato, militem, qui Regi præsidio esset adducere iussus, atque cum his, qui suâ sponte in gratiam Regis nomina dabant, coniunctis viribus iusto exercitu versus Visliciam progrediebatur, quò Rex copias omnes coire iussit, quòd oppidum illud medio Sendomiriam inter & Cracouiam, & naturâ munito, vastas & imperuias paludes, Nidâ flumine circumfundente loco, fertili ac vberi solo situm, & ad conferenda cum aduersâ factione consilia, rationesque concordiæ proponendas, ob propinquitatem percommodum, & ad hostes arcendos, si, quod initio se facturos superbis denuntiationibus ostenderant, vim attentarent, & arma versus Cracouiam promouere vellent, valdè opportunum esset.

Præcipui è Senatu Regi addicti erant.

sed maximo subsidio fuêre Russiæ Proceres.

Stanislaus Zolkieuius exercituum Dux Campestris militem è Russiæ finibus præsidio Regi ducit.

Visliciæ situs.

Igitur tertio Idus Augusti Reginâ vxore & filio cum iusto præsidio Cracouiæ relictis, Rex cum tribus circiter equitum & peditum millibus, ac magno Senatorum, Nobilitatisque numero, versus Visliciam mouit, ac biduo in itinere moratus, tertijs castris Visliciam peruenit: quò paucis pòst diebus Russiæ quoque copiæ, septem millia magnâ ex parte equitum hastatorum, veteranorumque cohortium superuenêre. Erat is exercitus, si cum Rocossianorum multitudine conferretur, quorum ad centum millia armatorum fuisse perhibentur, longè numero impar, sed Rocossiani, præterquàm quòd non satis ipsimet concordes, ac in factiones diuisi, cæteri etiam temerè istic congregati, ipsâ mole ad regendum inhabiles, parumque bello vtiles, numerus magis, quàm exercitus censeri poterant. Regij Duces consentientibus in vnum voluntatibus tumultuantem licet, & seditioni, vt in bellis ciuilibus fieri solet, obnoxium, & partium studijs infectum militem, sed ab vno imperia accipientem facilè in officio continebant, ac quocumque ducere vellent, paratum expeditumque exercitum habebant. Non immeritò pu-

Rex Visliciam versus mouet.

Veteranus Exercitus quantus.

Rocossianorū multitudo ingens, sed ad regendum inhabiles.

Rocossiani Zolkieuium à deductione militis è Russiâ dehortantur. pugit Rocossianos, hoc tam insigne potentiæ Regiæ pręsidij militaris robur; igitur & Zolkieuio imprimis persuadere conati sunt, ne militem Reipublicæ stipendio auctoratum, qui finibus Regni præsidio esset, in viscera Regni adduceret, secus facturum eum contra officium & iuramentum, meminerit quod onus sustinet, in quo si quid erratum esset, vel Respublica detrimentum acciperet, rationem ei esse reddendam: pari modo milites ne se negotijs publicis immiscerent, ne causam communem, quæ tuendarum & propugnandarum legum & libertatum studio suscepta est, oppugnatum irent, acriter hortati sunt. *ijdem deterrent milites à defensione causæ Regiæ.* Hæc tum illi; obliti nimirùm à se primò armorum initium esse factum, scriptum militem, lectos belli Duces, vsurpataque publica munia, eorum plerosque peregrino Hungarorum satellitio septos, rerum & consiliorum summam sibi vindicasse. *rationem facti sui reddit Zolkieuius.* Hoc idem in eos retorquens Zolkieuius, se officij sui, in quo hactenùs ita in Republicâ versatus esset, vt laudem & commendationem omnium iudicio mereretur, memorem esse respondit, nemini amore & boni publici studio cedere velle, pro patriâ mortem oppetere paratum esse: quidquid ad integritatem legum, & libertatum conseruandarum pertineret, se libenter facturum; idcircò se cum alijs Russiæ Senatoribus & flore Nobilitatis huc venisse. Exercitum qui ideò adductum affirmant, vt alienæ pertinaciæ inseruiat, & ad opprimendam Nobilitatem eo vtatur, eos insignem iniuriam suæ famæ & existimationi, pręter vllum suum meritum, inferre: officij sui functionem, ex auctoritate Regis, & Senatus dependere; hinc cùm videret externum militem intra Regnum sub signis esse, non longè à finibus alios exercitus vicinorum suspectæ erga nos fidei versari, hortantibus, idemque suadentibus vniuersæ Russiæ ordinibus, se parere debuisse. Iuramenta à belli Ducibus, quibus sponderent, se milite in Reipublicæ negotijs non vsuros, interregni tantùm tempore bis terúe exacta: aliam præsentis temporis esse rationem, se nullo iuramento obligatum esse, nec prohiberi posse, quin Reipublicæ quocumque eius periculum vocat, iubente Rege & Senatu, præsidio sit: non commissurum vt factum suum meritò culpare possint: darent illi vicissim operam, ne quo præcipiti consilio communem Patriam in discrimen conijciant. *Idem facit exercitus.* In eam ferè quoque sententiam nomine exercitus Regij responsum datum, adiectumque immeritò se in eam suspicionem adduci, tanquàm opprimendæ Nobilitatis causâ huc venissent, bellis contra Patriæ Christianique nominis hostes (quos non ita pridem præclarâ victoriâ Regiæ Maiestatis auspicijs fuderant) assuetos, huc venturos non fuisse, nisi publico Regis & Patriæ periculo commouerentur, his se deesse non potuisse: cæterùm nihil à se nisi pacatum expectandum.

Quis successus legationis Regiæ ad Rocossianos. Intereà legati Regij postquàm ea quæ nomine Regis erant iussi proponere, in consessu Conuentus Rocossiani exposuissent, etsi

res

res omnes, totaque ferme Nobilitas, factionum ſtudijs non infecta, acceptanda ea quæ offerebantur, conditioneſque concordiæ non reſpuendas, deque eo cum Rege & Senatu agendum cenſeret; primores tamen nequaquàm ex dignitate tanti conuentus, cuius maieſtas ſupra Regiam eſſet, id fore exiſtimantes, ſi Rex denuntiationibus auctoritate Lublinenſis conuentus factis, & legationibus eluſis, præſens ipſe eò non veniret, & cunctis quæ ab eo poſtulantur non ſatisfaceret, ſeque & Senatum dimiſſo exercitu, iudicio & arbitrio vniuerſæ Nobilitatis non permitteret. In eam itaque ſententiam, legatis Regijs poſt multas diſceptationes (contemptis eorum monitis priuatiſque, quibus Palatinum ad pacatiora conſilia traducere conabantur, cohortationibus) demum decimoquinto Calendas Septembris reſponſum datum, illudque prætereà additum, vt niſi Rex ablegato exercitu, vnà cum Senatu quintum intra diem iſtic ea, quæ Lublinenſis conuentus nomine illi propoſita ſunt, re ipſâ expleturus comparuerit, ſe, eo abſente, ea conſilia quæ præſens Reipublicæ ſtatus requirit, amplexuros. Expeditis ita Regijs legatis, quò Nobilitatem vniuerſam (quam videbant diu vno in loco detineri non poſſe) ſuis conſilijs obnoxiam facerent; concipiunt quandam ſponſionis formulam (confœderationem vocant) quâ ad exemplum cùm aliarum, tum potiſſimùm Varſauienſis Anno Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio (quâ libertas religionis ſancita eſt) in interregno factæ, cuncti obſtringerentur, ſe ea quæ in illo conuentu propoſita eſſent, & ad firmandas Patrias leges & libertates augendas, erroreſque in adminiſtratione Reipublicæ corrigendos, pertinerent, conſtanter promoturos, in eoſque qui diuerſum ſentirent, & eius conuentus auctoritati quoquo modo derogare, vel alios ab eo auocare vellent, licet ſanguine & amicitiâ iuncti eſſent, ex præſcripto legum animaduerſuros. In eam cùm paſſim nomina daret Nobilitas, cautiores plerique ita demum eâ ſe teneri velle ſubſcribebant, vt ſaluo præſenti rerum ſtatu, Regiſque imperio, ea rata eſſet. Quorum exemplum alij ſecuti, (præter eos qui rerum nouarum ſtudio tenebantur) cùm conceptam formulam ſubſcriberent, eandem adijciebant ſubſcriptionem; quæ cùm à Radiuilio & Stadnicio, muſſante Palatino, non admitteretur, paſſimque eâ re offenſa Nobilitas dilaberetur, poſtremò, caſu an ſtudio, accidit vt vno die armatis & inſtructis exercitibus, circumfuſo Comitio, ſiue quod reuerà ij qui primas potentiæ partes tenebant, parum mutuò ſibi fiderent, ſiue vt metum cæteris qui eorum expertes erant conſilij incuterent, tantus repentè tumultus exoriretur, vt cunctis ad arma conclamantibus parum abfuerit, quin facto aliquo cædis initio, flos ipſe Nobilitatis, innoxiæ temeritatis alienâ culpâ contractæ, pœnas ſanguine exoluerit. Certatim poſteà diuturnæ expectationis peroſa Nobilitas vrgebat Palatinum, vt ea, quæ ſecretò comperta habebat, proferret: ille vt ſemper ancipiti vſus ſermone, poſteaquàm delatum ad ſe exercituum Rocoſſianorum Imperatoris munus

Reſponſum Legatis Regijs à Rocoſsianis.

Quâ ratione auctores motus Rocoſsiani Nobilitatem ſuis conſiliis obnoxiam facere nituntur.

Tumultus inter Rocoſsianos.

Nobilitas vrget Palatinum vt quidquid ſciret contra Regem proferret.

maius esse, quàm vt ab vno sustineri posset, ostendisset; Eò, inquit, illud grauius est, quantò magis nos mutuâ discordiâ laboramus, incerti an omnes qui nobiscum sunt, idem sentiant. Me vnum passim inuidiæ obijciunt, tamquàm pollicitus fuerim vltra ea, quæ ad Stæzicã & Lublini in lucem protuli, aliquid secretius aperire, & Regiam Maiestatẽ accusare: nego à me tale quidquã promissum fuisse, eorumque qui tum mecũ fuerunt, memoriam appello. Quidquid à me fides Senatoria postulabat, nõ modò cum fortunarum mearũ, sed vitæ meæ, liberorumque meorũ periculo pręstiti, nec Regiæ gratiæ, quâ me floruisse nemo ignorat, rationem habui, modò bono publico cõsulerem. Quorsum hęc igitur de non mutando Rege nonnullorũ declaratio, cùm ego quoque dudum de eâ re sensum meũ aperuerim? Sed si Regis imperio contenti sunt, quare vt ea quæ cõperta habeo proferam, vrgent? quando verò id à me postulant, eo ipso veram pręsentis imperij mutationẽ flagitare videntur. Ego in hoc puncto honoris mei causâ subsisto; quòd si plura exprimere voluerint, & mentẽ suam candidè mihi patefecerint, nec cętera silebo. Eâ ratione id efficere volebat, vt si vniuersi se eius cõsilia secuturos, & in eius potestate futuros pollicerentur, tum demũ secretum illud, cuius anxiâ expectatione tã diu hominũ animos suspensos tenebat, esset reuelaturus. Non fefellit cautos hęc tam anceps & dubia illius declaratio, cùm passim omnes dicerent, nimirũ illum velle, vt Regis vel amouendi, vel retinendi suum esset arbitriũ, idque consensu omnium ad se deferretur. Cur enim quidquid illud est in medium non proferret? faciliùs omnes, quàm illum vnũ iudicaturos, an Rex tãto se crimine obstrinxerit, vt Regno amouendus videretur: nũc id eum postulare, vt de incerto facto priùs iudiciũ fiat, quàm quale illud sit, vel an omnino sit, ostendatur: Rexq; optimus indictâ causâ tumultuantis populi acclamationibus Regno priuetur. Quare eiusmodi parum sinceris Palatini progressibus magnâ ex parte offensi dilabi cœpêre: quod cùm à Rocossianis esset animaduersum, veriti ne nullam eius conuentus è tantâ quæ initio erat multitudine speciem retinerent, certos ex omnibus Palatinatibus homines, quos suorum consiliorum fautores existimabant, legendos curarunt, qui finem conuentus præstolarentur, atque absentium nomine publica negotia tractarent.

Responsum ad hæc Palatini.

instat acriùs Nobilitas Palatino:

quæ dilabi cœpit.

Rex postquàm suos legatos nullo certo dato responso dimissos esse, atque aduersarios temerè in proposito perstare, suique conuentus ignotam hactenùs maiestatem ambitiosè asserere, & nec Senatus iudicio stare, nec vllas concordiæ propositas rationes amplecti velle intellexit, re cum Senatu communicatâ, eò descendendum sibi putauit, vt se totumq; controuersum hoc negotium iudicio Senatus & Equestris ordinis, qui frequens Visliciæ erat, permitteret. Igitur initio consultationis facto, atque ijs, quæ vel inuidiæ Regi conciliandæ causâ passim iactabantur, vel quæ reuerà aliquâ moderatione & correctione indigere videbantur, propositis, mutuisque deliberationibus pertractatis, cùm multa salutaria decreta

Rex quo Rocosianorum pertinaciam sanaret, causam suam arbitrio Senatus & Equestris ordinis permisit.

creta facta essent, quibus ipsimet aduersarij acquieturi existimabantur, Rex per literas, Ordines ipsi per Ioannem Grzymultowski Castellanum Bidgostiensem, & Stanislaum Zaliwski Capitaneum Varsauiensem legatos suos Rocossianis hoc ipsum significarunt. A quibus postulabatur, vt si bonâ fide salutem Reipublicæ curandam susciperent, suis quoque consilijs locum darent: se in frequenti Senatus & Equestris Ordinis consessu de eisdem quæ istic proposita sunt, & quæ præsens rerum status exposcit, negotijs consultaturos: scirent sibi quoque salutem Patriæ curæ esse, nec minori conseruandarum & augendarum libertatum & iurium quàm illos studio teneri: in eo esse Regiam Maiestatem, vt votis & desiderijs Ordinum clementer annuere non recuset: quare non debere illos aspernari, & optimam Regis voluntatem & suum in communi causâ studium, nec à conferendis mutuis studijs abhorrere: se quantò Regiam Maiestatem, & ad pacificandum Regnum, & ad augendas propagandasque libertates, proniorem facilioremque experiuntur, tantò constantiùs more maiorum in fide illius permansuros. Non poterant apertè Rocossiani id, quod tam prolixè deferebatur aspernari; & quamquàm non esse legitimum illum Visliciensem conuentum contenderent, multisque conuicijs nonnullos è Senatu, tectis quidem nominibus, sed ita, vt quos designarent facilè appareret, lacesserent, cæterosque qui quamuis culpæ ipsi expertes essent, cum eis tamen consiliorum societatem haberent, grauiter & acerbè incusarent, se tamen expectaturos quid istic constituatur, nec antè vltimam manum suis consultationibus imposituros receperunt. Visliciæ, vt inter eos qui priuatis non dissociantur, accidere solet, facilè de omnibus conuenit, Rege sponte Reipublicæ causâ omnia concedente: illud tamen cauebatur, vt cùm eiusmodi extraordinarij conuentus, malo & antehac inusitato exemplo coacti sint, scita quoque eorum non priùs auctoritatem & vim legum haberent, quàm ea Comitiorum placito rata esse iuberentur. Inter profanum sacrumque ordinem diu disputatum, cùm is quædam in derogationem iuris sui inducta quereretur: postremò ne id ipsum publicæ concordiæ obstaret, concessis nonnullis vel alij tempori reseruatis, profitentibus palàm Episcopis, se ea tantùm probare in quæ sacris legibus consentire non prohiberentur, finis controuersiæ impositus est. Postquàm verò scita Visliciensia Regiâ auctoritate approbata sunt, non antè vulgari ea placuit, quàm secundùm quod per legatos promissum erat, Rocossianis exhiberentur: si fortè ij perspecto Regis candore, illis quoque acquiescerent. Quare datum est negotium Henrico Firley Regni Referendario, hæc ipsa scita nomine Visliciensis conuentus deferendi ad Rocossianos: à quibus cùm proximi legati, mordaci cũ responso, quo & Acta conuentus Visliciensis, & personæ priuatæ exagitabãtur, dimissi fuissent, atque Coricinius spectatę indolis iuuenis Secretarius Regis, nomine Regio cũ literis eò profectus, in cõsessu illo sibilis exceptus, & penè

Id Senatores & nobilitas Regiarum partium Rocossianis significant, & vt consilijs suis acquiescant, petunt.

Rocossiani promittunt se expectaturos, quid in Visliciensi conuentu constituatur.

Visliciæ facilè de omnibus inter partes conuentum.

cæterùm ne Ecclesiæ iuribus quid præiudicaretur, Episcopi præcauent.

Hæc quæ Visliciæ constituta fuêre, per Henricum Firley Regni Referendariũ Rocossianis significantur.

penè ludibrio habitus fuiſſet : iuſſus idem ex præſcripto datæ legationis eo nomine iſtic queri, atque rei indignitatem explicare, viciſſimque præſentis in Republicâ motus culpã, quam pleriſque Senatoribus illi imputabant, in eius auctores & tanti tumultus nouo exemplo excitati inuentores, retorquere: atque oſtendere, hæc quæ illi immeritò obijciunt, ſeque apud ignaros iactant, multò luculentiùs illis libertatis egregijs (ſi Superis placet) aſſertoribus poſſe obijci, niſi maior publicæ tranquillitatis, & fraterni amoris, quàm priuatorum affectuum ratio haberetur: meliùs itaque eos facturos & Reipublicæ conſulturos, ſi depoſitis odijs, pereunti Patriæ conſentientibus ſecũ (quos pari atque eodem boni publici ſtudio teneri, atque amore Patriæ nemini concedere velle dubitari non poteſt) animis opem ferrent. Internis quidem periculis, ſatis his, quæ concordi omnium conſenſu decretę à ſe ſunt ſanctionibus, caueri, mutuumque inter Regem & ſubditos amorem, ſublatis vanis ſuſpicionibus ſtabiliri, cætera commodiori tempori reſeruanda, nec defore occaſionem aliorum defectuum, quibus in præſentia prouideri non poteſt, ſarciendorum. Daturam locum ſemper Regiam Maieſtatem poſtulationibus ordinum, atque etiam eius rei causâ Regni Comitia maturiùs ſolito indicturam : in quibus (modò ne ea illi infecta reddere, & auctoritati publicæ, quemadmodùm proximè factum eſt, derogare velint) facilè, ſi more maiorum publica tractentur conſilia, quaſſatæ Reipublicę vulnera, adhibitis remedijs ſanari poterunt : orare, obteſtari per communis Patriæ amorem, mutuaque vincula, ne hanc Regis propenſam erga vniuerſam Rempublicam voluntatem, optimumque animum aſpernari velint : redderent Patriæ optatam pacem, exercitus plerumque externis hominibus nomini Polono parum amicis conſtantes dimitterent : ipſi pacatè domi tempus Comitiorum præſtolarentur. Denuntiare poſtremò, ſi propoſitis à ſe concordiæ & pacis rationibus acquieſcere noluerint, præſentem Reipublicæ ſtatum conuellere temerarijs conatibus, Patriam in diſcrimẽ conijcere, conditionibus grauioribus (non alio fine, niſi vt ſupremam auctoritatem deprimant) Regiam Maieſtatem onerare, iura Imperij ſibi in alios vſurpare, exercitum augere, tributa imperare, legatos externos excipere, & cum eis pacta inire, leges & decreta citra aliorum aſſenſum ferre non deſtiterint, ſe ſibi & Reipublicæ non defuturos, pro Rege, pro Patriâ, Patrijſque legibus, màximos licet ſeditioſorum exercitus non reformidaturos, verùm fortunas, vitam & ſanguinem profuſuros; legatus niſi intra quartum diem expeditus fuerit, ea conſilia ſuſcepturos, vt Reipublicæ in hoc præſenti eius ſtatu proſpiciatur. Satis apparebat Rocoſſianos hac conteſtatione commotos, & eâ ſpe, quam initio conceperát, Regios nec conſtanter in propoſito manſuros, nec certam aliquam expediendorum conſiliorum rationem reperturos, deiectos; paucis igitur reſpondent, atque omnem tam ſeueræ ad ſe miſſæ legationis culpam, abſoluti imperij auctoribus adſcribunt; eos quò meritas pœnas effugiant, vim

Reſponſum ad ea Rocoſſianorum.

vim ſpectare, vt mutuis cædibus abſumptâ Nobilitate, ipſi rerum potiantur. De ſanctionibus Viſlicienſibus, cùm ij tantùm dilapsâ ad præſens obeundorum priuatorum conuentuum causâ Nobilitate, conuentui interſint, quibus ſuprema eius directio commiſſa eſt, ſe iudicium ferre non poſſe, tum demum id facturos, cùm rurſus omnes (quod ſub finem conuentus Rocoſſiani futurum ſperant) redierint. Mittere interim legatos ſuos, qui vniuerſalis huius conuentus decreta Regiæ Maieſtati proponant. Eo cum reſponſo cùm Firleius rediiſſet, omneſque aduerſæ factionis conatus aliò ſpectare docuiſſet, quò in omnem futuri caſus euentum, ij qui Viſliciæ erant parati eſſent, atque & Regis dignitati, & Patriæ ſaluti proſpicerent, vnanimi omnium conſenſu, mutuâ ſe fide obſtrinxerunt, publiceque propoſito ſcripto, longâ narratione omnium ab initio Rocoſſianæ ſectæ pernicioſorum in Republicâ progreſſuum præmiſsâ, profeſſi ſunt, fidem honoremque ſuum obſtringentes, ſe mutuò ſibi non defuturos: atque ad aſſerendam Patriæ tranquillitatem Sereniſſimi Regis imperium, maieſtatem & honorem (legibus, immunitatibus, atque iuriſdictionibus quibuſuis minimè derogando) omnes vires & conatus impenſuros: hoſtium numero eos qui quocumque prætextu, noui quidpiam moliri, & pernicioſa inire conſilia auſi fuerint, nullo ſanguinis vel amicitiæ reſpectu habituros, atque vt ij, niſi à Regiâ Maieſtate poſtremò moniti paruerint, tanquàm perduelles & hoſtes Patriæ, ſupremâ Regiæ Maieſtatis & omnium iuriſdictionum auctoritate, pœnis legum, quibus ſe obnoxios reddiderunt, afficiantur, effecturos. Vetus fuit in Poloniâ is mos, fœdere contra turbulentos ac ſeditioſos ciues ſe obſtringendi, vt quos leges & Magiſtratus legitimi coërcere non poſſint, eos armatæ multitudinis conſenſus in officio retineat, & effrenatam licentiam extraordinariæ poteſtatis vi circumſcriptam, & in ordinem redactam, legibus parere cogat. Id tum quoque petitis ex veterum monumentis exemplis vſurpare placuit: longè quidem diuerſum ab eo, quod à Rocoſſianis initum erat, fœdere; nam illud contra Regem & Senatum factum coniuratio potiùs paucorum machinatione cæteris in errorem inductis, & quam ob cauſam illud fieret, magnâ ex parte ignaris, dici poterat; hoc legibus & exemplis fundatum, & ſtatus præſentis tuendi causâ fuiſſe ſancitum nemo in dubium vocare poterat.

Senatores & Nobilitas ſanioris conſilij mutuâ fide ſe obſtringunt Regi & Patriæ contra rebelles opem laturos.

Vetus in Poloniâ mos fœdere ſe contra turbulentos ciues obſtringendi.

Rocoßianorũ paucorum coniuratio potiùs contra Regem, quàm fœdus dici potuit, nonnullorum machinatione, aliis in errorem inductis.

Venerant intereà Rocoſſiani legati Viſliciam, quibus cùm dicendi in Senatu poteſtas facta eſſet, queſti à Rege tam diu ſpes ſuas fruſtratas, nec veteres modò iniurias diu deſideratâ & flagitatâ ſatisfactione non abolitas, ſed nouis inſuper exacerbatos ſubditorum animos, milite Regio in viſcera Regni immiſſo, & prædas ex bonis eorum, qui conſilia publica promouent, agente: patere iam ſibi viam, ſi ſummo iure vti velint, ad renunciandum Regiæ obedientiæ, ſed nondum eò deſcendere, quin etiam fidem & obedientiam conſtanter præſtituros, ſi Regia Maieſtas ea quæ in conuentu Rocoſſiano ſancita ſunt rata habuerit, quæque po-

Legati Rocoßiani ad Regẽ mißi Viſliciam: quorum legationis ſumma.

ſtulantur, continuò præſtiterit: ſin ſecus factum fuerit, eos ſibi & Reipublicæ aliter proſpecturos. Dein productis his ipſis ſanctionibus cùm perlectæ eſſent (& erat longa & prolixa earum ſeries,)illud prætereà adiecerant, vt ea omnia Rex non modò probaret, ſed & nouo inſuper firmaret iuramento, & vadibus ex Senatu datis, ac diplomate denique ſe omnia præſtiturum, Reipublicæ caueret. Multa erant quæ ijs rogationibus continebantur, non ipſi modò Principi, ſed vniuerſis ordinibus grauia; humana diuinaque iura conuulſa, decreta & priuilegia, leges denique abrogatæ; legibus impijs circumſcripta religio, ſanctiores & auguſtiores Regni Magiſtratus in ordinem redacti, vt planè appareret ſeditioſæ plebis & Hæreticorum ea eſſe commenta: ſed nihil indignius quàm optimũ Regem periurij crimine damnari, ad præſtandum iteratò iuramentum, vadeſque velut ſuſpectâ fide dandos eum cogi: non ſubditos ad Principem, ſed ad hoſtem talem mittere legationẽ ſolere: fremere cuncti & indignari, atque etiam non temerè in eam venire ſuſpicionem, nequaquàm tam exiguam hominum manum tantum auſuram fuiſſe, ni ſpe externi auxilij fulciretur, expectatum donec reliqui benè de Republicâ ſentientes dilaberentur, vt ſoli ſeditionis auctores, quò faciliùs deſtinata perficerent, tam grauibus & iniquis propoſitis conditionibus, omnem ſpem concordiæ præciderent; non conditiones, ſed decreta proponi, quibus niſi pareatur, extrema quæque denunciari. Quare toto negotio expenſo, poſtquàm interrogati ij qui legatione fungebantur, an id quod proponebatur præcisè vrgerent, nequaquàm ſibi quicquam remittendi vel conſultandi relictam poteſtatem retuliſſent; deliberatum in Senatu quid reſpondendum tam ſuperbæ & ambitioſæ legationi foret, itumque in eam ſententiam, vt tali cum reſponſo legati dimitterentur, vt intelligerent cuncti Regiæ Maieſtati curæ eſſe, & dignitatem ſuam & Reipublicæ ſalutem. Igitur repetito toto hoc turbulento tempore partis aduerſæ pernicioſis temerariorum conſiliorum conatibus, oſtenſum quantâ Regia Maieſtas in ijs ſanandis vſa fuerit benignitate & clementiâ: illos Comitia ritè indicta diſſoluiſſe: varijs ſuſpicionibus pacatos, ſed nimis credulos Regni ciues in ſeditionem egiſſe, eoſque in Stæzicenſi Lublinenſique conuentu, ſpe arcani cuiuſdam ſecreti reuelandi eluſos, & huc illucque traductos ſumptibus exhauſiſſe: hoc deinde Sendomirienſi, cuius nomine ſibi applaudunt, indicto conuentu, eoque peregrino milite, machiniſque bellicis circumſepto Comitio, ſeditioſeque acto, incendium ingens, ſi non ruina (quod abſit) Patriæ, certè ſummo periculo extinguendum excitaſſe; auctoritatem corrigendi, poteſtatem ſtatuendi, maieſtatem imperandi vſurpaſſe, non Regem tantùm ipſum, ſed & Senatum falſis & fictis oneraſſe ſuſpicionibus, quò faciliùs, excluſis & in odium populi adductis Reipublicæ cuſtodibus, ipſi pro arbitrio innoxiâ & ſimplici aliorum credulitate abuterentur, eoſque ſuſpenſos magis quàm ſecuros, ſpeque libertatis adipiſcendæ vel retinendæ accenſos, ſuis deſtinatis oppor-

Summa eorũ quæ à Rocoſſianis petebantur.

Ad ea reſponſum Regium.

portunos redderent. Indixisse iustitium, abrogasse iuris dicundi supremi Tribunalis subsellijs potestatem; noua induxisse iudicia, eaque temerarijs decretis exercuisse, exercitus Duces creasse belliique administrationem hominibus priuatis detulisse. Vnum è suis Regiæ Maiestatis nomen nefariè proscindentem, & obedientiam priuatâ auctoritate Regiæ Maiestati renunciantem, non modò non reprehendisse, sed tacito quasi assensu dicta eius probasse. Id quâ fide, quâ integritate, quâ auctoritate ab ijs susceptum actumque sit, præsens satis testatur legatio, quam nec his qui eâ funguntur probari, ac multò minùs ijs qui istic incertis subscriptionibus irretiti nomina sua ei dederunt, probatum iri certò sibi persuadet Regia Maiestas: verùm hanc temeritatem non posteritatis modò damnabit memoria, sed Deus ipse innocentiæ vindex & Regiæ dignitatis auctor & assertor pœnas exacturus est ab auctoribus violatæ vicariæ suæ in terris Maiestatis. Cæterùm vt tantò magis sua benignitas eluceat, si quid vltra benignitatem præstari potest, quamuis læsa Maiestas Regia, placido sedatoque animo iniurijs in sinu altissimi Regis Regum depositis, vestræ legationi respondet. Quidquid hactenùs vel in Reipublicæ administratione prætermissum, aut studiosè neglectum alicui videri potest, si quæ suspiciones obiectarum leuium coniecturarum à Regiâ taciturnitate ortæ esse dicuntur, eius rei culpam nequaquàm Regiæ Maiestati imputari posse. Cæterùm in Reipublicæ functione, atque ijs quæ à supremo magistratu, ac legibus pactisque circumscripto Principe, benè meritis ciuibus debentur, præstandis, quâ voluntate Regia Maiestas fuerit in hoc præsenti conuentu vniuerso Senatui ac Equestri Ordini testatum fecit, quod nunquàm ab inclytâ natione hac, à quâ se Regiâ dignitate cumulatum meminit, animum auersum habuit, numquàm iura & prærogatiuas Regni aliquâ machinatione interuertere cogitâuit, quinimò augere potiùs quàm violare contendit. Reuocarent sibi in mentem, ortus & initia præsentis à se excitatæ in Republicâ tempestatis, quâ curâ Regia Maiestas & suis & Senatus persuasionibus ab instituto Stæzicensi conuentu eos auocare studuerit, quâ facilitate se actionesque suas, atque ea quæ Equestris ordinis nomine ab eo in ijs Comitijs postulabantur, arbitrio Senatus & Nūtiorum permiserit, parata id quod illi, se absente, communibus sententijs decreuissent, præstare; an non tum cunctis bonis fauentibus facilè omnia conuentura fuissent, si non præiudicatis planè animis pacata consilia illi reiecissent? Quid in conuentu Lublinensi dissuadendo? valuitne primæ dignitatis Senatorum interposita auctoritas? preces Nobilitatis, in auertendisque Reipublicæ periculis optimi & salutares conatus? Quid in præsenti, vt vocant, generali Rocossiano conuentu Regij legati, Senatores magni nominis, & summis functi Magistratibus obtinere apud illos potuerunt? Experti fuissent Rocossiani, Lublinensis conuentus postulatis non verbis, sed re responderi, nisi temeritas ad destinatum diu meditatorum

con-

consiliorum scopum præcipites egisset: non tam libertatum cura, quàm concepta odia animum impotentem occuparunt, cupiditate magis dominandi, quàm iurium reformandorum studio acti, nec ratione, sed affectu ducti, nullas Reipublicæ pacandæ rationes admittebant. Malè illos habet, inconcussæ fidei Senatores, maiorum suorum exemplo in hac Reipublicę perturbatione Regis optimi & innocentissimi motos periculo, salutem fortunasque suas huc detulisse, florem iuuentutis ac militare robur ad tuendam Principis dignitatem, arcendaque publica pericula tanquàm ad incendium extinguendum accurrisse, illustrem Equestris ordinis coronam eorum non deceptam promissis, Regis & Patriæ causam tueri. Ipsi interim conculcatis legibus ac libertatibus in contemptum Regiæ dignitatis milite externo ac bellico apparatu septi, audaciæ & licentiæ vexilla proponunt. Illisne vitio vertendum, qui vt Regem Patriamque suam tuerentur, arma ceperunt? an qui peregrinarum legionum fiduciâ vim liberis hominibus denunciant? cui vastatæ & militum prædationibus exhaustæ patriæ, deploranda calamitas imputari debet, nisi ijs qui primi ad arma conclamarunt, & cæteris vt ad vim vi arcendã se accingerent necessitatem fecerunt? Ostendant quâ potestate iura sacri ordinis & Ecclesiarum inuertunt, religiosos cœtus reformant, pias maiorum dotationes infectas reddunt, nouas alias fieri vetant, & pietati modum præscribunt. Eiusmodi ferè sunt pleraque ea quæ vestrâ legatione continentur, de quâ quoniam nec tractandi, nec quidquam remittendi facultatem vobis esse relictam dicitis, nec Regia Maiestas in eâ refellendâ pluribus immorari dignum existimat. Sed si quis exordium & conclusionem huius legationis expendat, non alio fine hæc consilia à Rocossianis suscepta esse aduertet, nisi vt contumelijs & dedecore Regiam existimationem lacerarent, ac conditionibus, quibus satis fieri nequaquàm possit, propositis (cùm illis annuere Regiâ dignitate & vniuersorum ordinum iuribus saluis non liceat) Regno exuerent. Nouo sacramento sua inuenta firmare, datis vadibus cauere iubent, ac ni id fiat, aliter se Reipublicæ prospecturos minantur: immemores non eo fine hos initio motus ab eis excitatos fuisse, vt nouas leges veteribus abrogatis conderent, sed vt antiquatis & abusu neglectis auctoritatem redderent. Eò vsque sua illos prouexit audacia, vt ijs quæ se in lucem prolaturos promiserant, non modò vllo probationis genere non firmatis, sed propè silentio transmissis, decreta nullo legitimo iudicio lata subditi contra dominum promulgent, & quod graue priuatis foret, iniusto Regem ita onerant præiudicio, vt videlicet quasi notatum infamiâ, genti Polonæ liberę & non nisi dignis Regibus parere solitæ inuisum exosumque reddant. Quamobrem Regia Maiestas supremum cœli testata Numen, præsentisque & futuri temporis memoriam; imprimis nullâ in parte iura & libertates Regni, & Ordinum à se esse violata contendit, deinde Regem se esse profitetur, ius ad se liberis suffragijs delatum tueri vult, vt in per-

perſonâ ſuâ futurorum Regum dignitati & auctoritati præiudicetur non paſſurum. Monet & ſeriò hortatur, arma deponant, exercitus dimittant, ijs qui Viſliciæ facta ſunt decreta contenti ſint, futura Comitia pacatè præſtolentur, certi, ſi quid prætereà, quod in hoc tumultuario & extraordinario conſilio expediri non poterat, à ſe poſtularent, iſtic à ſe, cõſenſu legitimo omnium accedente, præſtitum iri. Quòd ſi confeſtim mandatis ſuis parere noluerint, ſe quod muneris Regij eſt, Regno ſubditiſque ſuis pacem & ſecuritatem armis aſſerturum. Hæc tum Regij reſponſi ſumma erat: illud prætereà additum; etſi ea, quæ illi poſtularent talia ſint, quæ vniuerſum Regni tam ſacri, quàm profani ordinis ſtatum concernunt, nec omnibus, quorum nomine proponuntur, ſatis probata, tamen Regiam Maieſtatem hoc quoque conceſſuram, vt collatis vtriuſque partis in vnum conſilijs, quantum illis permittendum ſit deliberetur. Sed cùm legati nulla alia mandata ſe habere, nec de ijs quæ concluſa ſunt iterum in conſilium ituros reſponderent, dimiſſi ſunt.

Ioannes Oſtrogius Caſtellanus Cracouienſis pacificatorem ſe horum motuum offert.

Venerat ijſdem diebus Viſliciam Ioannes Dux Oſtrogiæ Caſtellanus Cracouienſis, hactenùs ita in illo conuentu Rocoſſiano verſatus, vt acta quidem illorum non probaret, ſpem tamen nonnullam Radiuilo, cuius ille è ſorore nepos erat, oſtenderet, ſe non eſſe omnino alienum à ſuis conſilijs, modò ne quid contra Regem moliretur. Is cùm primum inter ſeculares Senatores locum teneret, opibus verò & potentiâ cæteris omnibus præſtaret, ratus id quod erat, ſe præclaram Reipublicæ operam nauaturum, ſi infenſis vtriuſque partis animis medium ſe interponeret, atque conditionibus æquis propoſitis inter infenſos pacem conciliaret; petito & impetrato à Rege vt priuatim, abſente eo, eâ de re ad Senatum referre poſſet, poſtquàm graui oratione, quæ mala diſcordia ciuilis Regni afferat, expoſuiſſet, hortatus eſt Senatum totis viribus adniteretur daretque operam, vt ſublatis mutuis odijs hoc, de quo diſceptatur, negotium pacatis animis diiudicari poſſit. Æqua viſus eſt poſtulare: quare quiſque pro ſe collaudatâ illius ſententiâ, cùm quibus conditionibus id fieri poſſet diſquirerent, nonnemo hoc modo conuenturam ſubintulit. Non dictorum tantùm, ſed factorum ac iniuriarum quibuſcumque perſonis in eâ Reipublicæ perturbatione illatarum obliuio ſanciatur; nemo res ablatas iure repetat; nemo illatum damnum queratur; Rex eodem quo antè gratiæ loco, concitatores Rocoſſiani conuentus, eorumque ſectatores & promotores habeat; ſumptus ab eis facti vel ex publico tributo vel certè Regiâ liberalitate collatis proximè vacaturis Capitaneatibus bonâ fide ſanciantur. Vel ipſum Caſtellanum Cracouienſem, quamuis impensè quacumque ratione concordiam ineundam ſuadentem, ſuppudebat, tales ab ijs, quorum nomine Regem & Senatum exoraturus venerat, conditiones minimè Rege & Senatu dignas ferri. Dictis ſententijs, explicatoque iniquum poſtulare eos qui errati non modò veniam non petunt, verùm etiam excitati tumultus, & turbatæ Reipu-

De eâ rē cum Senatoribus adhærentibus tractat.

blicæ

Sed indigna poscere visus.

blicæ præmium flagitant: & propositâ tot commissorum flagitiorum illatorumque vastatis passim omnium agris damnorum impunitate, perniciosum in posterum licentiæ & turbandæ Reipublicæ exemplum statui: vniuersus ferè Senatus non aliàs pacis conditiones, nisi quibus abolitis planè falsis suspicionibus (quibus aduersa pars Regem & Senatum onerauerat & in odium populi immeritò adduxerat) Regio & suo honori atque existimationi consuleretur, se suscepturum respondit.

Rocossiani per edictum nouum conuentum conuocant.

Rocossiani intereà postquàm legati eorum Visliciâ redierant, siue vt ferebatur acerbiori Regis responso irritati, siue quia id initio destinatum habebant, promulgato edicto, multa priùs de Regis eorumque, qui Visliciæ erant, iniuriâ questi, omnes rursus ad quintum Idus Octobris vt armati præstò adessent finem Rocossianis consultationibus facturi, imminentemque à Regiâ factione vim propulsaturi, summam Reipublicæ agi obtestantes, mandarunt: noui id initium tumultus fore, suosque conatus optatum hoc modo progressum habituros opinantes.

Rex in particularibus conuentibus Nobilitati animum suum per nuntios declarat.

Rex quamuis paulò antè per omnes Regni conuentus, qui stato die quotannis initio Septembris eligendorum Supremi Regni Tribunalis Iudicum causâ obeuntur, missis opportunè Nuntijs, Equestrem Ordinem & de suâ in præsenti dissensione ad ea quæ legitimè flagitabantur præstanda promptitudine, & de aduersæ partis temerarijs & parum ciuilibus atque etiam non immeritò non sibi tantùm sed cæteris etiam benè de Republicâ sentientibus suspectis conatibus edocuerat; tamen quò illorum calumnias dilueret atque ostenderet, se & Senatum immeritò accusari, iterum nouo proposito edicto, æquitate causę consiliorumque suorum multis verbis explicatâ, hoc demum testatus est, sibi pacem inprimis curæ esse, turbulentis ciuibus se veniæ locum daturum, libenterque omnes legitimas concordiæ rationes initurum; hactenùs ab illis nihil æquum proponi; si in eâ pertinaciâ perstiterint, seditiosis Rempublicam armis vexauerint, se Reipublicæ deesse non posse.

Idem iterum facit per edictum,

Vniuersos præthereà officij sui admonens, vt pacatè se gererent, sibique potiùs, si necesse foret, quàm seditiosis ciuibus suppetias ferrent, hortatus est: nullis eos fœderis Rocossiani illegitimè facti ac callidè extorti pactis, quæ ex Senatus sententiâ irrita pronunciata sunt, teneri; ac proinde mandatis priuatorum hominum parere non debere: iussi denique omnes Magistratus, ac iudiciorum præsides munere suo fungi, cùm iustitium nullum sit, ius dicere, pacem publicam priuatamque tueri & promouere.

ostenditq́, Nobilitatem nullis pactis Rocossiani fœderis teneri.

Rex lustrat exercitum.

Ea tum commodè ad continendam in officio Nobilitatem, ne inani metu minarum à Rocossianis intentarum moueretur, facta cùm fuissent, resque interim vix ad æquas conditiones deduci posse viderentur; Regijs Ducibus, priusquàm castra loco mouerentur, experiri placuit quantum sub signis Regijs militum esset. Igitur Zolkieuius in amœnâ Visliciensis agri planicie vniuersum exercitum more militari instructum, sub conspectum Regi dedit: dies erat serena & sole perlustris: quare ful-

gor

gor armorum,nutantes hastarum cuspides, virorum equorumque ornatus,copię & numero & robore insignes,miles magnâ ex parte veteranus, Duces multis bellis exercitati & periti, tantâ admiratione spectantium perstringebant oculos,vt cuiuis æstimanti vires Regias,etiamsi Rocossiani initio (qui maximis copijs & multitudine pollebant) arma inferre voluissent, nequaquàm eis pares fuisse futuri viderentur: quanquàm Rocossiani Duces posteà suæ id modestiæ deberi falsò contendebant,quòd vim experiri & in Regem impetum facere volentem, vniuersam Rocossiani conuentus multitudinẽ auctoritate suâ retinuerint. Rex lustrato exercitu habebat in animo continuò versus Sendomiriam progredi, quò faciliùs propinquo ex loco cum aduersarijs æquis conditionibus transigere, vel certè, si quid noui ij molirentur in officio retinere posset: moram attulit aduersa Zolkieuij valetudo, quæ cùm ingrauesceret, nec tam citò eius recuperandæ spes appareret, aliquot diebus nequidquam eo expectato Rex octauo Calend. Octobris Visliciâ profectus tertijs castris Polanecium peruenit. In itinere à Castellano Cracouiensi accipit literas, quibus quòd non ipse Rocossianos conuenisset, sed generum suum Castellanum Kijouiensem ad eos misisset, valetudinis excusatione vsus, significabat Castellanum Kijouiensem cum Rocossianis suo nomine egisse, multisque rationibus persuadere conatum fuisse, vt ad concordiam, æquisque conditionibus transigendum flecterent animum: illos in eam sententiam respondisse: vt si Castellanus Cracouiensis ostendere posset non fore id contra dignitatem & maiestatem conuentus Rocossiani post acceptum tam immite à Rege responsum, nec suæ apud ordines Regni, quorum vices videlicet sustinent, existimationi nociturum, assensuros eos, vt datis vtrimque arbitris eius quod in controuersiâ est negotij disceptatio illis modò ne definiendi suprema detur potestas, permittatur. Id eos velle apparebat, vt frustrà propositis conditionibus tempus extraherent, donec interim eæ copiæ, quas à consiliorum suorum fautoribus celeriter collectas breui in subsidium sibi venturas sperabant, coirent, Regiæque potentiæ metu soluti, diu meditata consilia continuarent, ac quod non obscurè tum præseferebãt, abrogato Regis imperio, comitia noui Regis eligendi obirent. Grauiter cum eis hoc nomine expostulauit Castellanus Cracouiensis, quòd non solùm cõcordiæ rationes amplecti nollent, verũ etiam moras vltro necterent, & parum necessarijs excusationibus vterentur: illos esse, qui soli Rocossiani conuentus auctores fuerunt, in eorum quoque potestate esse finem illi imponere: arbitros ab ijs dari, qui disceptent, non qui negotium componant sibi minimè placere, cùm nõ disceptationis, sed cõcordiæ causâ tractatus isti institui deberent. Iam nouum ab illis indici conuentũ, diemq; ei pręfigi, nihil esse aliud, nisi sopitam penè seditionem excitari; facesserent, cũ eiusmodi consilijs se eis assensum minimè præbiturũ. Moti hac persuasione Castellani Cracouiensis (vel quia ita videri volebant vt fingerent se eius auctoritate & cõsilio niti; quò eum

qui, qualis & quantus?

Profectio Regis Visliciâ.

Summa literarum Ianussij Ostrogij Castellani Cracouiensis.

Scopus Rocossianæ procrastinationis.

Reprehensio Rocossianorũ facta à Castellano Cracouiensi.

Rocossiani ostendunt se velle de sedandis tumultibus tractare.

ſibi obnoxium redderent)reſcribunt ſe facturos quod ille vellet, petuntq́; vt quâ ratione,quo loco,quâue ſecuritatis cautelâ tractatus iſti expediendi forent,pręſcriberet. Ille locum conſultandi, vel Iuaniſcios, vel Oſiecũ, oppida,vtrique parti non incõmoda,nominat; eò quatuor Senatores,totidemq́; Equeſtris ordinis à parte Regiâ;pari numero Senatores,item & Equites,quos illi deſignandos cenſuerint, vtrique non maiori ducentorũ equitum pręſidio venirent:fides ſecuri congreſſus vtrimque interponeretur;tam Regis,quàm illorum exercitus pabulationes,non niſi in locis retro ſuas ſtationes,exercerent. Actum in Senatu de eo,quod à Caſtellano Cracouienſi proponebatur,in eamque itum ſententiam; numerũ eorum qui tractaturi eſſent, pręſidijque placere, locum item, niſi,quòd Oſiecij Rex proximè ſtatiua habiturus eſſet,pro eo Copriumcenſe oppidum deſignari:nullâ ſecuritatis cautelâ Regios indigere;illis,ſi id vrgerēt,Regio, quem vocant,ſaluo conductu ſatis cautum fore, pabulationes non niſi in hoſtico permitti, eas in agris prædijſq́ue ciuium ne quis cũ iniuriâ priuatorum exerceret,per leges vetari. Ita reſponſum Caſtellano, adiectũque prætereà,daret operã, vt in eâ re tam ſalutis publicæ, quàm Regiæ dignitatis ratio haberetur: vtraque ea bono Senatori,& ciui æquè curæ eſſe debere,leges & libertates tueri,Maieſtate Principis ſaluâ; eam nunc diuerſò à maiorũ noſtrorum inſtituto,grauiter læſam eſſe. Velle omnino Regem optimè ſibi conſcium,vt cùm tot oneratus ſit ſuſpicionibus,& proditi Regni inſimulatus ab illis crimine,quid hoc tandẽ illud ſit, quod diu parturiunt,ederent,palamque facerent,documentaque ſuorum figmentorũ & ſimulati metus proferrent: vel certè, quod ſperatur futurum, vanæ ſuſpicionis manifeſti,& bonorum iudicio conuicti, temerè à ſe tantos excitatos fuiſſe tumultus faterentur. Senatum Regis innocentis cauſæ deeſſe nec poſſe, nec debere; non dubitare Caſtellanum Cracouienſem, cuius primæ in Senatu eſſent partes, nemini in tuendâ Regiâ dignitate ſtudio ceſſurum, collegarumque ſuorum ſententiæ & concordiæ ſubſcripturũ. Hæc cùm Rocoſſianis à Caſtellano Cracouienſi renunciata eſſent,illique maximè cuperent hanc pacis tractationem vel irritam fieri, vel certè in aliud tempus proferri, offenſi videri volebant, quòd cùm Regij nullâ ſecuritatis cautelâ ſe egere dicerent, ſibi ea tanquàm inferioris conditionis deferretur: iam verò Rocoſſiani conuentus rationes à ſe exigi, & vt arbitrio paucorum cauſas,ob quas is conuentus coactus fuiſſet,expendendas permittant cogi, eſſe præter Maieſtatem Rocoſſianam; quare his conditionibus ſe ad vllos concordiæ tractatus deſcendere nolle reſponderunt.

Locus huic tractationi deſtinatur.

Sed fruſtra, nam Rocoſſiani leui vel potiùs nullâ de causâ à propoſito reſiliunt.

Rex biduo ad Polanecium moratus, atque inde profectus,poſitis ad Oſiecum caſtris, iterum fit à Caſtellano Cracouienſi certior; veniſſe ad ſe Pækoſlauium,Lutomirſcium,Iaſicium,miſſos à Rocoſſianis:ſimulque aliâ parte Rocoſſianos Sendomiriâ cum exercitu Oſarouiam verſus progredi Regij exploratores referebant. Igitur ancipiti curâ diſtrahi Rex &

Rocoſſianorũ fictæ actiones, & conſilia improba.

& Senatus cœperunt, apparebat aduersarios tam commodam bonorum votis expetitæ pacificationis occasionem subterfugere, & aliò eorum consilia spectare, atque idcircò frustrationibus ab eis tempus teri. Missus confestim ad Castellanum Cracouiensem Felix Criscius Referendarius Regni, quid postularent Rocossianorum noui isti legati? cur eo tantùm numero venissent? quos è Senatu suarum partium arbitros habere vellet? & an plena potestas de toto negotio concludendi illis permissa esset, exquireret, simulque de eo, quòd Rocossiani susceptam à Castellano Cracouiensi pacificationis curam vilipenderent, spemque omnem concordiæ præciderent, quereretur. Nemini dubium erat idcircò eos, quos suprà diximus ad Castellanum missos fuisse, vt & illum & Regem spe pacificationis elusos tantisper morarentur, donec affluente factionis multitudine vires Rocossianorum augerentur. Quâ re in consilio propositâ cùm diuersis è partibus renunciaretur, missos ab eis qui exercitum scriberent, atque externa auxilia accirent, quorum fiduciâ quiduis eos ausuros; nouam illos ciere tempestatem, armatos cogere, prædas agere; Rex maturandum sibi ratus, iter eorum & conatus sibi obseruandos, ac ne eorum temeritate Respublica detrimentum aliquod caperet, prouidendum statuit. Igitur motis properè castris, eos vnius diei itinere antegressos, explorato & cum curâ coacto agmine subsequebatur Castellanus Cracouiensis; vt ostenderet non per se stetisse, quominùs tentata cõcordia sortita sit effectum, ad Regem in Castra venit, temeritatem Rocossianorum præsumptosque animos accusans. Nemo erat qui non existimaret, ad officium eius tanquàm primarij Senatoris pertinere, non sermone tantùm, sed re ipsâ damnare aduersæ factionis temerarios ausus, Regique publicam causam agenti adhærere: sed ipse ingenio suo obsecutus, eodem penè quo venerat momento, non contemnendo militum suorũ agmine, è castris Regijs se subduxit. Regius exercitus continuis itineribus progressus, quarto demum die vestigia cedentium Rocossianorum legens, ad Ianouecium, vbi illi in traiectu Vistulæ aliquantum hærebant, eos est assecutus. Missus ad eos Aulicus Regius Gaiowski cum literis, quibus postquàm quo studio & Senatus vniuersus, & nouissimè Castellanus Cracouiensis publicam concordiam promouisset, & quâ temeritate ab illis omnes pacis conciliandæ & Reipublicæ in pristinum tranquillitatis statum reducendæ rationes contemptæ, spretæque fuissent, commemoratum esset, postremò seriò monebantur vt ab armis discederent, exercitum continuò dimitterent, pacem publicam ne turbarent: arma ni ponerent, tanquàm hostes patriæ experturi: in eum quoque ferè sensum ad milites, qui in Castris Rocossianis merebant, scriptum. Iam Stadnicius cum suo agmine Vistulam traiecerat, cùm hæ literæ Palatino & Radiuilo redditæ sunt. Responderunt illi se valdè mirari id sibi paucis à Regiâ Maiestate imputari, quod omnium ordinum consilio factum esset: se à concordiâ alienos non fuisse: cùm paucis quorundam con-

quibus Rex obuiàm ire statuit.

Ianussius Ostrogius Castellanus Cracouiensis sub tempus belli ciuilis non impleuit officium suum.

Regis versus Ianouecium iter.

Literæ Regis ad Rocossianos, eos à temeritate dehortantis.

Responsum Rocossianorũ ad literas Regias.

filijs vim sibi intentari intellexissent, loco, in quo ab vniuerso Rocossiano conuentu, quasi in speculâ Reipublicæ tanquàm libertatis custodes relicti erant, cessisse, ne cum exercitu Regio inconsultis Ordinibus congrederentur. Idem & tunc vitare velle, nisi aliter facere cogantur: sibi facilè vim inferri posse; expenderet seriò Regia Maiestas, an sanguine paucorum effuso, pacem Reipublicæ sit redditura, & non potiùs odij & inuidiæ facem, minùs considerato facto accensura: expectaret potiùs supremam Rocossiani conuentus diem, atque postulatis ordinum, secundùm sæpiùs factas promissiones satisfaceret: se istic quoque rationem factorum, consiliorumque suorum reddituros, atque nomen, quo hostes Patriæ appellamur, in eos, qui huius consilij Regiæ Maiestati auctores fuerunt, retorsuros. Die Diuo Francisco sacrâ, paulò ante meridiem Gaieuius cum hoc responso ad Regem redijt, idemque eos traijcere flumen renunciauit: quod haud dubiè facturi erant, ni Stanislaus Gulski Palatinus Russiæ, primi agminis in exercitu Regio ductor superueniens, eos in ripâ fluminis deprehensos, à proposito fugæ ad meditationem belli reuocasset. Tria millia circiter militum, idque magnâ ex parte equitum, Palatinus & Radiuilus sub signis habebant, cum mille ducentis Stadnicius in alterâ parte Vistulæ non socius, sed spectator alieni periculi futurus consederat. Lata longaque planicies collem (qui in modum coronę ouali ferè figurâ protenditur) & fluuium interiacet: iter eius non vbique peruium, cœno alibi interdum profundioribus alueis transitum prohibentibus. ad ipsam fluuij marginem, loco, ex quo nec ad fugam vlla patebat via, nec satis commodè arma expedire, & se tutari possent constiterant Rocossiani, instructi paratique vti copiam pugnæ facere velle viderentur. Russiæ Palatinus etsi ad eos debellandos satis virium haberet, tamen quòd rem sibi cum ciuibus esse sciret, satis habens hostem deprehensum à fugæ proposito reuocasse instructis & ad pugnam capessendam paratis copijs, Regium mandatum præstolabatur. Rex postquàm propiùs ad Ianouecium accessisset, compresso parumper sui agminis gressu substitit; accitoque Ianussio Zbarascio Palatino Braclauiensi, viro belli artibus domi forisque claro, & spectatæ in se fidei, curam salutis suæ & totius exercitus ad eum defert, eâ vsus oratione. Nunquàm cogitaueramus accidere posse, vt cum ijs qui pro nobis arma ferre, nos verò eos tueri teneremur, bellum gereremus; sed quoniam audax temeritas in præceps iuit, & iustitiæ nostræ quâ nos in conspectu Dei potiores esse confidimus periculum facere vult, eius decreto qui & cor nostrum intuetur, & illorum conatus perspectos habet, nos permittimus: cæterùm si quid sanguinis Poloni in Regni visceribus fusum fuerit, id non nostrâ, sed eorum culpâ euenturum, & Senatum & militarem ordinem qui nobiscum est testamur. His dictis cùm loricam poposcisset, eâque indutus medio agmini se inseruisset, signumque belli proposuisset; tanto ardore pugnandique cupiditate vniuersus exercitus accensus est, vt tanquàm

Stanislaus Gulski Palatinus Russiæ Rocossianos à fugâ retinet & traiectu Vistulæ prohibet.

Situs loci prope Vistulã ad Ianouecium in quo consliterant Rocossiani.

Ioannes Zbarascius Palatinus Braclauiensis vir militaris exercitui Regis præficitur.

Regis ad eum sermo.

Rex signum belli proponit.

quàm cum acerrimis hostibus, non cum suis ciuibus pugnaturi prælium alacres exposcerent, ad vindicandamque Regiam dignitatem ita accingerentur, vt nisi eos belli Duces Præfectique retinerent, iniussi prælium commissuri viderentur. In eo belli ardore Senatores sui muneris non obliti, Regem frequentes adeunt, testatam sæpius Regiam clementiam commemorant; ei vel in hoc puncto locum esse ostendunt, hac priùs quàm armis rebelles aggrediendos esse consulunt.

Senatores qui tunc aderant Regiam clementiam implorant;

Ille nunquàm facilior quàm cùm sanguini parcendum foret, hoc tantùm præfatus, se quidem tot affectum esse iniurijs, vt innatam naturæ suæ patientiam iam ferè vincant; libenter tamen assentiri vt Senatus ea, quę expedire paci & publicæ tranquillitati censuerit, suscipiat, & sedulo amore Patriæ curet. Notam esse omnibus suam innocentiam, notum animum pacis & concordiæ cupidum, totum se eorum arbitrio permittere.

Quam Rex ostendit.

Iam vniuersum Regij exercitus robur collem, stationes hostium prospectantem, impleuerat, conspectuque ipso inimicis terrorem incusserat: cùm paulò antè temerarij hostium animi flecti & labare cœperunt: milites passim non se contra Regem pugnaturos denunciare, se in angustum redactos, etiamsi in causâ iustissimâ, veterani exercitus vires sustinere non posse: nũc bellum paucis necessarium, cunctis exitiosum suscipi: irent potiùs auctores secessionis, ac clementiam Regiam experirentur. His clamoribus propè in seditionem versi, frustra obnitente Palatino, & compertos sibi Regiorum animos, nec pugnam capessituros asserente, vtque immoti tantùm in acie starent hortante, peruicerunt, vt Palatinus de temeritate nonnihil remitteret, eorumque sententiæ vel inuitus accederet:

Arcta res Rocossianorũ ad Ianouecium.

Milites Rocossiani pugnam detrectant, & auctores Rocossi ad implorandam Regiam clementiam hortantur.

missique exinde ad Regium exercitum qui peterent cum Senatoribus, qui cum Rege sunt, sibi colloquendi fieri potestatem. Profecti confestim ad eos Alexander Chodkieuicius Trocensis, Adamus Sandiuogius Czarnkowski Lenciciensis, Zbigneus Ossolinski Podlachiæ Palatini, Iacobus Pretsic Castellanus Camenecensis: ad quos cùm ad tria ferè à suo exercitu stadia Palatinus Cracouiensis cum Radiuilo progressi essent, datâ acceptâque mutuò fide, cùm & initia, & Rocossianorum consiliorum progressus, graui oratione Senatores reprehendissent, & ni resipiscerent, atque à concordiâ, quemadmodùm hactenùs ab eis factum est, alienum gererent animum, Patriam memorabili clade illos insignituros ostendissent: petierunt postremò hortatique sunt, vt priuatis simultatibus, potiorem Reipublicæ & communis Patriæ salutem haberent. Regem eâ esse facilitate & lenitate, vt promptè æquis persuasionibus & postulatis locum det, multa illum Visliciæ vel potiùs omnia suis precibus indulsisse, satis in præsenti motu Reipublicæ cautum videri, cætera in proximis Comitijs confici posse.

Auctores Rocossi colloquiũ cum Senatoribus petunt.

Redarguuntur ab ijsdem Rocossiani.

Ad ea illi, se quoque pacis esse cupidos, nec in eâ Patriæ reddendâ cuiquam primas partes dare velle: id satis ostendisse & anteà, cùm plerisque in Rocossiano conuentu vim & arma suadentibus obstiterint, neque eâ potentiâ, quam decies maiorem, quàm Regis

Ad ea Rocossianorum responsum.

fuisse

fuiſſe conſtat, vti voluerint, & proximè cum flagitante Senatu, ſuos qui ſopiendæ diſcordiæ rationes vnirent, deſignarunt. De negotio quidem, quod non in ſuâ, ſed in omnium eſſet poteſtate, conditionibus tranſigi non poſſe, oportere vt Rex cunctis, quæ ex auctoritate conuentus Rocoſsiani illi propoſita ſunt, ſatisfaciat: auctoribus eius conuentus ſecuritatem, vt publicè & priuatim indemnes ſint, caueat: ſe debitam tum demum Regi fidem & obſequium delaturos: ſin minùs id factum fuerit, ſibi potiùs vitam eripi, quàm vt propoſito decederent paſſuros. Superuenerant huic colloquio Adamus Caliſſienſis, & Staniſlaus Premiſlienſis Caſtellani, Stadnicij, ambo Regi addictiſſimi, & in propugnandâ illius dignitate, acres & conſtantes: quorum ille prior intempeſtiuâ Palatini incenſus arrogantiâ, acrioribus verbis in eum inuectus eſt, hoſtem & parricidam, auctoremque ſeditionis appellans: ſed Palatinus quaſi minùs ea quæ dicebantur intelligens, diſſimulato ad tempus vultu, ferociter inſtantem ſilentio tranſmiſit: ijque qui aderant Senatores, ne iurgia procederent, opportunè interceſſerunt. Palatinus Podlachiæ ad Regem continuò reuerſus, quid Rocoſsiani poſtularent Regi præſentibuſque Senatoribus retulit. Rex Senatoribus quid fieri oportere cenſerent, interrogatis, ſe eorum arbitrio permiſit; ij communicatis conſilijs, in eam ſententiam reſpondendum concluſerunt. Non debere Palatinum & Radiuilum ſibi tantum in Republicâ arrogare, vt plus cæteris, qui eiuſdem Patriæ membra & ciues ſunt, ſibi vſurpent; non illis ſolùm, ſed aliis quoque ſalutem publicam curæ eſſe: ſatis Viſlicienſi conuentu prouiſum eſſe, ne in præſenti ſtatu Reſpublica detrimentum capiat: abolitæ ſuſpiciones, quæ quoſdam inani timore exagitare videbantur: cautum, leges & libertates non modò ſaluas fore, ſed etiam ſecundùm poſtulata ordinum ex præſcripto ſanctionum Viſlicienſium propoſita in Comitijs auctum & prorogatum iri. Falsò Regiæ Maieſtati imputari, eam abſolutâ poteſtate vti, eius non benignitatem modò, ſed & in negotijs Reipublicæ ex conſilio Senatus tractandis promptitudinem, cunctis, qui ſine affectu res æſtimant, nec inuidiâ malâ alienarum actionum interprete obcæcati ſunt, perſpectam eſſe. Ne damna ex occaſione coacti Rocoſsiani conuentus priuatis perſonis illata, eius auctoribus fraudi ſint, neúe perpetratorum facinorum causâ in ius vocentur, non poſſe Regiam Maieſtatem eo nomine cauere aut iuſtitiæ curſum inhibere, ſuas quidem iniurias facilè eam condonaturam. Non illorum modeſtiâ factum eſſe, vt pacatis animis conuentus Rocoſsianus ſolueretur, fuiſſe iſtic multos, qui præſentem Reipublicæ ſtatum probarent, & à ſeditioſis conſilijs eſſent alieni; eorum operâ factum, ne cæteri quoque paucorum temeritate concitati in furorem agerentur, & ne eorum qui rebus nouis ſtudebant, pernicioſa conſilia procederent. Et niſi tanta vniuerſi ferè Senatus auctoritas, Equeſtriſque ordinis militare robur Regi præſtò fuiſſet, nunquàm hac, quam nunc iactant, patientiâ eos vſuros, ſed potiùs eadem temeritate,

Rex Senatorũ ſententias quid facto opus eßet, rogat.

meritate, quam in Stæzicensi & Lublinensi conuentu plerique eorum præseferebant, in Rempublicam & Regem impetum facturos fuisse. Spreuisse eos & anteà sæpè & nouissimè per Castellanum Cracouiensem oblatas concordiæ conditiones, discessisse Sendomiriâ, armatæ multitudinis conuocandæ causâ, promulgasse edicta, infestos per Regnum circumduxisse exercitus, necessitatemque Regiæ Maiestati, vt eos cum exercitu insequeretur, atque à perniciosis conatibus auerteret, fecisse. Nūc has conditiones ferri. Diceret imprimis Palatinus Cracouiensis, quid & à quo de tradendo per Regem exteris Regno sciret. Quâ in re absoluti imperij ius vsurpatum existimaret. Quos in Senatu suspectæ fidei & malorum consiliorum auctores arbitraretur. Deinde ne conuentum Rocossianum denuo concitarent. Edicta promulgata contrarijs editis literis reuocarent. Exercitum dimitterent, homines externos ablegarent, domi pacatè tempus proximè indicendorum Comitiorum expectarent: certi istic Regiam Maiestatem facturam id quod communis omnium ordinum consensus poposcerit. Et quoniam temporis angustia die in vesperam declinante, longos tam multis de rebus tractatus fieri non patitur, nunc ad osculum Regiæ manus venirent, cætera crastinâ die expedituri. Hæc Senatus mandata cùm illis relata essent, tergiuersari Palatinus, tempus locumque eiusmodi iudicijs incongruum causari, denique hoc vnum velle, vt interim liberè fide datâ abire liceret, paulò pòst ad Regiam Maiestatem redituros, & eâ quâ decet subditos dominum reuerentiâ salutaturos. Hoc Palatinus Podlachiæ cùm Regi Senatoribusque explicuisset, indignè ferre cuncti, & iniqua postulantibus nihil concedendum censere: quare acie iam Regiâ explicatâ, ac proximè succedente, Regio iussu Ioannes Danielouicius Capitaneus Belzensis & Christophorus Zbaraski Palatini Braclauiensis filius, ad eos profecti, qui nunciarent, nisi ijs, quæ per Palatinum Podlachiæ Regis Senatusque nomine illis proposita sunt, confestim paruerint, signisque & vexillis quæ contra Regem explicarunt complicatis ad osculum Regiæ manus venerint, scirent, non ampliùs secum conditionibus, sed armis certatum iri. Eò faciliùs, vt his mandatis assentiretur, persuaderi sibi Palatinus passus, quò magis milites suos ab ineundâ cum Rege pugnâ auersos cernebat: nam ij non præsentis modò periculi euentu anxij, sed futuræ quoque calamitatis, quæ à Rege victis & perduellibus inferri meritò possit, metu, Regi renunciari iusserunt, se contra Regem dominum suum arma non stricturos, paratos vexilla hastasque suas ad pedes Regiæ Maiestatis abijcere, fidem obedientiamque testari. In ipso demum noctis primæ crepusculo, redijt ad Regem Danielouicius, cætera facturum Palatinum significans, vnum id postulare, vt si Rex equo insideret, illos etiam equites ad se venire, & salutationis officio fungi pateretur: vel si velit vt equis descenderent, Rex quoque idem faceret, atque ex æquo loco ad se salutatum accedentes exciperet. Importuna fastuosi hominis postulatio, alijs

Conditiones Rocossianis à Rege propositæ ad Ianouecium.

Vltimò Rocossiani à Rege monentur.

risum, indignationem cæteris mouit; hominem nimis in obseruandis cæremonijs religiosum, ne eo quidem tempore innatæ superbiæ obliuisci potuisse. Rex versis in cælum oculis, bone Deus, inquit, vides fastum hominis. Intereà incerto nuntio, quòd tenebræ prospectum longiorem arcebant, eos venire significante, consonis totius exercitus vocibus, concordia, concordia clamata est; gratulationes mutuò sibi applaudentium factæ: vbi verò propiùs ad Regem Palatinus Cracouiensis cum Radiuilo accessissent, Trocensis, Lanciciensis, Podlachiæque Palatini, qui vnà cum illis veniebant, equis confestim desilierunt, ambigentesque num idem facerent exemplo suo permouerunt. Paululum pedibus progressi, vbi ad Regem ventum est, prior Palatinus Cracouiensis Regiâ de more exosculatâ manu in hæc verba orsus: Sacra Regia Maiestas, Deus ipse ante cuius tremendum tribunal me hac ipsâ horâ dum in acie starem sistendum iri arbitrabar testis est; me toto turbulento hoc tempore nihil in Rempublicam, nihil in Maiestatem vestram peccasse, imò vtriusque bono & commodo consulere voluisse: idem me deinceps quoque facturum, atque fide sincerâ Maiestati Vestræ obsequia debita præstiturum profiteor; modò Maiestas Vestra secundùm leges nostras nobis imperare atque in ijs quæ à Maiestate Vestrâ votis omnium flagitantur (id quod Maiestatem Vestram facturam Senatores ad me missi retulerunt) subditorum suorum iustis desiderijs optatâ satisfactione respondere dignetur. Aberat tum Cancellarius, nam cùm acie instructâ inermi inter armatos locus non esset, in proximum Palatium Ianouecense iussu Regio secesserat; igitur eius loco Marescalcus Regni, nomine Regis respondit. Quo progressu, quâue fide hæc quę facta sunt, fierent, nõ latebat Regiam Maiestatem; indoluit illa sæpè eiusmodi conatibus Imperium sibi diuinitus traditum, in turbas & seditiones protrudi: id nec suâ causâ, nec culpâ suâ factum esse, optimè sibi Regia Maiestas est conscia; sed quoniam Palatinus, Deo teste, hæc ab optimo erga Patriam, & Regiam Maiestatem affectu, profecta esse contendit, facilè id ita fuisse concedit Regia Maiestas, nec dubitat eum deinceps constanti erga se fide futurum. Radiuilus postmodùm Regiâ item osculatâ manu: Lætor, inquit, me saluâ Maiestatem Vestram intueri, Deum testem inuoco, me in istis publicis actionibus, nec rancore, nec priuato ductum affectu, tantùm exemplo maiorum meorum, iura & libertates, quod bonum ciuem maximè decet, tueri voluisse. Cæterùm quo animo, quâue promptitudine id à me factũ est, parẽ Maiestati Vestræ, vbicunque Respublica operâ meâ eguerit, defero. Respondit eidem Marescalcus. Non ignorare Regiam Maiestatem, magnum esse libertatis studium: eo plerosque accensos diuersis affectibus agi, his si longiùs ab officio se ille abduci passus sit, ignoscere Regiam Maiestatem, ac deinceps sperare, eum boni & fidelis subditi munere functurum. Mox equis conscensis, Regem in castra deduxerunt, Palatinus Cracouiensis & Radiuilus tabernaculo Palatini Lanciciensis

Tandem Palatinus cum Radiuilo coram Rege se sistunt.

Palatini ad Regem oratio.

Radiuili item ad Regem oratio.

ciensis ipsius inuitatu recepti, eâ nocte, ne quid illorum reditu in eorum castris rursus moueretur, manserunt. Postero die cùm milites Rocossiani signa militaria tradere iuberentur, ijdemque peterent, ne id quod dedecus & infamiam existimationi ac nomini illorum allaturum esset, facere cogerentur; concessit Regia Maiestas, vt compositis tantùm vexillis & hastis curribus impositis pacatè abirent. Quod cùm inspectante Castellano Camenecensi, hanc ipsam ob causam ad eos misso fecissent, impetratâ conueniendi Regis potestate, præcipui eorum admissi, verba primario ex eis faciente, in hunc sensum Regem salutarunt. Homines liberos, & in libertate natos, se ita & parentum institutione, & naturæ instinctu animatos fuisse, vt libertatis causâ non fortunis modò, sed ne vitæ parcendum existimarent. Id in præsenti rerum statu à se præstitum esse: nam cùm accepissent, leges & immunitates, libertatesque Patrias in discrimen venire, & violari, tanquàm ad commune incendium extinguendum, vt partas maiorum sanguine libertates tuerentur, accurrisse. Nunc demum postquàm intellexissent Regiam Maiestatem, pium & religiosum Principem, non modò quid eiusmodi in animum non inducere, verùm etiam has ipsas libertates ratas habere, ac ex voto & desiderio Regni Ordinum eas augere velle, vt se tanti beneficij gratos ostēderent, venisse supplicatum, dignaretur Maiestas Regia præteritas suas actiones à studio tuendæ libertatis profectas, clementer indulgere: sibi nunquàm in animo fuisse, vel rebus nouis studere, vel quod dictu impium est, hostile quid in Regiam Maiestatem moliri: paratos se esse vbi res poposcerit, pro dignitate Regiæ Maiestatis vitam profundere, intereà petere vt ad osculum Regiæ manus admittantur. Responsum Regio nomine à Cancellario Regni, facilè dare veniam Regiam Maiestatem, si quid ab eis libertatis amore, cuius ingentem esse vim non ignorat, parum consideratè est actum, arbitrari, id eos in quo erratum est, fide & obsequio deinceps compensaturos; nunc abirent, & pacatè se gererent, nec deinceps hominibus seditiosis operam nauarent.

Milites Rocossiani Regem deprecantur.

Missi deinde ad Palatinum Cracouiensem & Radiuilum Rogoznensis & Premetensis Castellani, ac Regni Referendarius, ij Regis & Senatus nomine postularunt à Palatino atque Radiuilo, vt ea de quibus pridie actum erat, & quæ ad pacandum præsentem Reipublicæ statum pertinerent, expedirent. Non se scire nec meminisse aliquâ de re tractatum heri fuisse, respondit Palatinus. Immò verò, inquit Castellanus Premetensis, ea quæ per Palatinum Podlachiæ, Regis & Senatus nomine vobis proposita sunt, nisi nox superuenisset heri facienda erant: salutationis tantùm cæremonijs peractis reliqui tractatus ad sopiendos ciuiles motus necessarij ad hodiernum diem prorogati sunt: tu potissimùm Palatine docere debes, quis è Senatu absoluti imperij Regi sit auctor & consiliarius, quis de tradendo vel potiùs prodendo exteris Regno, & quæ, quâue ratione consilia inierit; qui mali consiliarij, ac suspectæ fidei Senatores: hæc

Conditionibus quæ anteactâ die propositæ fuerant satisfacere renuit Palatinus & Radiuilus.

hæc non solitis inuolucris tegenda, sed in apertum proferenda sunt, si Regiæ dignitati, & Senatus, proditionis & nefariorum contra Rempublicam consiliorum insimulati, existimationi consultum esse volumus. Præterea vos qui conuentuum eiusmodi extra ordinem cogendorum auctores fuistis, ac proximè promulgatis literis, alium eiusdem generis conuentum indixistis, eiusmodi edicta contrarijs literis reuocetis: omnes qui vestris consilijs adhæserunt, vt pacatè se domi contineant admoneatis, acta Rocossiani conuentus Regiæ Maiestati tradatis, fidem vestram, ea quæ hîc aguntur rata fore, Regiæ Maiestati obstringatis. Mirari se respondit Palatinus, ea in præsentiarum proponi, quorũ heri factam fuisse mentionem non meminerint: venisse se in Castra Regia, fide Senatus inductos: nec tanquàm bello captis sibi conditiones ferri posse, nec si ferrentur eas recipere velle. Hoc solum est, subinfert Referendarius Regni, quo præsens Reipublicæ tempestas, concitatique motus sedari possint; id heri Regio & Senatus iussu per Palatinum Podlachiæ fuisse inculcatum, & frustra alia omnia futura, nisi hæc continuò fiant: nam Rege & Senatu populari inuidiæ obiecto, & sinistris suspicionibus onerato, non quieturos seditiosos homines, nisi ea, quorum expectatione omnium animi suspensi sunt in lucem proferantur: id vt faciant, non à Rege modò & Senatu, sed ab omnibus etiam ordinibus flagitari. Eos bello captos neminem existimare; non cogi, sed peti ab eis, vt ea pro eo, quem in Senatu & Republicâ dignitatis & auctoritatis obtinent loco, quæ cæteris ignota, illis comperta sunt, edisserant, Regem & Senatum calumniâ liberent, noxios prodant, Reipublicæ hoc ipso sublatis seditionum causis pacem restituant: id in tam frequenti status & Equestris ordinis consessu, ritè & legitimè expediri posse, ne si aliud tempus expectetur, præclara pacandæ Reipublicæ occasio frustrà elabatur. Enimuerò causari Palatinus, nec locum, nec tempus his rebus pertractandis vel diiudicandis esse idoneum, quidquid sciat, priuatim Regiæ Maiestati dicturum, ac permissurum statuere de eo quidquid vellet: malle denique in Comitijs Regni se legitimè in ius vocatum, ad dicendam publicè causam cogi: fidem Regi datam nunquàm se fefellisse, & proinde ad eam nouo iuramento obligandam stringi non posse. Subiunxit Radiuilus suam quoque erga Regiam Maiestatem fidem, semper constantem in dubium vocari non debere; suspicionum vel in Regem vel in Senatum iactarum auctorem se non fuisse, nec earum rationem reddere teneri: Acta Rocossiani conuentus, quæ in suâ potestate erant, vnà cum Nurzynio familiari suo perijsse: nunc dimisso exercitu se pacatè domum iturum, nec ad Comitia, si ita Regiæ Maiestati visum fuerit, venturum. Excepit vtriusque sermonem Palatinus Lencieciensis, qui graui oratione castigatâ istâ Palatini tergiuersatione, ostendit nequaquàm seditiosis, & populum leuibus de causis in seditionem turbasque propellentibus satisfactum fore, si priuatim tantùm ea, quorum causâ motus præsentes excitati

citati sunt, Regiæ Maiestati referantur, facilè calumniaturos homines id, quod soli Regiæ Maiestati priuatim communicabitur, aliquid magni momenti fuisse, atque deliberatâ taciturnitate, ne cunctis secretum pateret, suppressum, publicè id in lucem proferendum quod omnes angit, & nisi sciatur, metum incutit: luat quisquis criminis reus est pœnas; innoxij suspicionibus & inuidiâ liberentur. Ita tum colloquium illud finitum. Perinde placuit Senatui, qui absente Rege, quò sententiæ liberiùs dicerentur, habitus est, accersiri Palatinum Cracouiensem; qui cùm venisset, ac suo quisque loco consedisset, Matthias Pstrokonski Episcopus Premisliensis Regni Cancellarius, qui tum primum in Senatu locum tenebat, omnium nomine, conuerso ad Palatinum Cracouiensem sermone, in quas difficultates Respublica coniecta sit, perlatis ab eo in vulgus primùm ad Stæzicam, mox Lublini, postremò in conuentu Rocossiano, nec tamen explicatis suspicionibus, omnes re ipsâ expertos esse commemorat. Obiectam esse absoluti imperij Regiæ Maiestati cupiditatem & vsurpationem: regni prodendi & in exteros transferendi voluntatem; accusatum sceleris & perfidiæ Senatum: hoc metu perculsos omnes, non timore modò, sed nimiâ curâ accensos, furere plerosque; nec mirum. quid enim libero homini potius libertate? quis ingenuus eius retinendæ causâ non quiduis audeat? neminem esse ad præsens in Poloniâ, modò se nobilem natum meminerit, quamuis pacatissimi sit animi, & ab omni seditione alienus, qui non hac de re sermones publicè priuatimque instituat, qui non denunciati periculi metu perhorrescat, ac quid tandem illud futurum sit, auidè scire cupiat. Maximè expedire harum opinionum, quibus ortæ sint, fontes & circumstantias aperiri: quamobrem eâ libertate, quæ tantæ auctoritatis in Republicâ primi nominis Senatorem (quem priuato non fuisse motum affectu, sed publicam egisse causam credibile est) decet, quod in Rocossiano cōuentu se facturum receperat, nunc tandem diu celatum aperiret in Senatu secretum: id non magis Regis, Senatus, quàm ipsiusmet, vel potiùs omnium interesse; velle Regiam Maiestatem multis de causis hoc in præsenti Senatus cōsilio publicè declarari, idem se Senatus nomine ab illo petere, publicum Reipublicæ incendium omnium dudum suspensę expectationi satisfaciendo extingueret. Ad ea Palatinus, mirum sibi videri, res per se satis claras, & scripto ad Stæzicam proposito à se promulgatas, obscuras à plerisque existimari; quibus elucidandis nec tempus, nec locum præsentem idoneum esse, nec iudicium de ijs hîc institui posse. Temerè sibi imputari rerum nouarum studium; se ea in conuentu Rocossiano sensisse & dixisse, vt qui ea expenderit, longè à perniciosis consilijs se remotum fuisse sit perspecturus: non oblitum esse beneficiorum Regiæ Maiestatis; pacem vt cuiuis, sibi semper curæ fuisse, tumultus exosos habuisse, sed motum certis coniecturis, grauissimisque suspicionibus impendentis Reipublicæ periculi, hæc quæ comperta habuerit, & quæ saluâ conscientiâ silere non potue-

Consessus Senatorum Regi addictorum cum Palatino Cracouiensi.

Episcopi Premisliensis Regni Cancellarij Matthiæ Pstroconij ad Palatinum Cracouiensem oratio.

Responsum Palatini.

potuerit, in medium protulisse; nihil tamen properè vel minùs considerate à se factum. Communicatas cum decem Senatoribus in Conuentu Stæzicensi consilij sui rationes, quæ cùm non improbarentur, petijsse, vt in publico Senatus Comitiorum consilio eas proponerent, paratum se fuisse stare iudicio amplissimi eius ordinis, cessurumque fuisse sententiâ, si is eam improbasset; sed nescire quo casu factum sit, vt scripta sua Senatui non exhiberentur, nec de ijs eo loco iudicium factum sit: quare cùm sua monita & salutaria consilia contemni videret, ad ordinem Equestrē meritò prouocasse. Non obscuris se motum coniecturis; sed cùm videret exteros homines in Regnum venire, frequentes in aulâ Regiæ Maiestatis versari, priuata agitari consilia, grauem sibi inde iniectum fuisse scrupulum, quem illis scriptis se protulisse in publicum; quæ per se satis clara, maiori non egere explicatione: id tamen, si quis in re apertâ curiosus indagator esse voluerit, se facturum, modò loco competenti, legitimoque instituto iudicio interrogetur: nunc quoque priuatim Regiæ Maiestati mentem suam explicaturum. Cùm hic dicendi finem fecisset, Hieronymus Gostomski Palatinus Posnaniensis, vir acer, & qui priuatim quoque Rocossianorum aduersis sermonibus sæpè exagitatus esset, suo pariterque publico dolore accensus, in eam sententiam prorupit. Imprimis grauiter questus est incertis suspicionibus, & Regem in odium, & Senatum abrogatâ ei fide in contemptum populi esse adductum, legitimoque sublato Magistratu, & confuso rerum ordine, seditionibus & turbis occasionem esse datam, ita vt nec Rex, qui inter Senatum & Equestrem Ordinem rerum controuersarum iudex & arbiter esse debebat, munere suo fungi possit, nec Senatus suspectæ fidei redditus, si quid inter Regem & populum in disceptationem venit, consilio moderari; ad Equestrem Ordinem, Regiâ & Senatus vniuersi iurisdictione circumscriptâ, & in ordinem redactâ, omnem nouo quodam exemplo translatam esse Reipublicæ potestatem. Se in illo Stæzicensi scripto nihil perspicere tale, quo suspiciones istæ firmarentur: id tantum actum, vt nec Rex, nec Senatus populi inuidiâ vacaret. Insimulatus Senatus, tanquàm Regi absolutè imperandi potestatem vsurpanti faueret, Rex veluti Regnum exteris prodere vellet: absurdum sanè videri, nec suâ nec filij causâ, sed vt alteri regnum traderet, illud affectasse, vt solutum legibus imperium haberet, quo ipse breui esset cariturus: illam quoque alteram suspicionem parum quoque sibi constare, Regem Regnum in externum quempiam transferre velle, simulque de coronando filio consilia inire. Iam verò quàm credibile sit, quempiam in Senatu reperiri oblitum posteritatis, qui se suosque omnes sciens prudensque perpetuæ vellet addicere seruituti. Sed vtcunque ea se res haberet, se paratum esse, si quid vel omnium Regni Ordinum, vel selecti consilij iudicio probatum contra se fuerit, pœnam capitis luere, dummodò accusator eandem pœnam, si falsò calumniatus fuerit, subire non recuset. Quamobrem ederet Palatinus

Leues suspiciones ob quas Palatinus ciuilem motū concitauit.

Sermonem Palatini Cracouiensis excipit Hieronymus Gostomski Palatinus Posnaniensis,

ostenditq́, quàm falsæ & leues sint confictæ in Regem criminationes.

tinus Cracouienſis noxios, ac vniuerſum Senatum inuidiâ oneratum, Regemque ipſum ſuſpicionibus exſolueret. Vrgebat idem Palatinus Trocēſis cæterique omnes, & præcipuè Palatinus Podlachiæ, oſtendens ſummâ Regem & Senatum atque Equeſtrem ordinem neceſſitate adductum, vt ad ea, quæ & in Viſlicienſi conuentu ſuſcepta ſunt, & in præſentiâ tractantur conſilia, deſcenderet: ſed cùm appareret aduerſæ factionis conatus in eo eſſe, vt in eo demum, qui iam indicebatur conuentu, nouo Rege electo præſentem Reipublicæ ſtatum mutarent, nemini, qui ſaluam Patriam vellet, ceſſandum fuiſſe. Se quidem facilè credere, aliâ mente Palatinum Cracouienſem fuiſſe, cùm eiuſmodi conuentibus initia daret, ſed idem expendere debebat impetum concitatæ ſimul multitudinis non in illius poteſtate fuiſſe futurum: extitiſſe iſtic iam quoſdam, qui palàm Regiæ obedientiæ renunciarent, aliumque Regem eligendum proponerent, & tum eorum inſaniam Palatinum reprehendere, & coërcere vel noluiſſe, vel non potuiſſe. Occaſionem tumultuum aliter auferri non poſſe, niſi ſuſpicionibus, quæ Regem & Senatum inuidiâ onerant, explicatis. Nominaret Palatinus Cracouienſis, quos in Senatu ſuſpectæ fidei, quos Regi ad occupādum abſolutum Imperium auctores eſſe ſcit; dent noxij pœnas, ſeipſum vltro offerre præſenti iudicio, omni aliæ renunciare prærogatiuæ, obijciantur & probentur crimina, ſtatuatur pœna, non dignitate modò, ſed fortunis ac vitâ ſe ſpoliari permiſſurum: ſubeat eandem accuſator conditionem, ſi obiectum crimen falsò intendiſſe compertus fuerit, reddaturque eo ipſo Senatui priſtina auctoritas. Oſtendendum prætereà, cum quo, & quâ ratione Rex de tradendo Regno conſilia inierit; quinam tam ſubtiles & ſecreti conatus eſſe potuerint, vt nobis inuitis & ignaris Regem daret. Hæc vel probanda ſunt, vel ſi temerè Regiæ detractum dignitati, confeſſione erroris læſa fama reſtituenda. Non eſſe cauſam, cur id in præſenti conſeſſu fieri non debeat, vbi tot Senatores, tanta Equeſtris Ordinis frequentia, quorum vel iudicio, vel teſtimonio arcana iſta ritè committi poſſint: non ampliùs nouæ rei expectatione anxij hominum animi pendeant, aut ad nouos tumultus incertis pollicitationibus alliciantur. Aliter optatam tranquillitatem Reipublicæ reſtitui non poſſe, niſi ea quæ metum faciunt, in lucem proferantur. Hoc à Palatino Cracouienſi tanquàm huius ſcenæ auctore poſtulari, quidquid compertum habet, quidquid timet, quidquid ſuſpicatur aperiat, nec auidas tumultuantium mentes ampliùs ſuſpenſas teneat. Acriùs Caſtellanus Caliſſienſis, Non verbis coloratis, inquit, ſed re ſatisfaciendum eſſe expectationi hominum, incerta pro certis aſſeri non conuenire, ne plus nimio ſibi aſſumeret, ne inani faſtu tumeret, agnoſceret errorem idem qui culpam renueret. Mitior Caſtellani Viſlicienſis Andreæ Comitis de Tæczyn, eodem tamen ſpectans, fuit oratio. Eo animo nouis ſuſpicionibus concitatos omnes accurriſſe, imprimis vt quid id tandem eſſet quod metum faceret, cognoſcerent; deinde impen-

Vrgetur Palatinus Cracouienſis, vt quidquid contra Regem & Senatum ſciret, ederet.

Idem vrget Andreas Comes à Tæczyn Caſtellanus Viſlicienſis.

dentia pericula auerterent, hoc vt aperiat, metuque & solicitudine cunctos liberet peti à Palatino Cracouiensi: non fore maiorem hominum concursum, si is conuentus qui ad v. Idus Octobris indictus est, peragatur, quàm qui in præsentiâ conspicitur: esse Regem, Senatum frequentem, magnamque Equestris ordinis multitudinem: boni Senatoris munus esse, quouis in loco aperire Reipublicæ vulnera, pericula auertere, & ne quid detrimenti capiat prospicere, pacatis animis longè aliter, quàm in conuentibus temerè coactis fieri solet, hîc rei propositæ æquitatem discerni ac diiudicari posse, tot Senatoribus (nec enim omnibus perfidiam obijci credibile est) arbitris causam cognoscentibus: palàm igitur fatendum, quod hactenùs silentio tectum est, & is scrupulus, cuius causâ vniuersa Respublica in discrimen adducta est, publico consilio discutiendus, ne silentio tectus, nouas pariat suspiciones, ac perturbandæ Reipublicæ rerum nouarum cupidis optatam occasionem præbeat.

Respondit ad superiora Palatinus,

Hic tum erat vniuersi Senatus sensus, vt nemo esset qui non idem à Palatino Cracouiensi postularet; qui, cùm cæteri finem dicendi fecissent; Vereor, inquit, vt omnia quæ dicta sunt memoriâ complectar; quare si quid omisero, me admoneri patiar. Existimabam ita nos in consilium ituros, vt citra cuiusquam offensam sententias diceremus, fefellit meam spem acerbior quorundam oratio, me tumidum, me inflatum appellant, qui cùm tantos exercitus in manu haberem, pacati consilij auctor semper in Rocossiano conuentu fuerim: errat qui me temerè quidquam egisse existimat, cùm certis ex coniecturis Reipublicæ periculum imminere arbitrarer, quicquid hac de re compertum habui, in conuentu Stæzicensi cum ijs, qui tum præsentes erant, priuatim contuli, atque suspiciones meas scripto comprehensas Senatorum iudicio subieci; quas cùm illi non esse contemnendas existimarent, vt in Senatu, qui tum in Comitijs erat, proponerentur, postulaui: id cùm contemneretur, nullumque fieret Senatus iudicium, ratus id tacito eius ordinis assensu probari, ne muneri Senatorio deessem, vtque fidem Patriæ datam exsoluerem, ad Equestrem ordinem rem totam detuli, quæ plerisque non ita obscura visa est vt maiori explicatione indigeret. Quid enim? an non species absoluti imperij ea est, quòd Regia Maiestas à me sæpiùs literis appellata illis respondere noluerit: quòd non eam, quam principiò vxorem se ducturum ostenderat, ac in Senatu proposuerat, sed aliam, reclamantibus plerisque è Senatu, in matrimonium assumpserit, ac multa suo arbitrio inconsulto Senatu egerit? De transferendo in alios Regno quòd Regia Maiestas inuerit consilia, se non temerè suspicatum fuisse; nam & Castellanus Cracouiensis in eam adductus opinionem per Stanislaum Solouium Canonicũ Cracouiensem, Regiam Maiestatẽ, ne id faceret, admonuit: Supremus verò Marscalcus Regni, triennio abhinc in consessu multorum Tarnouiæ dixit, id iterum agi, vt Rex Re-

& origines suspicionum contra Regem ostendit.

gno

gno alteri tradito, ipſe nos deſerat; idem etiam hoc ipſo annò priuatim Regi offenſum, aſſeruiſſe Cracouiæ, ſe multò meliùs quàm Palatinus Cracouienſis Regis conſilia perſpecta habere, eaque in conuentu Rocoſſiano aperturum. Hæc erant quæ me permouerunt, vt Reipublicæ conſulerem; & cùm alia conſilia parum feliciter ſuccederent, indicto hoc extra ordinem conuentu ſaluti Patriæ proſpicerem. Aberat tum fortè Marſcalcus in curandâ valetudine occupatus; miſſi ad eum Premetenſis & Roſpirienſis Caſtellani, percunctatum ecquid his de rebus ſciret, & an eorum, quæ Palatinus Cracouienſis ab eo dicta aſſerit, meminerit. Ad ea ille, niſi auctores eius fabulæ Palatinus ediderit, neceſſe erit hæc ab illo falsò conficta eſſe exiſtimari. Non cunctatus Palatinus Stephanum Caſimirski hoc ab eo Tarnouiæ audiuiſſe, Staniſlaum verò Chelmski ſe eiuſmodi Marſcalci ſermonibus Cracouiæ interfuiſſe, ac vtrumque ſibi id poſteà narraſſe reſpondit. Abſentes nominauerat teſtes, quibus refellendis cùm ad præſens locus non eſſet, vocatis ad ſe Trocenſi & Podlachiæ Palatinis Marſcalcus, Exiguam ſanè, inquit, Palatinus temeritatis ſuæ & concitati tumultus prætexit excuſationem, meque ſimul inuidiâ falsâ onerat. Equidem ſi, vt fingit, hæc ad ſe ab eis quos nominat delata ſunt, prudentis & circumſpecti viri officium erat, nonniſi me interrogato an ea dixerim, leuiſſimorum hominum figmentis præſtare fidem, ac tum demum, ſi ita ex me rem ſe habere comperiſſet, teſtimonio dictorum meorum vti. Cæterùm nec iſti narratores, nec ipſe Palatinus, nec quiſquam hominum id me dixiſſe probabunt. Hæc tum illi quidem inter ſe & internuntios, Senatus verò vniuerſus nequaquàm ſibi videri iuſtam & tantâ re dignam Palatini Cracouienſis excuſationem, quamobrem vrgere omnes, vt ſi quid maioris momenti haberet, proferret; vel ſi tam leuibus de cauſis tantos in Republicâ motus excitaſſet, hoc ipſum fateretur. Nihil, inquit ille, amplius quod ſciam habeo, ſed hoc ipſum ſufficere arbitror, ne temerè quicquam egiſſe iudicari poſſim, conſcientiæ quidem meæ, quæ graui vrgebatur ſcrupulo, ſatisfactum eſſe mihi ipſe ſum teſtis.

Inter alias ſuſpicionum origines, dicta à Marſcalcò Regni ponit Palatinus Cracouienſis.

quæ Marſcalcus refellit.

Poſtulat Senatus à Palatino Cracouienſi, vt ſi quid maioris momenti ſciret, promeret: qui nihil ampliùs ſe ſcire aſſerit.

Hæc ad Regem deferri viſum. Ergo aliquot primæ auctoritatis Senatores, è loco, vbi Senatus habebatur, ad Regium tabernaculum miſſi. Poſtquàm quibus Palatinus Cracouienſis ſuas opiniones niti probationibus affirmaret expoſuiſſent; Rex continuò, Quàm leuibus, inquit, homo iſte coniecturis fidem noſtram ſuſpectam reddit, ipſi cernitis. Nunquàm ad nos à Caſtellano Cracouienſi Sulouius cum eiuſmodi admonitione miſſus fuit, nihil inconſulto Senatu, in hoc ipſo matrimonij noſtri negotio egimus: fatemur quidem nos aliquot literis eius non reſpondiſſe, ſed ideò factum, quòd cùm ille vellet, vt manu noſtrâ reſcriberemus, ac tam longis nos oneraret epiſtolis, quibus legendis (nedum vt illi manu noſtrâ reſcriberemus) ſatis faſtidij erat, numquàm tantum otij habebamus,

mus, vt huic illius postulationi satisfaceremus. Scripto igitur comprehensas suas istas probationes edat Palatinus, vt & futura ætas, & vniuersi ordines in proximis Comitijs dispiciant, iustámne ille habuerit causam tanti ciendi tumultus, & vniuersæ Reipublicæ perturbandæ. Ea mandata postquàm Cancellarius Regni, Palatino Cracouiensi Regio nomine proposuisset, paratum se ille respondit, ea quæ in Senatu dixisset, scripto attestari. Circumsteterant multi militaris ordinis tabernaculum, in quo Senatus habebatur, scire auidi quidnam illud foret, quod Palatinus in publicum prolaturus esset; quorum plerisque, cùm iam Senatus consurrexisset, tabernaculum temerè ingressis, cæteris quoque idem faciendi data occasio, ad quos conuerso sermone Palatinus Russiæ; Est, inquit, cur Deo grates persoluamus, à quo id factum, vt tanto numero hîc congregati, salutaribus consilijs impendentem Reipublicæ tempestatem, discussâ opinionum nube, auerterimus; patent iam ea quæ diu occulta ancipiti metu cunctos distinebant, & quietos esse non sinebant: non sunt ea tanti momenti, quæ Regiæ Maiestati imputantur, vt meritò in odium subiecti sibi populi venire debeat: salua est Senatus fides & dignitas, nullius fraudis vel minima suspicio in quenquam eorum, ex his quæ à Palatino Cracouiensi dicta sunt, deriuari potest, & Regia Maiestas nullâ in re infregit iura & libertates nostras, & Senatus in illis tuendis semper præclarè suo munere functus est. Quidquid est, quod Palatinum Cracouiensem ad concitandos hos tumultus permouit, id ex scripto eius, simul quàm exigui momenti illud sit, cuncti cognoscent. Cœperunt milites id ipsum confestim ex ore Palatini Cracouiensis scire velle, ac nonnulli militari ferociâ acriùs in eum inuehi, pauentemque, & quid respondeat incertum, vrgere: tum ille non se abnuere, quin totam consiliorum suorum rationem eorum iudicio subijceret, postulare tantùm vt modestiùs agerent, nec sibi Regis & Senatus fidem secuto vim intentarent. Mitigauit animos Palatini Posnaniensis oratio, quæ & Palatinum Cracouiensem omnis periculi securum esse iussit, & militibus ne quid tale postularent, quod postridie erant scituri, persuasit. Soluto Senatu, cœpêre eo ipso die nonnulli Rocossianorum militum immixti Regijs, seditionis iacere semina, asserere circumuentum Palatinum Cracouiensem, strui ipsius vitæ insidias, si liberè in consessu militari dicendi facultas illi permitteretur, ostensurum eum auctores perniciosorum consiliorum, petere, ne tanti viri opprimendi adiutores esse, atque oppressis Regiâ potentiâ maiorum suorum partis sanguine libertatibus, malè de posteritate mereri velint. Falsa erant, sed in tantâ hominum frequentiâ non deerant qui fidem illis haberent. Quare seditioso coacto cœtu, postero die mittunt ad Regem, Palatinum sibi exhiberi postulantes; sed irrita mox ea legatio fuit, discusso, eorum qui sanioris consilij erant interuentu, tumultu: simul Iacobus Potocki,

Rocossiani milites in exercitu Regio seditionis semina spargũt.

Quidquid seditionis imminebat Regio edicto discussum.

tocki, cui Prætorianus miles ac peditatus parebat, Regio nomine, ne quis miles suo iniussu tabernaculum, in quo Palatinus Cracouiensis erat, adire auderet, edixit; & in auctores seditionis, cogendorumque præter militarem disciplinam clandestinorum cœtuum, ni properè castris excederent, se animaduersurum pronunciauit: ac ne qua occasio rerum nouarum cupidis, diuturniori morâ & otij opportunitate, tumultuandi daretur, signum profectionis in diem tertium propositum. Intereà verò ex Senatus consilio, Rex ad vniuersos Regni ordines datis literis significat, se cum ijs, qui Rocossiani conuentus nomine in armis erant, benignè transegisse, eos vicissim dedisse fidem, dimisso exercitu non ampliùs conuentum eum se continuaturos: quare hortabatur, vt cæteri exemplo aliorum domi se pacatè continerent, expectarentque comitia, in quibus si quid adhuc Ordines à se vltra id, quod in Visliciensi conuentu est factum, postularent, se libenter morem omnium concordibus desiderijs gesturum. Perscriptæ quoque Senatorum nomine literæ, quæ seriem rei ad Ianouecium gestæ, & quibus conditionibus Respublica pacata, ac cum Rocossianis transactum sit continebant. Simul Palatinus Cracouiensis suam, quam in Senatu fecerat coniecturarum & suspicionum, quibus permotus Rocossianum conuentum indixerat, declarationem scripto promulgauit. Radiuilus etiam datâ Regi cautione, pollicitus est fide bonâ se cum Palatino dimissuros exercitus, nullos deinceps concitaturos motus, cæteris pacatiorum consiliorum auctores futuros, & ad Comitia inermes, more solito venturos. Quod cùm spontè & liberè promissum ab vtroque esset, nemo tum erat qui non sincerâ fide eos Regi reconciliatos esse existimaret, priuatim quoque ad Regem, seorsiue ambo admissi, ac benignè excepti, & auditi, tantò magis Regiâ beneuolentiâ obstricti credebantur; cæterùm longè aliter rem cecidisse mox videbimus.

Iacobus Potocki Prætoriarij militis ac peditatus Præfectus.

Rex datis publicè literis vniuersis ordinibus significat se cum Rocossianis transegisse.

Senatores quoque per literas suas seriem rei gestæ ad Ianouecium perscribunt.

Palatinus Cracouiensis causas suspicionum suarum scripto declarauit.

Palatinus & Radiuilus benignè à Rege excepti, & dimissi.

DE MOTV CIVILI
IN POLONIA.
LIBER TERTIVS.

1606. die 9. Octob.

Rex Cracouiam versus profectus.



REx Rocossianis & vniuerso ferè exercitu dimisso, septimo Idus Octobris ab Ianouecio Cracouiam versus progressus, præter aulæ solitum comitatum, mille equites præsidij causâ, nondum sopitis seditiosorum animis, secum duxit: in itinere ad Monasterium Caluimontis religionis causâ diuertit, vbi sacrosanctæ Crucis lignum deuotè veneratus, septimo, postquàm Ianouecio discesserat, die, Cracouiam peruenit. Actæ per vniuersum Regnum indictis supplicationibus Deo gratiæ, consentiente omnium bonorum applausu, & lætitiâ, quòd tam grauis & formidolosa tempestas, saluâ Republicâ, incruento euentu disiecta esset: grata erat cunctis Regia benignitas, quietæ vbique res, & felix status Reipublicæ. Sed vt publicè sub specie pacis Ianouecio discessum est, ita priuatim graues inter Marscalcum Regni & Palatinum Cracouiensem discordiæ initium sumpserunt: ortæ à Palatini dato Senatoribus responso, ac postmodùm literis publicè editis promulgato, quo, vt suprà diximus, à Marscalco, velut auctore serij imminentis Reipublicæ periculi, suspicionem coortam sibi Palatinus asseruerat; Marescalcus verò à se quicquam tale fuisse profectum constanter negabat. Sed cùm suum nomen publicè circumferri, seque immeritò inuidiâ onerari cerneret, ipse quoque multa de Palatino questus, intentatam sibi ab eo calumniam amoliturus, publico scripto, quo innocentiam suam testaretur, se immeritò non aliam ob causam, nisi vt concitatis à se tumultibus, & in seditionem actâ Republicâ, velamen temeritati prætexeret, ab eo appellatum fuisse ostendit. Responsum à Palatino non modò non seruatâ Senatoriâ dignitate, verùm etiam adeò mordaci vel procaci veriùs scripto, vt nihil intactum reliquerit, quo fama, existimatio & dignitas Marescalci lædi posset. Præludia ea futuri motus fuêre; nam Palatinus Cracouiensis fremens frendensque, se ad Ianouecium magis vi, quàm conditionibus in potestatem Regis venisse, atque istic in ordinem redactum, exprobratum sibi rerum nouarum studium, etsi non perfidiæ, temeritatis tamen Reipublicæ perniciosæ, Senatus grauissimo iudicio notam inustam, imminutam auctoritatem, iam partam Regi clementiæ famam, auersos à rerum nouarum studio animos hominum, multum partibus suis decessisse, plurimùm aduersariorum potentiam auctam esse, magnoperè angebatur. Sed vires suas circumspectans, se nudatum po pulari

Graues inimicitiæ inter Palatinum Cracouiensem & Marscalcũ Regni exarsêre.

Palatinus Cracouiensis etiam post acta ad Ianouecium inquietus.

populari aurâ, priuatis etiam exhaustum opibus, quiescendum sibi aliquantũ ratus, ad Zamoscium, quòd tutelæ nomine in eius potestate erat, se contulit, vt intereà opulentis pupilli bonis se comitesque suos sustentaret, ijsdem paulò pòst simul & copijs Zamoscianis vsurus. Magnâ curâ præcipui è Senatu contendebant, Rege ipso annuente, vt eæ inimicitiæ, quæ priuatim inter Palatinum & Marscalcum erant sopirentur; sed cùm nihil pacati à Palatino responderetur, frustrà tam salutares conatus fuêre. *Idem Thomæ Zamoscij tutor, & à reconciliatione cum Marscalco alienus.*

Non minori studio, sed magis præcoci audaciâ, Ioannes Felix Herburtus in Stanislaum Stadnicki Castellanum Premisliensem proruperat: is clarâ & vetustâ imprimis Herburtorum ortus familiâ, ingenio egregiè studijs exculto, versatili tamen & inquieto fuit. Hunc iuuenem sanguine sibi iunctum, Ioannes Zamoscius Regni Cancellarius, spectatâ indole eius delectatus, initio inter intimos amicos habuerat, atque Reipublicæ negotijs admotum, protulerat ad studia vulgi, vt passim dignus existimaretur, qui in locum eius succederet: mox leuem & tumidum expertus, paulatim à contubernio primùm suo, deinde ab amicitiâ remouerat. Erat ei auunculus Ioannes Thomas Drohoiowski Referendarius Regni & Capitaneus Premisliensis, non absimili ingenio; qui cùm hæreditarias quasi inimicitias cum Stadnicijs gereret, multæque cædes inter eos fierent, denique anno proximè superiore, iusto propè exercitus agmine inter se concurrerunt, victor Stadnicius, Drohoiouius hastâ transfixus, paulò pòst ex vulnere homo septuagenarius moritur, Herburtus, qui cum auunculo militauerat, ægrè fugâ, ne in manus hostis veniret, se subduxit. Cæso Drohoiouio Præfecturæ Premisliensis à Rege secundùm mortem auunculi obtinendæ Herburtus spem conceperat: quare initio Rocossianorum motuum, primus Palatini Cracouiensis in Stezicensi conuentu conatus acerrimo scripto oppugnauerat, primus quid ille moliretur, ad Regem detulerat, & ad opem ei ferendam promptum alacremque se ostenderat: sed Rex dudum suspectum habens inconstantis hominis ingenium, cùm aliquantisper expectatione eum suspensum tenuisset, Præfecturam Premisliensem Adamo Stadnicio Castellano Kalissiensi fratri eius, qui Drohoiouium occiderat, confert. Offensus eâ de re Herburtus, tacito in Regem exarsit odio, & cùm apud Palatinũ Cracouiensem, suspectum se esse non ignoraret, in aliud tempus & commodiorem occasionem ea quæ animo agitauerat, distulit. Intereà cum Gabriele Bathoreo Stephani Poloniæ Regis ex fratre nepotis filio, consilia communicare cœpit. Bathoreus is beneficio Cardinalis Episcopi Varmiensis Patrui sui in Poloniâ educatus, & ad mores Polonicos efformatus, postquàm iuuenis admodùm in Hungariam redijsset, cæso Cardinali ad Bathoreum Esethi Dominum se contulit. A quo eâ conditione, vt abiuratâ in quâ natus & educatus erat fide Catholicâ, profanum & impium recentium Arianorum dogma amplecteretur, adoptatus, & breui mortuo, diuturno æuo quęsitarum opum, & pretiosæ supellectilis hæres, *Acres inimicitiæ inter Stanislaum Stadnicium & Felicem Herburtum. eius ingenium. Eius auunculus Drohoiouius. Is cum Stadnicio infestis agminibus concurrit, & hastâ transfigitur. Felix Herburtus Præfecturam Premisliensem ambit. Leue Herburti ingenium Regi displicet. Herburtus Præfecturam Premisliensem ad Stadnicium delatam indignè ferens, cum Gabriele Batthoreo contra Regem conspirat. Gabriel Batthoreus quis? eius educatio. is fidem Catholicam eiurat. Arianus factus à Batthoreo Esethi Domino adoptatur.*

hæres, adfluentibus ad eum feditiofiffimis quibufque Hungaris, quibus tum Regnum illud domefticis motibus, & recenti à Cæfare Rudolpho defectione exagitatum plenum erat, magnam fibi potentiam compara-uerat: adolefcens planè omnium rerum inexpertus, & quâ ratione for-tunam fuam moderaretur, ignarus, vino & luxuriæ deditus, ac proinde temerarijs confilijs opportunus. Huius temulenti hominis opibus, ad Regis & Patriæ perniciem Herburtus abufurus, cùm ipfe de fpe Regiæ gratiæ deiectus, ac ære alieno oppreffus, defperatione rerum fuarum præfente Reipublicæ manente ftatu, præceps ad nouandas res agere-tur, cum eo confilia conferre cœpit. Ac initio quò apud Regem fidem fibi conciliaret, literas Bathoreï ad fe binas fcriptas ad Regem mittit: eum regnum ambire fignificat, fe ab eo effe appellatum; exiftimare pri-marios Rocoffiani conuentus concitatores non effe ab eo alienos: eo-rum folicitatione factum, vt in fpem Regni occupandi veniret, fe intereà eius fauorem & amicitiam fimulaturum, quo conatus eius perfpectos habeat. Cæterùm ipfius adiutus copijs, cùm nongentos circiter milites fub fignis haberet, quo tempore Rocoffianus conuentus ad Sendomi-riam agebatur, Rexque Vifliciæ effet, ille neutro inclinans fortunam vtriufque partis præftolabatur: donec reconciliatâ cum Palatino Craco-uienfi gratiâ, ad Rocoffianos flecteret animum, ad omnem occafionem intentus, quâ vetus in Stadnicios odium, ob cædem auunculi & præ-reptam fibi Præfecturam Præmiflienfem exfaturaret. Fractis ad Iano-uecium Rocoffianorum viribus, pacatâque, vt tum videbatur, Repu-blicâ, cùm fpe pacis publicæ inde difceffum effet, Herburtus abeuntis Staniflai Stadnicij Caftellani Premiflienfis veftigia legens, eum in villâ Regiâ Chotyniec affecutum, nihil tale cogitantem capit, ac celeriter fuo arbitrio fumpturus de eo pœnam, Leopolim primariam Ruffiæ Vrbem abducit. Sed fuperueniente Adamo Stadnicki Caftellano Califfienfi cum longè maioribus quàm Herburtus haberet copijs, dum Ioannis Zamo-fcij Archiepifcopi Leopolienfis interuentu, conditiones capti Caftellani Premiflienfis eliberandi feruntur, egregio aftu Stadnicius intra præfidia fratris deductus, è manibus inimici elabitur. Id indignè ferens Herbur-tus, collectis copijs verfus Premifliam progreffus, dum incautiùs fe ge-rit, à Stadnicijs capitur; ac tum demum neceffarijs illi oblatis conditio-nibus, ijfque iuramento ac fponfione firmatis (quibus illum non fletiffe paulò pòft oftendemus) magis fimulatâ quàm conciliatâ gratiâ dimitti-tur. Hæc licet inter priuatos acta, omittenda non putaui, quia ad mate-riam, de quâ agimus, pertinere videntur; publici enim tumultus priua-torum maximè odijs aluntur: idque eò magis cùm laxatis licentiæ frenis non iure, fed vi & armis quifque fuas iniurias vltum it: quod licet legibus noftris feuerè vetitum fit, ita tamen hac noftrâ tempeftate corruptis bo-nis moribus perniciofa ea confuetudo inoleuit, vt nemo fit, modò tan-tum virium habeat, quibus vim inferat, qui non iure belli fibi vtendum exifti-

Eius fimulata erga Regem fides.

Cum Palatino Cracouienfi redit in gratiam eiufq; partes fequitur Herburtus.

Idem Staniflaum Stadnicium Caftellanum Premiflienfem capit.

Stadnicius liberatus.

mox ipfe Herburtus à Stadnicijs captus & certis conditionibus dimiffus.

existimet. Sed nos institutum nostrum prosequamur.

Venerant per eos dies Cracouiam ad Regem à Basilio Suiscio, qui cæso Demetrio Principatum Moschouiæ inuaserat, Nuntij Gregorius Koscieneuicius Wolhomski & Andreas Ioannis; Summa legationis erat: Questi Gregorium quendam Otrepouicium Bogdani filium, maleficum, impostorem, transfugam, religiosæ vitæ, cui addictus erat, desertorem, & apostatam, Polonicis copijs & auxilijs instructum, ad occupandam Moschouiam à Rege & Senatu immissum fuisse; non alio animo, nisi vt eâ arte Moschouiæ amplissimum Imperium, cædibus & incendijs vastarent, ac priscum religionis suæ ritum abolerent, quare fœdus iuratâ fide ictum violatum esse referebant. Deinde potitum impostorem Imperio, summâ crudelitate illud exercuisse; opes sacratioris ærarij prodegisse; Moschos conspiratione cum Polonis, sub specie nuptiarum eò inuitatis factâ funditus exscindere voluisse. Palatino Sendomiriensi, nauatæ operæ præmium, Pscouiensem Ducatum & magni Nouogrodi Imperium dare voluisse, ac penitùs omnem Moschouiticam Monarchiam euertere in animo habuisse. Moschos re cognitâ meritas tandem ab eo pœnas exegisse; in eo tumultu cæsos quosdam Polonos, qui nullo non iniuriæ genere homines innoxios, dum Tyrannus rerum potiretur, affecerant, sed interuentu Procerum multos seruatos, & Moschouiæ Principem Basilium Suiscium esse renunciatum; cum eo de instaurãdo fœdere mutuisque abolendis iniurijs Rex ageret, vt pax vtrique genti optata confici, ijque qui detinentur liberari possint. Responsum à Rege, malè illos queri violatum à Polonis fœdus, quod illi ipsi fregissent: Demetrium, seu quisquis ille fuit, qui sub hoc nomine non magis ipsis, quàm Polonis imposuit, non antè à Rege Principis nomine dignatum, quàm ipsorum Moschorum magno numero ad eum confluentium confessione, pro certo existimatum fuerit, eum verè esse Ioannis Ducis Moschouiæ filium; fauisse quidem illi quosdam è Polonis priuatim, & ad Imperium aspiranti initio tulisse auxilium; sed mox quamprimùm Hodunus de eo queri cœpisset, Regijs mandatis reuocatos: cætera Moschorum eum fauore vsum: in eorum potestate fuisse reciperent necne hominem sibi magis, quàm Polonis notum: eorum exercitus & Imperatores sponte in illius fidem concessisse: deinde extincto Hoduno, filium quoque ipsius à Moschis fuisse interfectum, portas Moschouiæ vltro per eos apertas; magno applausu ad eum, quem nunc maleficum impostoremque appellant exceptum, delata Imperij insignia. Ab eo missos publicè ad Regem & Senatum legatos, sponsam Palatini Sendomiriensis filiam in matrimonium petitum, solennique ritu eâ desponsatâ ad nuptias inuitasse: eò, fretos publicâ fide plerosque magni nominis viros, honoris causâ, vt sponsam deducerent iuisse, non prohibitos finium ingressu, sed comiter vbique exceptos, inter ipsa hospitalis mensæ fœdera mactatos, bonis, fortunis exutos, feminas illustres ludibrio habitas:

Moschouitici legati cæso Demetrio tyranno ad Regem venerunt questi fœdus à Polonis violatum.

Responsum à Rege datum Legatis Moschouiticis.

habitas: ac ne quid ſceleris deeſſet, Regios Legatos iure gentium ſacroſanctos violatos, & cum alijs, quos cædes nō abſumpſerat, ſub cuſtodiam datos: hæc certè eſſe fracti & violati ab eis fœderis manifeſta ſigna. Si in Demetrium præcipuo ferebantur odio, potuiſſe priùs, quàm eò Poloni veniſſent, tollere tantoperè ſibi inuiſum hominem; ſed ſtudiosè hanc dilatam ab eis fraudem, quò ſuam crudelitatem & auaritiam ſanguine & ſpolijs innoxiorum hoſpitum explerent: ſcituros breui quanto ſe crimine obſtrinxiſſent, non defuturas Regi tantæ iniuriæ vindicandæ rationes, eos interim Deum ipſum impij facinoris ſcelus auerſantem, vltorem experturos, ac perfidiosè fuſo cruori, ſanguine ſuo parentaturos. Vera erant quæ obijciebantur, nec à Legatis Moſchis refelli poterant. Igitur poſtularunt, mitteret ad Principem Legatos Regia Maieſtas, illum continuò dimiſſurum eos qui detinentur, & læſis ſatisfacturum. Huic eorum poſtulationi reſponſum. Non expectarent Moſchi Legatos, ni bellum experiri malint; vix iam cæde & captiuitate cognatorum amicorum ſuorum meritò exacerbatos & in vltionem ruentes homines, à Regiâ Maieſtate contineri; eorum animos non niſi libertate captiuorum leniri, & ſedari poſſe: de cæteris iniurijs Regiam Maieſtatem per Internuntios ſuos acturam. Cùm iniecta fuiſſet obiter mentio de Petro quodam, qui ſe filium Theodori, qui poſtremus è verâ Moſchorum Principum ſtirpe imperium tenuerat, ferret, ac in finibus Ruſſiæ verſaretur: nihil ſe de eo audiuiſſe reſponderunt; ne tamen, ſi quid moliri conaretur, Rex illi tanquàm impoſtori ſuppetias ferret, ſubmiſsè petierunt. Non ſuperba, more gentis, fuit ea legatio, multa in ea timoris indicia, adeò vt vel tunc appareret, deſperatione rerum ſuarum, plurimùm Moſchos de veteri faſtu remiſiſſe. Ita tum Moſchouiticis Nuntijs dimiſſis, libera Regi & Ordinibus in proximis Comitijs deliberatio relinquebatur, quid de Moſchouitico negotio ſtatuendum eſſet.

Moſchi aliàs ſuperbi, tunc modeſtiam multaq; timoris indicia præſeferebant.

Conſediſſe aliquantiſper ciuiles motus videbantur, omnium animis expectatione comitiorum ſuſpenſis: ea cùm paulò tardiùs propter incommodum anni tempus indicerentur, nacti eam occaſionem plerique Rocoſſianæ factionis, in Cracouienſi & Sendomirienſi Palatinatibus, Equeſtris Ordinis homines, ſeditioſis clamoribus ijs qui ſtatis temporibus iuri dicundo præerant, ne ius redderent prohibitis, eò audaciæ deuenerant, vt Regem contumaci ſatis & nimis aſperâ perurgerent legatione, ne diutiùs Comitia differret, obiter etiam cenſoriâ libertate Regis cum Rocoſſianis ad Ianouecium tranſactione perſtricta. Pækoſlauius eâ legatione fungebatur, pridem iam Stephani adhuc Regis tempore, ſeditionibus excitandis infamis: ac ob eam cauſam cùm inter alios, qui quòd Maximilianum Archiducem per vim Regno imponere niterentur, hoſtes Patriæ erant iudicati, bello ad Bycinam captus eſſet, eâ conditione fuit dimiſſus, ne vnquàm Reipublicæ negotia attingeret: ſed tum factæ ſponſionis oblitus, vt animo & ingenio ſuo morem gereret, conſopitis iam

Comitiorum expectatio.

quorum ob incommodum anni tempus dilationem Rocoſſiani malè interpretantur.

iam ferè domesticis motibus, ignem subijciebat. Responsum vtrisque, ne tantoperè desiderio Comitiorum angerentur, & his ipsis diebus indicenda fuisse, sed dilata aliquantisper quòd & alieno anni tempore commodè expediri ea non potuerint, & proximis motibus omnium immenso sumptu exhaustorum, habenda ratio fuerit. In maiori quoque Poloniâ ijsdem ferme diebus, paucorum audaciâ, noua tumultus initia facta sunt, auctore potissimùm Petro Lascio, qui inani eorum quę diceret faceretúe ostentatione, linguâ manuque promptus, tantum sibi popularis auræ parauerat, vt quamuis Russiâ ortus, ac nuper quæsitâ matrimonio certorum bonorum in maiori Poloniâ hæreditate, Nobilitati Palatinatus Calissiensis insertus, primas tamen sibi partes in conuentibus eius oræ vsurparet. Is Sigismundo Grudzinski Palatino Rauensi, quem Regi ob negatam bonorum Præfecturæ Sochaceuiensis administrationem, infensum esse non ignorabat, quò renascenti seditioni qualemcunque auctoritatem vnius Senatoris accessione adderet, facilè persuadet, fore, vt Rege pulso, vel in ordinem redacto, ille qui vnus ex Senatu Reipublicæ causam suscepisset, principem deinde in Senatu locum sit habiturus, & ingentes opes nauatæ operæ pręmium acquisiturus. Quem callidis consilijs facilè in suam sententiam pertrahit; ambo paucis adiunctis Colum oppidum obeundis maioris Poloniæ conuentibus destinatum, pridie Idus Februarij veniunt, ac de communi consilio, ad Bernardum Macieiouium Cardinalem & Archiepiscopum Gnesnensem non longè à Colo in arce Vnieouiensi degentem mittunt; se quidem eo animo huc venisse, vt cùm Rempublicam oppressam, nihilque eorum factum, quæ concordi Rocossiani cõuentus cõsensu decreta erant, videant; diem continuando eidem cõuentui pręfigerẽt: cæterùm ne qui ex eo motus in Republicâ fierent, hæc extraordinaria remedia non amplexuros, si à Cardinali, tanquàm Senatus Principe, his de rebus dato diplomate sibi caueatur. Inprimis Senatores non nisi solito comitatu ad futura Comitia venturos. Regiam Maiestatem nulla externa auxilia in præsentia parare, neque paraturam, nec ijs ad opprimendum ordinem Equestrem vsuram. Scita Rocossiani conuentus, quæ concordi Equestris ordinis postulatione proponentur, in Comitijs approbatum iri. Postremò eis qui indicendi Rocossiani conuentus auctores fuerunt, id ipsum fraudi damnoue non fore. Conatus est multis rationibus persuadere ijs Cardinalis, vt huiusmodi cœptis desisterent, neque temerarijs consilijs se & Rempublicam in periculum præcipitarent: ostendit frustrà ea timere illos, quorum nomine sibi caueri postulant; nam neque Senatum pacis & concordiæ auctorem, cùm aliorum animi eodem inclinent, arma sumendi habere causam, neque Regiam Maiestatem in summo suo discrimine, solis gentis nostræ subsidijs confisam, atque ijs satis munitam, externis auxilijs, quibus parandis nunquàm animum adiecit, egere, aut hactenùs eguisse. Iam vt ea, quæ præsens Reipublicæ status requirit, ritè in Comi-

Causæ cur comitia celeriùs indicta non fuerint.

Noui tumultus initia in maiori Poloniâ.

Eorum Petrus Lascius auctor.

Eius consiliorum socius Sigismundus Grudzinski Palatinus Rauensis.

Eorum à Cardinali Macieiouio Archiepiscopo Gnesnensi postulata.

His cœptis eos desistere hortatur Cardinalis Macieiouius.

tijs expediantur, ac ſcita Rocoſſiani conuentus rata habeantur, in eorum fore poteſtate, qui in Comitijs publica conſilia tractabunt, eorum concordiæ Regiam Maieſtatem liben · : acceſſuram. Denique eâ eſſe Regiam Maieſtatem benignitate, vt facilè iniurias animo deponat, vſurum quoque eadem clementiâ erga Rocoſſiani conuentus auctores, Patriæ amore eò progreſſos, ſibi quoque id curæ fore, vt erga illos placatum Regiæ Maieſtatis animum reddat. Interim poſtulare, vt his contenti ſint, indictaque iam à Regiâ Maieſtate Comitia præſtolentur. Cæterùm illi, qui non eo animo quòd vel cautione aliquâ egerent, vel Principis Senatus conſilijs vti vellent, ſed vt diu meditatis conatibus ſuis aliquam æquitatis ſpeciem (nempe quòd non ex voto ſibi à Cardinale reſponderetur) prætexerent, hæc propoſuerant, cauſati Cardinalem ſuis poſtulationibus annuere noluiſſe, multis, quò Regi inuidiam conciliarent fictis, Reipublicæ periculis commemoratis, actionibuſque Regijs ſiniſtrâ interpretatione exagitatis, Rocoſſiano conuentui v. Calendas Aprilis ad Andreouiam continuando diem locumque præfigunt: hortati omnes, qui ſaluam Rempublicam eſſe cuperent, eò vt venirent, finem Rocoſſianis conſilijs & deliberationibus impoſituri. Intereà quò ſecuritati eorum, qui Andreouiam venturi erant, conſulerent, militares Præfectos deſignant, militemque ſcribere iubent, binum tributum ſciſcunt, iuſtitium edicunt, omnibus quicunque genere nobilitatis cenſeri vellent, tam qui militiæ vel aulæ Regiæ adſcripti ſunt, quàm qui Senatoribus ac priuatis perſonis operam ſuam addixerunt, vt patronis relictis, ad vexillum libertatis conuolent, mandant. Denique ſacri ordinis Præſides & vniuerſum Eccleſiaſticum ſtatum ad conſilij ſocietatem inuitant, amicè de rebus ijs, quæ in quæſtione & controuerſæ ſunt tranſacturi. Recenſendo exercitui ad Siradiam decimum tertium Calendas Aprilis diem aſſignant. Hæc verbis magnifica, re prorſus inania, ſcripto comprehenſa publicè proponunt.

fruſtrà eos dehortante Cardinali, propoſita ſua vrgent.

V. Calend. Aprilis ad Andreouiam Rocoſſiano conuentui præfigunt.

iuſtitium edicunt;

Surdæ ad ea hominum aures, qui proximo ad Sendomiriam conuentu, ſatis re ipsâ experti fuerant, quò talia conſilia priuato ſtudio magis, quàm boni publici causâ ſuſcepta tenderent: præoccupatæ quoque mentes expectatione Comitiorum, quæ Rex ad nonam Maij Varſauiæ indixerat, importunis ſeditioſorum ſolicitationibus & promiſſis parum mouebantur. Et Rex quò auerteret dubios, fluctuanteſque in fide confirmaret, ac falsò iactatas ab aduerſarijs ſuſpiciones à ſe remoueret, benigno reſcripto aculeatis Rocoſſianorum ſermonibus reſpondit, atque proximè prioris anni, actionum conſiliorumque ſuorum, quibus in pacandâ Republicâ vſus erat commemoratis rationibus, modò pacati eſſe velint, ſe in proximis Comitijs cunctorum expectationi ſatisfacturum, & promiſſa impleturum recepit: Illud poſtremò conteſtatus, ſi qui otij, pacis & concordiæ pertæſi motus cierent, ſibi quoque & animum & rationes non defuturas ſecuritati publicæ proſpiciendi, nec dubitare vniuerſos

ſed nemine curante.

Regis benignitas cæteros in officio continuit.

ſos Ordines, in aſſerendâ pace publicâ ac dignitate Imperioque ſuo ad ſe concordibus votis, Deo ita volente, delato tuendo ſibi præſtò futuros, auxiliumque & ſubſidium contra ſeditioſos & nouorum conſiliorum auctores, laturos. His & ſimilibus verbis ad permulcendos hominum animos accommodatis fiebat, vt non ex voto auctoribus noui motus conſilia procederent. Perculit eoſdem Ruſſiæ procerum Leopoli ſexto Idus Martij pro Rege factus conſenſus, quo confeſtim vt eius Prouinciæ Nobilitas ad Viſnam ſexto Calendas Aprilis conueniret armata, promulgatum erat. Cæterùm ne nihil agere viderentur, ijdem ipſi qui Colenſem conuentum obierant, paucorum acceſſione aucti prope Siradiam copias recenſituri, die præſtituto conueniunt. Id ipſum verita Siradienſis Palatinatus Nobilitas, quæ per hos motus, conſtantis in Regem fidei & pacatorum conſiliorum ſtudij maximam laudem tulit, Ducibus Alexandro Koniecpolski Palatino Siradienſi, viro auitæ Nobilitatis, & priſcæ erga Reges obſeruantiæ, ac Staniſlao Bykowski Caſtellano Lancicienſi & Capitaneo Siradienſi, vtroque belli & pacis artibus inſigni, frequens ad Siradiam conuenerat eo animo, vt Rocoſſianorum conuentibus obuiàm iret. Itaque vt eos proximè cõnſediſſe intellexerunt, legatos ſuos, quorum princeps erat Georgius Radoſzowski Boxa Succamerarius Vielunenſis, vir in multis Reipublicæ negotijs ab ineunte ætate præclarè verſatus, ac tum ſeptuagenario maior, ad eos mittunt, ac principio præfati, ſibi quoque publicæ libertatis tuendæ innatum eſſe ſtudium; cæterùm ſe eorum conatus ſuſpectos habere; quippe cùm libertatis aſſertores dici cupiant, primi ipſi illam alijs, dum cunctos dicto ſuo parere iubent, & priuati homines priuatam vſurpent & in alios extendant, auctoritatem, adimunt; id cùm præter inſtitutum maiorum fiat, ſibi minimè placere poſſe, proinde cùm nihil commune cum ſeditioſis hominibus habere velint, fraternè ab ijs poſtulare, ne in ſui territorij agro eiuſmodi conuentus inſtituant, ſed quamprimùm hinc excedant, Patriam ne turbent, ius exerceri ne vetent, armis poſitis pacatè ſe gerant. Pudebat tum Rocoſſianos ſuæ infrequentiæ adeò vt in conſpectum Siradienſis Nobilitatis venire non auſi fuerint, nec ſanè quidquam, quod ad rem pertineret, legatis reſponderunt. Itaque cùm Siradienſi Nobilitate inuitâ iter verſus Andreouiam inſtitutum proſequi non poſſent, nec diutiùs eodem in loco hærere auderent, ſolutis ordinibus quà quiſque poterat, deuio itinere ſuperandi fluuij Vartæ causâ digreſſi, paulò ſeriùs quàm decreuerant Andreouiam venerunt.

Ruſſiæ Procerum inſignis erga Regem fides;

item Nobilitatis Palatinatus Siradienſis,

auctore Alexandro Koniecpolski Palatino Siradienſi.

Hos veriti Rocoſſiani:

quare deuium iter ſuſcipiunt verſus Andreouiam.

Indictis intereà à Rege Comitijs, agebantur more ſolito particulares Palatinatuum conuentus, in quibus Rex per oratores ſuos rerum tractandarum ſeriem proponens, principio ijs quæ ſuperiori anno turbulento Reipublicæ ſtatu geſta ſunt obliuioni potiùs tradendis paucis commemoratis, pacem publicam ſtabiliendam eſſe oſtendebat, ſe quamuis tantis affectum iniurijs, tot oneratum ſuſpicionibus, & immeritò in

Indictis à Rege Comitijs peragebantur conuentus particulares.

Summa eorũ quæ à Rege in conuentibus particularibus proponebantur.

odium ſubiecti ſibi populi adductum, non tam eo nomine queri, quàm quidquid id eſt iudicandum ordinibus relinquere, an fieri debuerit. Agnoſcere Regiam Maieſtatẽ ſingulari Diuinæ bonitatis erga ſe Regnumque hoc clementiâ factum eſſe, vt rebus ferè perditis, & extremâ ſpe pendentibus, nihil tamen aduerſi acciderit, ſed priſtinus Reipublicæ ſtatus conſeruatus ſit: expertam eſſe Regiam Maieſtatem vetuſtis annalium monumentis conſignatam inclytæ gentis Polonæ erga Reges Principeſque ſuos fidem: eâ re adeò Regiam Maieſtatem delectari, vt ſpectatæ virtuti tam benè de ſe meritæ gentis, libenter, quod & hactenùs fecit, non Imperium modò ſuum, ſed famam, ſalutem, vitamque ſuam permittere velit: precari interim Deum Optimum Maximum, vt diſſentientibus animis, concordiæ nexu conſociatis felicem & optatum conſiliorum effectum largiatur: velle imprimis Regiam Maieſtatem, ea quæ Viſliciæ ſcita ſunt, auctoritate Comitiorum firmari: non abnuere quin & alia, quæ concordi ordinum conſenſu à ſe poſtulata fuerint concedantur atque ſtatuantur. Habet iam camera Regia, quemadmodùm Viſliciæ poſtulatum fuit, ſuum Præfectum, dimiſſi ab aulâ externi homines, præter paucos Suecos, qui illius Regni negotia curent, ac nonnullos Pruthenos, Liuones, & Æſtones, qui cùm ſint huius Reipublicæ membra, eos pro externis cenſeri non poſſe. Componendæ eius, quæ inter ſacrum & ſecularem ordinem, diu iam in quæſtione eſt, controuerſiæ rationes pleraſq; pendere ab arbitrio ſummi Pontificis: ad eum miſſum eſſe Nuntium Regiæ Maieſtatis, ſcriptas Cleri vniuerſi nomine literas, petitumque vt eo annuente aliquid de iure decedere liceat: cupere magnoperè Regiam Maieſtatem ea ordinum diſſidia, quæ magno Reipublicæ incommodo exercentur, tandem aliquando tolli, & componi. Expetitam à maioribus Polonis fluuij Vartæ nauigationem, miſſo ad Electorem Brandeburgicum, qui in ſuâ poteſtate oſtia eius fluminis habet, oratore, curari. Proximis Comitijs ſatis explicatum eſſe quo in ſtatu ſit negotium feudi Pruſſici, quod iure & Regum Poloniæ conceſſione ſibi deberi familia Principum Domus Brandeburgicæ contendit. Curam quidem Principis ægri cùm diutiùs proferri non potuerit, ex frequentiſſimi Senatus cõſilio & aſſenſu ad Illuſtriſſimum Principem Electorem, interpoſitis conditionibus & pactis delatam eſſe, ius verò ipſum feudi, eiuſque cognitionem Ordinum Regni iudicio reſeruari: actum fuiſſe aliquoties hac de re, propoſitis vtrinque rationibus, ſed nihil hactenùs concluſum, diſpicerent Ordines quid de eo ſtatui oporteret. Caſtris, in finibus, Tartaris oppoſitis, à Rege ex pacto conſtruendis, loca præfigi, eoſque, qui id facerent, atque priuatos à publicis fundis in illâ deſertâ, ſed ſi excoletur frugiferâ regione ſecernerent, publicâ ordinum Regni auctoritate deſignandos eſſe. Velle Regiam Maieſtatem hac ipsâ æſtate dare initium huic rei, ſed fruſtrà in vaſtâ illâ ſolitudine arces conſtrui, niſi eodem quoque coloniæ deducãtur; id fieri poſſet, ſi hominibus Equeſtri Ordine natis

De compoſitione inter ſtatus.

De nauigatione Vartæ fluuij.

De feudo Pruſſico.

De arcibus in confiniis contra Tartaros extruendis.

natis incerti iuris possessiones hæreditario iure conferrentur, vt simul & arcium præsidijs & agros incolentium multitudine, hostes à populatione & vagis excursionibus arceri possint. Disciplina militaris laxatis licentiæ frenis dissoluta, quomodò in pristinum statum restitui possit, ineundas esse rationes; ne miles publico stipendio conductus in extorquendâ annonâ adeò sit priuatis hominibus grauis, ne perniciosas contra Patriam conspirationes ineat, & vt ad bella capessenda promptum se exhibeat, ita vicissim parere imperio discat, curaturam Regiam Maiestatem, vt quò præmijs ad nauandam Patriæ operam allici, & in officio contineri possit, eorum qui sex annorum emerita stipendia habuerint, testimonioque Ducum & militaris fortitudinis & ciuilis modestiæ laudem tulerint, in conferendis beneficijs prima ratio habeatur. Bona Reipublicæ, doti defunctæ Reginæ subiecta & obnoxia, eius morte immunia facta esse, de quo ne quis ambigere possit, redditu-ram Regiam Maiestatem in proximis Comitijs in eam rem data diplomata; interim postulare, vt præsenti coniugi suæ dotalitia bona, quæ reformationis titulo suæ Serenitatis iuri obnoxia forent, ordines in ijsdem Comitijs designare velint. Cum Imperatore Turcarum fœdus quidem non esse hactenùs renouatum, quòd is cui erat mandatum, vt Regis & Reipublicæ nomine apud eum legationis munere fungeretur, primò publicis, quæ eum proximo anno satis exercuerunt, deinde priuatis negotijs impeditus id ex æquo intermiserit; cæterùm ne ea mora periculo Reipublicæ esset, satis à Regiâ Maiestate eò missis Nuntijs, qui tarditatem legationis excusarent, cautum esse, eoque factum, vt quamuis tot illatis frequentibus Cosacorum in ditiones Turcicas excursionibus damnis, occasio barbaris data fuisset eas iniurias armis vindicandi, nihil tamen istic motum fuerit. Nunc iam alium legatum missum esse, qui ictum cum Regiâ Maiestate & præsentis Imperatoris patre fœdus, ex veteri consuetudine firmaret: id stabilius certiusque fore, si Cosacorum licentia coërceretur, quæ eò vsque creuit vt ex libitu suo bellum inferant, ac prædas agant. Varnam proximo anno nobile Turcarum emporium ab eis direptum esse, decem Turcicas triremes mercibus onustas interceptas; & nisi in legitimam aliquam imperij formam colluuies illa redigatur, ingentem Turcici belli tempestatem inopinantibus nobis, eos in Republicâ concitaturos. Tartarum missis proximè Legatis, pacem petere, & fœdus sancire velle: missum quoque eò esse à Regiâ Maiestate legatum, qui de illatis damnis quereretur, nec antè stipendium solitum illi datum iri ostenderet, quàm is in posterum caueret se suos subditos ab hostilibus in fines Regni excursionibus cohibiturum. Liuoniam Prouinciam sanguine Polono partam, extremam iam opem implorare, eius possessione magnâ ex parte hostem quidem esse exutum, & aliquot nobilissimis victorijs

De militari disciplinâ, restaurandâ.

De contradote Reginæ mortuæ.

De fœdere cum Imperatore Turcarum.

De Cosacorum licentiâ coërcendâ, à quibus Varna nuper expugnata.

De Tartaris ab incursionibus cohibendis.

De stipendijs militis in Liuoniâ militantis.

Caroli Chodkieuicij pro Magno Ducatu Lithuaniæ exercituum Præfecti ductu profligatum: sed milite ob nonnumerata stipendia inde excedente, Prouinciam omni præsidio esse destitutam, venturam rursus, ni prouideatur, in potestatem hostis hanc ipsam illius occupandæ occasionem captantis. Iam ipsum militem Regijs possessionibus per vim occupatis hærere in visceribus Regni, vastare patrimonium Reipublicæ, exuere miseros colonos omnibus fortunis, nec iam à bonis hominum Equestris ordinis abstinere: illaturos magnam Reipublicæ calamitatem, nisi solutis stipendijs (quæ quâ ratione confici, & repræsentari possint, in futuris Comitijs expendendum) exauctorentur, vel iterum militari sacramento adigantur. Moschouiam cæso eo, qui Demetrij nomine eum Principatum inuaserat, ciuili hucusque redundare sanguine: missos inde fuisse ad Regiam Maiestatem Nuntios questum, per vim hunc ipsum Demetrium à Polonis sibi obtrusum, ac fœdus eo ipso violatum fuisse. Responsum illis ita esse, vt omnis fœderis fracti culpa in illos retorqueretur; nam, quisquis ille fuerit Demetrius, eum ab illis vt Principē palàm inuitatum, & eò venientem receptum, eo inaugurato in Poloniam legatos publicè missos, ad nuptias Regem inuitatum, mox insidiosè multos Polonos eorum fidem secutos alios immani feritate cæsos; alios, ac in his legatos Regios contra iura omnium gentium in vincula coniectos. Ad ea Moschos cùm quid responderent non haberent, hoc vnum postulasse, vt eò suos Nuntios Regia Maiestas mitteret, quos iam à Regiâ Maiestate expeditos esse, qui & iniurias factas quererentur, & res ablatas, hominesque interceptos repeterent, pacemque, si quis esset cum quo hac de re agi posset, firmarent. Cæterùm tot acceptis à gente barbarâ, & nomini Polono inimicissimâ iniurijs, an ad eas referendas, dudumque fraude illorum interceptas amplissimas Prouincias recuperandas, cùm vltro præclaræ se pandant occasiones, animum adijcere libeat, diligenter esse considerandum. Regiam Maiestatem esse eo animo, vt hac in parte, modò Ordines Regni studia voluntatesque suas eò conferant, ostendere velit se Reipublicæ & muneri suo deesse nolle. Postulare denique, cùm pacandæ Reipublicæ facultas in concordiâ omnium sita sit, ei potissimùm studeant, Nuntiosque quibus idipsum curæ sit, quique non priuati negotij causâ id munus ambiant, designent. His ita perscriptis, nuntio de Golensis conuentus conatibus allato, adiectum prætereà, cùm pauci quidam priuatâ auctoritate, quietis impatientes nouum tumultum ciere moliantur, vt Rempublicam seditionibus intestinis exagitent, arbitrari Regiam Maiestatem eorum perniciosa consilia, & temerarios ausus nequaquàm locum apud homines pacis & concordiæ cupidos, Patriæque amantes habituros: fucum eos facere inani libertatis ostentatione, cùm indicta sint Comitia, in quibus more maiorum, graui

De legatione Moschouiticâ, & quid Moschis responsum.

De bello Moschis inferendo.

De temeritate paucorum qui nouum tumultum concitare conabantur.

Senatus

Senatus & Equeſtris ordinis iudicio, ficta eorum quæ hactenùs iactant ſomnia, & vanæ ſuſpiciones expendi poſſint: miſcere eos omnia, ac pacatum Reipublicæ ſtatum perturbare velle, quò ſublatis legibus confuſo ordine, abrogatis Magiſtratibus, ipſi demum ſeditioſæ concionis decreto, Rempublicam ſui iuris & arbitrij faciant, eam ex ſuo ſenſu vel potiùs libidine reformaturi. Petere ne eis ordines fidem accommodent, quin potiùs eorum conatibus obſiſtant, nec ſi quid contra Regiam Maieſtatem molirentur, auxilium ferant.

Hæc ferè ſumma erat eorum, quæ tum per conuentus particulares Regio iuſſu & nomine proponebantur. Andreouiam admodùm pauci primò ex ſeditioſis venerunt, ijque potiſſimùm, qui temeritate & audaciâ cæteris præire volebant: non aliquâ virium fiduciâ, quas nullas habebant, ſed non ignari mite Regis ingenium, pænè in conſpectu illius (nam Andreouia vnius diei itinere Cracouiâ diſtat) ſedem conſilijs turbidis proponendis fixerant. Nec ſanè eos fefellit opinio; nam cùm illi ſeditionem concitarent, homines armatos cogerent, ac pænè claſſicum canerent, & in Regem contumelioſis ſcriptis inueherentur: ille Regio planè animo hæc contemnenda exiſtimans, benignitate potiùs & clementiâ ſanandos, quàm ſeueritate coërcendos putauit. Igitur quamuis eorum inſolentia creſceret, atque viribus etiam tumultuario conſcripto milite aucti eſſent, & Ioannis Radiuili, qui ſeriùs aliquantò eò venerat aduentu, eiuſque copijs militaribus intumeſceret, Rex tamen miſit ad eos Euſtachium Volouicium pro Magno Ducatu Lithuaniæ Referendarium & Georgium Ducem in Zbaras Pinſcenſem Socalienſemque Præfectum, qui ob ſuſcepta ab eis eiuſmodi conſilia extraordinariumque coactum conuentum, quæ Reipublicæ domi foriſque pericula imminerent, oſtenderent: proximè inſtare Comitia ab vniuerſis Regni Ordinibus flagitata: ea poſtquàm indicta ſint, pari omnium conſenſu approbata, lectos Nuntios, omniaque ſecundùm veterem conſuetudinem ac leges & inſtituta maiorum peracta, non dubiam ſpem eſſe in illo publico Regni conſeſſu, Rege & Senatu & Equeſtris Ordinis Nuntijs adnitentibus, præſentibus Reipublicæ incommodis ſatis proſpectum iri, Regiam Maieſtatem ad omnia, quæ concordi omnium conſenſu propoſita fuerint, præſtanda eſſe & fore paratiſſimam. Ad ea illi: Sępiùs iam quidem promiſſorum Regiæ Maieſtatis expectatione, animos conatuſque ſuos ſuſpenſos, ac pænè eluſos fuiſſe; cæterùm ne omnino indicta Comitia cōtemnere viderentur, cùm eò etiam accedant multorū Equeſtris ordinis è diuerſis partibus ſuaſiones, ſe ad v. Calendas Iunij promiſſam ſatisfactionem expectaturos, ſedemque peragendi conuentus ſui proximè Varſauiam tranſlaturos. Conſtituerat Palatinus Cracouienſis, vt primùm (eo haud dubiè clam conſilia ſuggerente) noui motus initia data ſunt, quò maiori potentiâ conuentus Andreouienſis niteretur, eò cum copijs ſuis venire; ſed cùm ſuas vires nequaquàm ijs, quas Rex omni Ruſſico

Conuentus ſeditioſorum ad Andreouiam.

Regis in contemnendâ Rocoſianorū leuitate animus.

Regis à temeritate dehortantis ad illos nuntij.

Reſponſum ad ea Rocoſianorum.

milite ad eum confluente haberet, pares cerneret, verereturque, ne Rex si quid contra pacta Ianouecensia committeret, legitimam in eum seuerius animaduertendi causam & occasionem haberet, maluit alienæ, quàm suæ temeritatis periculo, experiri, quid Rex in animo haberet: quem postquàm lenibus solitò vti remedijs cognouit, ipse quoque publicè scriptis editis, & probato Andreouiensi conuentu, palàm quâ mente esset declarauit.

Palatinus contra sponsionem factã Rocoßianorũ consilia souet.

Iam Zolkieuius, iam Potocij Cracouiam venerant, cæterique qui Regiarum partium præsidio militari robur ac firmamentum erant, cùm Rex appetente Comitiorum die, recensito exercitu, atque ex eo, quantum Cracouiæ, vbi vxorem & filium relinquebat, satis præsidio foret relicto, v. Calendas Maij Cracouiâ Varsauiam versus profectus est: ac licet Andreouia in ipso itinere esset, tantumque virium haberet, vt facilè conuentum, qui istic agebatur, eâ occasione submouere & discutere posset, tamen ne si nascentem seditionem armis oppressisset, se inuidiæ populari obijceret, consultò declinauit, & ad læuam flexit iter, illud diligenter cauens, ne quod à parte suâ noui motus initium oriretur. Pridie nonas Maij decimo postquàm Cracouiâ discesserat die, instructo sub signis exercitu, Varsauiam ingressus est; ac ne noua armatorum Comitiorum facies magis necessitate præsentis status, quàm Regiâ voluntate vsurpata animos hominum turbaret, Rex continuò vniuersum exercitum, quidquid hominum in armis erat, positis extra ciuitatem versus septemtrionem castris tendere iussit, ciuitas ipsa, veluti omnia pacata essent, venientibus ad Comitia patuit: eo modo & securitati prouisum, & submoto militari tumultu, liberè dicendis sententijs, consilijsque explicandis omnibus amplissima potestas facta. Ita ritè cunctis dispositis, præmisso solenni sacrosanctæ Missæ sacrificio, præsente frequentissimo Senatu, initia futuræ consultationi data: atque imprimis Terrarum Nuntij, de more eum qui rogandis in eorum consessu sententijs præesset legentes, ad Felicem Criscium Regni Referendarium concordi consensu id munus detulerunt: qui cùm singulari facundiâ atque rerum vsu polleret, semperque optimarum in Republicâ partium auctor promotorque esset, facilè omnes in eam spem adduxit, vt eo publica Equestris ordinis consilia moderante, omnia ex voto & desiderio bonorum esse cessura confiderent. Quam hominum de se conceptam opinionem, eâ oratione, quam primam Nuntiorum nomine ad Regem & Senatum habuit, ita confirmauit atque etiam auxit, vt nemo esset, qui non Regi & Reipublicæ gratulandum existimaret, talem popularibus consilijs, quæ plerumque leui momento perturbantur, rectorem ac moderatorem contigisse. Rex ijs, quorum causâ Comitia indixerat, breuiter expositis, præsentique Reipublicæ statu recensito postulauit, vt quod è Republicâ ordines censerent, exponerent; se omnia arbitrio ordinum permittere, agerent facerentque illi cuncta, ac liberè statuerent, experturi Regem promptum, paratum-

Potocij partibus Regis stetêre.

Regis Cracouiâ Varsauiam iter ad obeunda comitia.

Initium Comitiorum Varsauiæ.

moderator consessus Nuntiorum terrestrium Felix Criscius.

Propositio Regis tractandorum in Comitijs.

Rex quò liberiùs sententiæ dicerentur, illis interesse noluit.

paratumque ad ea omnia præstanda, quæ concors ordinum consensus decreuerit: ac ne sua præsentia, quominùs liberè ab omnibus sententiæ dicerentur, obstare videretur, nolle se interesse publicis consilijs, tractaret ea se absente Senatus, accitis Nuntijs. Benignitas ea Regis atque animi moderatio, grata erat cunctis; quare cùm dicerentur sententiæ, ex Senatoribus quisque pro se Regi eò nomine gratias agere, laudare pium & paternum erga subditos affectum, sua studia, curas, & vigilias, ad pacandam Reipublicæ præsentem tempestatem polliceri. In ijs tum primò Comitijs introducta fuit ea consultandi ratio, vt vno eodemque in loco Senatus & Nuntij Rege absente conuenirent, faciliusque eo modo discordes Nuntiorum sententias, Senatorum accedente auctoritate, conciliari posse plerique arbitrati sunt. Et cùm Vislicìensis & Sendomiriensis conuentuum rogationes in quæstione essent, hasque vel illas alterutra factionis pars tuendas suscepisset, ne temerarijs disceptationibus tempus frustrà tereretur, ea inita est ratio expediendorum consiliorum: proponebatur negotium de quo vtrobique actum, & aliquid sancitum esset, quæsitumque cuiusnam conuentus, Vislicìensisne, an Sendomiriensis decretum probandum foret: eâ de re dictâ ab vno, vel summùm altero ex Senatoribus sententiâ, si nemo erat ex Nuntijs qui dissentiret, lex perscribebatur: si qui refragarentur, ij vltro citroque propositis rationibus facilè in omnium sententiam concedebant: fiebatque vt multæ res controuersæ satis, de quibus anteà minimè inter Status conuenire poterat, tunc facili quodam negotio deciderentur, multaque Reipublicæ salutaria Senatus consulta perferrentur. Angebat magnoperè Rocossianos felix is comitiorum progressus, qui Andreouiâ discesserunt edicto proposito, quo, quòd non Rocossianis consultationibus finem istic imposuissent, modestiâ suâ factum esse ostendebant; potuisse iam supremæ suæ potestatis decreto prospicere Reipublicæ; sed ne fortè temeritatis arguerentur, etiam hac vice expectare velle, an Rex ea, quæ se facturum recepit, in Comitijs præstaret: nunc eò cum exercitu vniuersos progredi, hortari cunctos se sequi velint, alioqui vel ijs absentibus se ea consilia amplexuros, quæ Reipublicæ status exposcere videbitur. Hæc tum satis pro imperio non multò plures triginta homines, exceptis familiaribus, & iis qui pecuniâ conducti merebant, edicebant: vt tam paucos tantum sibi arrogare ausos vix credibile sit futurum.

Inusitata antè consultandi ratio Senatorum cum Nuntijs Rege absente.

Palatinus Cracouiensis, cuius nutu & consilio omnia ista gerebantur, postquàm Regem Cracouiâ discessisse intellexit, ipse quoque Zamoscio, bellico instructus apparatu, non vt Comitijs interesset, quemadmodùm ad Ianouecium se facturum Regi fide datâ spoponderat, sed vt Rocossianę factioni robur & auctoritatem adderet, profectus est. Datæ erant ad eum, cùm iam in itinere esset, Senatorum Nuntiorumque omnium literæ, quibus admonebatur maturè ad Comitia veniret; id ab eo & Senatorij muneris functionem, & negotiorum consiliorumque, quorum ipse

Palatinus Cracouiensis vires Rocossianorum suo interuentu augere contendit.

Literæ ordinum Regni ad Palatinum, eum ad Comitia inuitantium.

ipſe auctor eſſet, expectationeque eorum ſuſpenſos animos ciuium teneret, in Comitijs inſtitutam tractationem exigere: nunquàm commodiùs Reipublicæ periculis prouideri, ac internam pacem & concordiam ſtabiliri poſſe, quàm in eo conſeſſu, qui ritè & more maiorum indictus omnium Regni ordinum auctoritate niteretur. Ad ea ille nihil ſuâ præſentiâ iſtic opus eſſe reſpondit: non idcirco indicta Comitia, vt ſibi quaſi in ius vocato neceſſitas fieret ediſſerendi ea, quę de imminentibus Reipublicæ periculis, proditorijſque conſilijs comperta haberet, ſed vt Rex promiſſis ſuis ſatisfaceret: callidum & ſubtile hoc conſilij genus excogitatum, vt Rex onere ſatisfactionis leuaretur, hinc eius conſilij auctores fingere, quaſi ſe abſente Comitia rectè peragi non poſſint, non alio fine, niſi vt eo prætextu, ſi nihil eorum, quę Rex toties ſe præſtiturum receperat, fieret, expectationem vniuerſæ Reipublicæ eluderent. Satis in Stæzicenſi & Lublinenſi ac poſtremò Sendomirienſi conuentu oſtenſa & declarata eſſe hæc pericula, ac quid Rex Reipublicæ deberet, fruſtrà plura à ſe poſtulari, cùm hæc ſufficere poſſint: non diffiteri ſe habere adhuc nonnulla, quæ dudum protuliſſet, niſi vereretur, ne rem ad tumultum deduceret; facturum tamen ſi id, quod nollet, ſperatæ ſatisfactionis tempus fruſtrà abierit, nec Reipublicæ ſatis cautum ac prouiſum fuerit.

eius reſponſum,

nihil ad ſe Comitia pertinere dicentis ambiguum.

Hæc in ſpeciem ab eo ambiguo quodam orationis circuitu dicta, eò tendebant, vt abrogatâ omni Comitiorum auctoritate, omnes inde ad Rocoſſianum Conuentum euocaret: quod apertiùs paulò antè legatione iſtic ad Comitia miſsâ declaratum fuit, poſtulatumque ne quid inuitis ijs qui auctoritatem pręſentium Comitiorum non agnoſcunt, decerneretur: quod quidem fieri non poterat, niſi ſi nullâ factâ concluſione, ſolutis Comitijs diſcederetur. Cæterùm cùm tantoperè homines iniectæ à Palatino Cracouienſi arcanæ cuiuſdam Regis & Senatorum contra Rempublicam machinationis, in publicum proferendæ expectatione tenerentur, iſque ſolitis ambagibus promiſſa ſua inuoluens, atque inanem vulgi ſciendi cupiditatem eludens, hoc quaſi ſeditionis incendio vteretur; & niſi hoc pateret, nunquàm noui ſubinde tumultus ſuſcitandi occaſio defutura videretur, Senatuſconſultum fieri placuit in eum ſenſum: Cùm proximi in Republicâ motus inde originem potiſſimùm ſumpſerint, quòd quidam comperiſſe ſe aſſererent, clandeſtina iniri conſilia deſerendi per Regiam Maieſtatem Regni, eiuſque exteris, iure liberè eligendi Regis ſublato, tradendi; ac præterea quidam ex Senatu ab ijs inſimularentur, tanquàm Regię Maieſtati auctores eſſent, vt ijs legibus, quibus Regnum ei delatum eſt contemptis, abſoluti dominij imperium vſurparet: iſque metus vniuerſos, qui nobili & generoſo quodam ſtudio ad tuendas in quibus nati ſunt libertates, non immeritò exarſerunt, ſolicitos habeat, Sacram Regiam Maieſtatem, & omnes Regni ordines, ne quid tale in animis hominum hæreat, atque iſtis ſuſpicionibus, & inani metu Reſpublica liberetur, auctoritate Comitiorum edicere & mandare,

quid intenderit ambiguo reſponſo Palatinus Cracouienſis.

Senatuſconſultum factũ, vt quicunque aliqua occulta contra Rempublicam conſilia ſciret, ad Comitia ſe ſiſteret, ea propalaturus.

re, omnes cuiuſcunque ſtatus & conditionis ſint, qui eiuſmodi clandeſtinorum conſiliorum notitiam habent, & qui Senatorum fidem accuſant, ad VIII. Idus Iunij pacatè, nec ampliori comitatu, quàm qui Conſtitutione Comitiorum Coronationis Regis præſcriptus eſt, Varſauiæ ſe ſiſterent, fide publicâ dicturi & prolaturi ea quæ comperta habent. Eius rei cauſâ iudices ex Senatu & Nuntijs, quorum fide integrâ, & hoc crimine,quod in quæſtione eſt, minimè ſuſpectâ lectum iri, qui iurati cauſam vniuſcuiuſque accuſati cognoſcant, ac criminis reum pœnis legum ſubijciant. Accuſator ſi crimen falſum intenderit, pœnâ calumniæ teneatur. Ab VIII. Idus Iunij ad octiduum exercendis iſtis iudicijs tempus præfiniri: ſi qui intra hoc tempus comparere noluerint, ac ſpreto huius Senatuſconſulti decreto Rempublicam conturbarint, homines armatos ſub ſignis habuerint, ne quid inde Reſpublica detrimenti capiat, Sacram Regiam Maieſtatem & Ordines Regni auctoritate præſentis conuentus prouiſuros.

Hoc edictum octauo Calendas Iunij publicè propoſitum variè animos hominum affecit; erant qui hanc conditionem Palatinum Cracouienſem non aſpernaturum, atque vltro Varſauiam, ne ſi ea quæ dicturum ſe promiſerat, hac oblatâ occaſione diſſimularet, vanitatis argueretur, venturum exiſtimarent. Sed ille quominùs id faceret, nullâ aliâ legitimâ excuſatione vſus, niſi quòd eo edicto ampla nimis facultas ſe reos arguendi offerebatur, vt accuſatori, ni obiectum crimen probaret, pœna calumniæ ſubeunda foret, ac pleraque alia obtexens, quaſi iam de Republicâ actum eſſet, contrario edicto omnes Rocoſſianum conuentum ſuis viribus fulcirent, fruſtrà, cùm nemo reſponderet, hortabatur. Ac vt quâ mente eſſent Rocoſſianæ factionis Principes aperirent, ſeque Comitiorum auctoritatem nullam agnoſcere oſtenderent, & ad Senatum, & ad Nuntios terrarum legatos miſerunt cum eiuſmodi mandatis, vt omnino à Comitijs agendis ſuperſederent, ſeque ad Rocoſſianum conuentum transferrent. Multis verbis exagitatum eſt hac legatione Senatuſconſultum proximè in Comitijs latum, eo fundamenta iurium Regni & libertatum conuelli, Regi quiduis liberè agendi frena laxari, Senatoribus & cæteris alijs pernicioſa Reipublicæ conſilia euulgandi, eorumque auctores deferendi poteſtatem eripi, ac metu homines à tuendâ libertate arceri: conditionem, quâ Regi non niſi ſecundùm iura imperanti parere ſubditi tenentur abrogari, neminem poſthac auſurum propoſitâ calumniæ pœnâ, liberâ voce Regis vel Senatus in Reipublicæ negotijs actiones reprehendere. Maiores quidem ſuos longè aliter eâ libertate vſos, ab ijs Henrico Regi abrogatum regnum, nullam aliam ob cauſam, niſi quòd pactis non ſtetiſſet: liberè Sigiſmundum Auguſtum Regem admonitum Parcouiæ, obiectas ſuſpiciones diluere conatum fuiſſe: Stephanum Regem inſimulatum tanquam nepotem ex fratre Balthaſarum Batthoreum Principem Liuoniæ creare vellet, ſe id non factu-

Palatinus Cracouienſis ad Comitia venire abnuit.

Auctores Rocoſſi nullam eorum Comitiorum auctoritatem eſſe contendunt,

deq; eâ re per Nuntios agunt.

facturum, cauere Reipublicæ voluisse; postremò Regem præsentem cùm multa ei in Comitijs, quæ ab inquisitione nomen sortita sunt obijcerentur, exemplo Sigismundi Augusti rationem factorum consiliorumque suorum reddidisse, id ne in posterùm fiat, ac libertates iuraque Reipublicæ Regum ludibrio obnoxia sint, hoc Senatusconsulto cautum esse videri. Non esse æquum libertatum custodes legum laqueis implicari, vel causam publicam priuatorum iure censeri, eam se non deserturos, sed coniunctis animis & viribus propugnaturos, nec passuros vt priuatæ personæ ob susceptum libertatum Patriarum patrocinium, in discrimen veniant, vel pœnis subijciantur. Si quid in Republicâ secus quàm decuit factum sit, id non à Rege, vel Senatu certis Iudicibus permittendum, sed vniuersæ Nobilitatis generali quodam iudicio discutiendum esse; ob hanc causam institutum esse Conuentum Rocossianum, qui malæ administratæ Reipublicæ consciorum oculos perstringat, vt eius arbitrium effugiant. Is erat eius legationis sensus, quâ postremò postularunt à Senatu & Nuntijs, ne Comitijs agendis tempus frustrà insumerent. Respõsum ad ea à Senatu, ostensumque inprimis Senatusconsultum, quo illi offenduntur, necessitate præsentis Reipublicæ status expressum, niti legibus patrijs, nec quidquam libertatibus derogare, id solummodò eo caueri, ne quis impunè calumniam inferre audeat; idque non nouum, sed omnium gentium, ac nostris etiam legibus prouisum. Longè à Maiorum exemplis recessisse Rocossianos; Regem Henricum magis suâ sponte, cùm expectatus diutiùs redire noluerit, regno se abdicasse, quàm sententiâ alicuius abiudicatum fuisse. Sigismundum Augustum & Stephanum, si modò id factum fuit, priuatim certè, & non tantis excitatis tumultibus monitos; non iactata in eos crimina, nec vanis suspicionibus populari inuidiæ obiectos. Quid à Regiâ Maiestate in Comitijs inquisitionis ij, qui tum primas in Republicâ partes tenebant extorquere voluerint, meliùs iudicaturam posteritatem; quidquid tamen eo tempore actum est, id auctoritate Comitiorum stetisse. Non vetari eo Senatusconsulto quenquam, si quid vel Regem, vel alium quempiam in leges peccare animaduerterit, quin pro munere suo officij admoneat, sed calumnijs & fictis suspicionibus viam præcludi. Mirari cur selectissimum ex Senatu & Equestri ordine iudicium aspernentur, videlicet meliùs iudicaturam per tumultum concitatam multitudinem, quid æquum iniquumúe sit, quàm homines totius Regni primarios. Respicerent suas Regiasque, vel potiùs Reipublicæ partes, hinc Senatum vniuersum, florem Nobilitatis, terrarum Nuntios, publici consilij auctores: si hos vniuersos sceleris & perfidiæ condemnant, quid tandem in Republicâ sinceri futurum est? quod si non omnes suspectos habent, cur eorum arbitrio id quod dudum iam circumrodunt, non permittunt? cur nouam & insolitam sibi arrogant potestatem? cur ad extraordinaria iudicia prouocant? Meliùs eos facturos, si priuatis studijs sepositis, publicæ omnium con-

Responsum ad ea à Senatu Rocossianis datum.

concordiâ accederent, moribus & inſtitutis maiorum acquieſcerent, nec ſeceſſionem Reipublicę perniciosâm, vel, quod abſit, bellum ciuile excitarent. Se in hac Reipublicæ ſpeculâ poſitos proſpecturos, ne quid ea detrimenti capiat, nullos alios conuentus probaturos, comitia ritè & legitimè indicta peracturos, hortari vt & ij eodem flectant animos ſuos, neque ſuâ obſtinatione communem Patriam in diſcrimen adducant. Hoc Senatus & Nuntiorum acceptò reſponſo, cùm animaduerterent non adeò multum ſuis perſuaſionibus promoueri homines, ſupremam quaſi Rocoſſianis conſultationibus manum impoſituri, diem XV. Calendas Iulij vulgandis ijs quæ Palatinus dudum ſe deprompturum pollicebatur, præfigunt, rati eo modo ſe vniuerſos qui in partibus Regijs erant, vel certè magnam eorum partem ad ſe pertracturos.

Rocoſsiani quò Regi addictos ad ſe traherent, euulgandis quibuſdam contra Regem arcanis diem 15. Kal. Iulij præfigunt.

Intereà cùm iam tempus Senatuſconſulto præfixum præteriјſſet, ac nemo, qui vel in Regem, vel in quenquam ex Senatu aliquid proferret compareret: Rex in maximâ Senatorij Equeſtriſque ordinis hominum frequentiâ, multis etiam Rocoſſianorum, qui frequentes ſub ſpecie legationis Varſauiam venerant, præſentibus, quàm indignè ab aduerſarijs inſignem patiatur calumniam oſtenſurus, omnium in ſe animos oculoſque conuertit. Paucis igitur verbis præfatus, ſibi ab eo tempore quo Diuinâ voluntate, & conſentientibus ordinum ſtudijs, ſceptra huius Regni ad ſe delata ſunt, nihil vnquàm potius fuiſſe, quàm vt iura libertateſque, maiorum ſuorum benignitate conceſſas, conſeruaret; & quamuis vt in eâ omnium expectationi ampliſſimi Senatus (cuius munus eſt prouidere, ne quid ſecus fiat) teſtimonio reſponderet, adniteretur, non potuiſſe tamē, Deo ita permittente, effugere improborum hominum maledicas & ſuâ Maieſtate indignas voces, quibus falsò inſimularetur earum rerum, quas nunquàm in animo habuerit: publico edicto ex Senatus & omnium ordinum ſententiâ datam eſſe poteſtatem, cunctis in hoc ampliſſimo Regni conſeſſu, vel ſe, vel Senatum palàm & liberè arguendi: id vt fieret, libenter ſe, quò magis ſua innocentia eluceret, aſſenſiſſe; ſi quid prætereà ordines poſtularent, ſe eorum arbitrio ſtare velle, omnium intereſſe vanas iſtas ſuſpiciones ex animis hominum euelli, & motus Reipublicæ componi. Confidere ſe, Deum ſuæ innocentiæ teſtem, breui vniuerſo orbi palàm facturum, falſas eſſe aduerſariorum ſuorum calumnias; ſe ſibi optimè conſcium eſſe, nihil à ſe factum, quod iuramento ſuo aduerſaretur, eius rei Senatum & Ordines eſſe, & apud poſteritatem fore teſtes; non dubitare daturos operam ordines, vt ea tam inſignis læſæ Maieſtatis iniuria aboleatur, & maledicæ calumniatorum linguæ, quò in poſterùm innocentia inter improbos tuta ſit, coërceantur. Secundùm eam Regis orationem, vniuerſus Senatus aſſurrexit; laudatâque Regis animi moderatione, nunquàm ſibi optimi Principis innocentiam dubiam vel ſuſpectam fuiſſe reſpondit: nec tamen mirari debere Regiam Maieſtatem, ſi pauci reperti ſint, qui optimas & Reipublicæ ſalutares illius

Rex ipſe ordines alloquitur, & quàm falsò traducatur oſtendit.

Reſponſum à Senatu Regis orationi.

illius actiones, sinistrâ interpretatione detorqueant: naturâ comparatum esse, vt ij, qui cæteris eminent, potissimùm inuidiæ telis petantur; nec temerè dictum existimandum est, Regium esse, cùm benè feceris, malè audire; neminem vnquàm fuisse adeò exactæ consummatæque virtutis, qui calumniatorum maledicta effugerit; eam communem Regibus sortem, obeundam quoque Regiæ Maiestati fuisse, vt eo ipso confutatâ inimicæ vocis calumniâ, clarior illustriorque Regia innocentia appareret. Senatum quoque varijs criminationibus exagitatum, ac fraudis insimulatum, quamuis nullius criminis conscium, id tamen concordiæ Reipublicæ condonare, nec turbulento Patriæ statu, priuatam iniuriam vltum iri velle: vnumquemque quamuis in præsentiâ graui vrgeatur inuidiâ, optimæ erga Patriam voluntatis conscientiâ tutum fore: iudicaturam posteritatem, odij inuidiæque sepositis causis, quo quisque animo in Rempublicam fuerit. Hæc Senatus nomine: Nuntij quoque terrarum Regis Senatusque innocentiam comprobauere: eorum qui hanc in dubium vocarunt, Regemque optimum & Senatum falsis calumnijs onerarunt, temeritatem detestati. Præclara fuit illius diei rerum facies, cùm vel omnium hostium confessione, ij qui inanibus promissis credulum populum ad seditionem concitarant, vanitatis conuicti viderentur.

Idem Nuntij terrarum fecêre.

Quos vt à furore reuocarent, primi è Senatu Cardinalis Macieiouius Archiepiscopus Gnesnensis, Petrus Tylicki Episcopus Cracouiensis, Nicolaus Christophorus Radiuilus Palatinus Vilnensis, alijque nonnulli ad eos priuato nomine, permittente Rege, profecti sunt. Suadebant illi Palatino Cracouiensi atque Radiuilo, vt positis armis, æquis conditionibus cum Rege transigerent, operamque suam & vniuersi Senatus in eam rem pollicebantur: sed cùm Palatinus difficiles admodùm ferret conditiones, neque aliter, nisi Rex omnes Rocossianorum consiliorum progressus probauisset, & quos illi vellent è Senatoribus loco mouisset, atque ipse veluti Regno legitimè priuatus, deinceps quasi precario iure se regnaturum profiteretur, ponere arma ac concordiam inire velle ostenderet, multaque alia absurda postularet, rebus infectis discessum est, mirantibus cunctis, quòd tantæ auctoritatis viri, nihil persuasionibus suis efficere potuerint.

Principes Senatus ad Rocosianos profecti eos ad pacem hortantes.

Sed nihil effecerunt.

Cæterùm Palatinus Cracouiensis, quemadmodùm se facturum proximè pollicitus erat, ne diutiùs solitâ expectatione omnium spem suspensam teneret, decimoquinto Calendas Iulij aduocatâ concione suorum militum, quæ eò frequentior erat, quòd nonnulli etiam ex Regijs castris, cupiditate cognoscendi ea, quæ prolaturus erat Palatinus, eò profecti erant, postquàm à Radiuilo cuncti fide & honore obstricti essent, vt quisque quod sciret proferret, Palatinus longâ & prolixâ oratione orsus, à Regiâ Reueliam profectione, eo semper animo Regem fuisse, vt deserto hoc Regno, atque etiam Austriacis, cum quibus eam ob causam binâ affinitate iungi voluit, prodito, in Sueciam abiret. Id probare nitebatur,

Palatinus Cracouiensis ea quæ contra Regẽ sciebat, edisserit in conuentu Rocosiano.

tur, non alijs, nisi à suspicionibus & coniecturis petitis toties iam anteà prolatis argumentis, potissima opinionis probatio, quòd Rex septem abhinc annis, sororem prioris vxoris ducere in matrimonium constituerit, neque eiusmodi connubium, à pietate suâ alienum, & omnibus exosum dissuaderi sibi passus fuerit: id non aliam ob causam factum esse, quàm quòd Rex familiæ Austriacæ impensè addictus, Regnum ad vnũ ex eis eà conditione deferre vellet, vt vicissim eorum operâ à Carolo interceptam Sueciam recuperet, paternoque contentus Regno, adiectâ prætereà Liuoniâ, quietum & ab istis, quibus Polonia obnoxia est, molestijs liberum Imperium istic obtineret. Ac ne si aperte id moliretur, ij quibus Reipublicæ salus est curæ, impedimento forent, voluisse ante biennium in Comitijs ad filium iuuenem, populari fauore subnixum, inconsultis ordinibus, factiosorum hominum assensu Regni insignia deferre, quò is faciliùs nihil nobis suspicantibus, Austriacis Regnum prodere posset. Leuis ea, vel potiùs nulla visa est, rem candido & sincero sensu æstimantibus coniectura. Incredibile imprimis Carolum eò adduci posse, vt parto per scelus regno, sponte cederet, vel se Austriacis ac Regi sibi suo merito infesto concederet. Iam filio eâ conditione diadema imponi, vt illud Regij capitis insigne, ad alium deferat, ipse tanti decoris expers mansurus, quis sibi persuaderi pateretur? Acclamatum tamen à Rocossianâ concione, suæ expectationi, quamuis nihil noui adferretur satisfactum esse; itaque accensis animis tum discessum, vt omnem pacis & concordiæ spem præcisam esse appareret. Iam in exitu erant Comitia, cæteris omnibus ex animi sententiâ confectis, legibus, quæ consensu ordinum proferri poterant scriptis; illud vnum restabat statuendum quâ ratione seditiosi homines ad officium reuocari possent; cum quibus, cùm iam ex consilio Ordinum finitis comitijs agi non posset, placuit auctoritate publicâ, certis ex Senatu & Nuntiorum ordine personis, eam dari potestatem, vt quidquid ab eis in eo negotio ageretur, perinde ratum esset, atque auctoritate omnium ordinum constitutum fuisset. Id tum per literas, & quàm feliciter Comitia cesserint, Rex vniuersis Regni Ordinibus significandum putauit, quò cuncti scirent, quid in Comitijs actum esset, & cùm ea rectè & legitimè concordi omnium consensu transacta sint, ne ampliùs seditiosorum hominum persuasionibus locum darent: pari modo ad eos quoque, qui in exercitu Rocossiano erant, Regio nomine scriptum est, mandatumque vt continuò positis armis pacatè abirent, nec seditiosos cœtus agerent, pacem Reipublicæ ne turbarent, id si facerent Regiam gratiam eos habituros, sin contumaci peruicaciâ bellum molirentur, impunè non laturos. Ijsdem planè diebus arsit Varsauia, vndecimo Calendas Iulij nocte mediâ igne excitato.

Leues Palatini coniecturæ.

ea tamen à multitudine Rocossiana approbatæ.

Finis Comitiorum.

quid fuerit constitutum de seditiosis ad officium reuocandis.

Rex per literas omnes ordines edocet, quid in Comitijs gestum sit.

Varsauia arsit 1607.

Erat adhuc aliqua spes ineundæ concordiæ, cùm præcipui è Senatu summo studio operam ei rei nauarent. Rexque quâ semper vsus est be-

 nignitate,

nignitate, tum quoque ad condonandas nomini & Maiestati suæ illatas iniurias Reipublicæ causâ facilem promptumque se præberet, cùm ecce præter omnium expectationem, Rocossiani Nono Calendas Iulij, nemine tale quidquam suspicante, inauditâ audaciâ Regi regnum abrogant, obedientiæ eius renunciant, iustitium indicunt; qui Regi deinceps adhæserint, hostes Patriæ pronunciant. Huius temeritatis auctores Nicolaus Zebrzydowski Palatinus Cracouiensis, Regiâ beneficêtiâ ad eum dignitatis gradum euectus. Sigismundus Grudzinski Palatinus Rauensis, Petrus Strabowski Castellanus Pernauiensis Radiuili stipendiarius, non ita pridem in Senatum adscitus, homo vanissimus, & ordinis sui dehonestamentum; Ianussius Radiuilus generis splendore, & opibus, nec non militaribus studijs clarus, sed qui præcipiti quodam impetu ferretur, neque quenquam sibi in Lithuaniâ honore & opibus æquari dignum censeret, ac præcipuè Caroli Chodkieuicij prosperis successibus, ac bellicâ gloriâ angeretur. Ioannes Felix Herburtus nimiùm sibi sapiens, & ob eas, quas suprà attigimus, causas nouarum rerum cupidus. Erant præterea alij, inter quos Stanislaus Cikowski Succamerarius Cracouiensis, qui cùm Regiâ gratiâ floreret, præfecturis duabus ab illo auctus erat, Petrus Lascz Capitaneus Litinensis, Gasparus Dembinski Succamerarius Mielnicensis, Balthasar Porembski, Tribunus Cracouiensis: Andreas Mæczynski de Korosuanki, Hieronymus Rozrazewski, Stanislaus Morski, Sigismundus Niscicki, Samuel Iasicki, Matthias Smugolecki Capitaneus Bidgostiensis, gener Palatini Cracouiensis; Martinus Broniorski, Procopius Pækoslawski, Stephanus Kazimirski; reliqui ferè omnes Palatini vel Radiuili stipendiarij, ac nonnulli etiam è Cracouiensi territorio, plerique incertæ originis, & quorum maiores mercaturâ faciendâ quæsitis opibus, in Equestrem ordinem se inseruerant. Copiæ militares Rocossianæ factionis, nequaquam Regijs pares; nam licet equitatu non multùm inferiores essent, pedites tamen, quorum in exercitu Regio quinque millia erant, paucos habebant, paulò tamen supra mille numerabantur. Sed nihil magis Palatini eiusque sectæ hominum temeritatem aluerat, quàm dudum concepta, multisque clandestinis consilijs & artibus propagata spes, militem Regium, contra ciues Regni causam publicam, vt videri volebant, curantes, non pugnaturum: id animos fecerat, vt nec oblatas pacis & concordiæ cõditiones expectare vellent, & in abrogando Regi Regno eò temeritatis progrederentur. Postquàm ad Regia castra prolatum est Rocossiani cœtus decretum, admiratio primùm omnes, dein iustus dolor inuasit. Erant tum cum Rege quadraginta & ampliùs Senatores, inter quos Archiepiscopus Gnesnensis Princeps Senatus, Episcopi sex, Palatini quindecem, reliqui Castellani & Regni Officiales: iam è tota Regni, Magnique Ducatus Lithuaniæ Nobilitate flos ipse, & militare robur, belli Duces, ac militum Præfecti multis erga Rempublicã men-

Rocossiani, temere Regnũ Regi abrogant; iamq; spes concordiæ præcisa.

Eius temeritatis auctores.

Quanta copia Rocossianorum: quanta Regiæ?

Spes Palatini Cracouiensis militem Regium contra Rocossianos non pugnaturum.

Quadraginta tunc Senatores cum Rege erant & flos Polonæ & Lithuanæ Nobilitatis.

meritis,& bellicæ virtutis gloriâ illuſtres,qui optimi atque innocentiſſimi Regis iniuriâ,& quod tam multi à paucis cõtempti,veluti ſceleris & perfidiæ damnarentur,iuſto dolore accendebantur. Rex inprimis luculento ſcripto calumnijs, quas in eum cauſas abrogãdi Regni prætexentes congeſſerant,reſpondit:quo cùm oſtendiſſet,falſas eſſe aduerſariorum criminationes,& eos rerum nouarum, mutandiq; præſentis ſtatus ſtudio,quẽadmodùm initio horum motuum cõſtituerant, eò audaciæ prolapſos, vt pauci omnibus leges imponant;poſtremò ſpectatam gentis Polonæ erga Principes ſuos fidem,contra paucorum perfidiam,cuius mox,niſi reſipiſcerent,pœnas daturi eſſent,implorabat. Demum communicato cum ijs, quibus auctoritate Comitiorum poteſtas data erat,cũ Rocoſſianis tranſigendi,vel ſi obſtinatiores forent,grauiùs in eos animaduertẽndi,conſilio, ex eorum & vniuerſi Senatus arbitrio,vniuerſos,qui prætextu Rocoſſiani conuentus arma ſumpſerunt,& proximè Varſauiam exercitum admouerunt,ſæpiuſq; moniti à propoſito deſiſtere,temerario auſu noluerunt,priuatâ auctoritate ſibi delatũ omnium conſenſu regnũ abrogarunt, ac bellum denuntiarunt, concitatores tanti tumultus , & ciuilis belli auctores, quique eorum ſectam ſecuti ſunt,rebelles & hoſtes Patrię pronũciat,pœnis in iure contra perduelles ſancitis puniendos, veniæ loco ijs, qui ad ſaniorem mentem redire voluerint, relicto. Senatores quoque vniuerſi & Equeſtris ordinis,qui tum præſentes erant,ſe Regi præſtò futuros,ac vitâ fortuniſque Imperium illius propugnaturos,mutuo fœdere obſtrinxerũt. Iam & Cardinalis Macieiouius Archiepiſcopus Gneſnenſis, cuius, ſi regnum vacare contigerit, munus eſt interregnũ pronunciare, nouiq; Regis eligendi conuentũ edicere, aliaque Principis Senatus officia obire,tũc damnatâ hoſtium,in quibus ſanandis & à nefario propoſito abducendis, ipſe quoque omnẽ operam perdiderat, temeritate, ſe eorũ impium factũ deteſtari, Regiſque optimi imperiũ,nequaquàm ſeditioſi cœtus paucorũ hominum decreto,abrogari potuiſſe, profeſſus eſt. Conſultatum inde ab Regijs Ducibus,ut cùm pacis ſpe excluſâ,vtriuſque partis denunciatione bellum non dubium eſſet,protrahi illud,an fortunam experiri magis cõduceret:expenſis præſentis ſtatus rationibus,facilè in eam ſentẽtiam conceſſum eſt,vt cùm hoſtes non adeò magnum exercitum haberent,breuique ſi ceſſaretur , eorum copiæ ſeditioſorum hominum è toto regno acceſſione augeri poſſent,ac proinde moram hoſtibus,ſibi feſtinationẽ vtilem eſſe appareret,quãprimùm motis caſtris contra eos iretur. Igitur iuſſi milites vaſa colligere , poſtquàm pronunciatam eſſe profectionem intellexiſſent, paucis ſeditionis auctoribus,dudũ iã arte Palatini Cracouienſis corruptis,magna pars exercitus iuſſa abnuit,bellum cum ciuibus geri ſibi non placere oſtendens. Ignaris Ducibus quàm latè pateret ea ſeditio, hoſte propinquo , & eorum quæ in Caſtris Regijs gererentur non ignaro, nihil nouari viſum ; ſed manè aduocatâ concione benignè appellatis militibus Zolkieuius,penes quẽ in exercitu ſumma imperij erat,quænam

Rex maleuolorum calumnias luculento ſcripto refellit.

Rocoſsiani prope Varſauiam exercitum admouere auſi.

quos Rex rebelles & patriæ hoſtes pronunciat.

Senatores mutuo fœdere ſe obſtringũt, Regi præſtò futuros.

Duces Regij cenſent pugnam ſine morâ committendam.

indicitur contra hoſtem iter.

milites ſeditioſi in Regio exercitu corrupti à Rocoſsianis.

causa sit, cur contra declaratum non minùs Regis quàm Reipublicæ hostem ire nollent, exquirit; tum ijdem illi passim per manipulos dispersi acclamant, sibi quòd à bello contra ciues, fratres, agnatosque & consanguineos suos suscipiendo abhorrerent, nullam aliam esse causam, quàm quòd causam belli ignorarent: obstrepebant alij, non sui iuris esse bellorum rationes expendere asserentes. Cæterùm Zolkieuius non ignarus in bellis ciuilibus plus militi, quàm Ducibus licere, veritus, ne paucorum pœnâ, multò plurium animi irritarentur, existimasse se dixit, satis iam cognitam esse omnibus hostium temeritatem; si quis tamen censeret, eos cùm hactenùs magnorum virorum persuasiones, ac propositas pacis rationes reiecissent, militari cohortatione flecti posse, non abnuere, quin ad eos exercitus nomine legatio decernatur. Itaque assentiente exercitu, è militibus arbitrio Zolkieuij lecti, qui id munus obirent: summa eius legationis ea erat. Vix credere milites qui in exercitu Regio sunt, quenquam id facere ausum, vt Regi, pro quo toties bellassent, ac felices ipsius auspicijs victorias obtinuissent, regnum alijs inconsultis atque etiam inuitis abrogaret: id si ab illis factum esset, velle scire causam, quâ adducti, tantũ sibi iuris vsurpassent: eiusdem quippe esse audaciæ, Regis omnium suffragijs electi obedientiæ renuntiare, ac de altero cum insigni communis libertatis iniuriâ subrogando, priuata consilia inire. Sibi quoque curæ fuisse, in proximis Regni Comitijs cognoscere, an iustâ de causâ motus isti in Republicâ concitati fuissent; sed nihil tale comperisse, quod tantam vniuersæ Reipublicæ perturbationem mereretur: vereri ne tantum dissidium perniciem Patriæ adferat: quamobrem fraternè hortari, ne illi quoque pacis conditiones aspernarentur: se Regiam dignitatem, Senatus & Ordinum omnium proximis Comitijs auctoritate sustentatam armis defensuros. Non ex sensu turbulentorum informata ea legatio, quam obire iussi consultò ad id lecti integrę erga Regem fidei milites. Quod vbi à Rocossianis animaduersum est, veriti ne constans exercitus ad defendendum Regem conspiratio & concordia, per Nuntios denunciata, suorum militum animos infringeret, legatos castra ingredi non permiserũt. Itaque progressus ad eos Petrus Lascz, cùm quid vellent intellexisset, negauit ijs, qui nomine exercitus Regis, iam eo honore abiudicati, legatione fungi vellent, potestatem dicendi dari posse. Ita non admissi, irrito conatu rediêre: nec eâ re compressa, sed quodam modo dissimulata seditio, hærebat in animis multorum, qui consilijs Palatini Cracouiensis imbuti clàm illi fauebant.

Zolkieuius vt militum seditionem sanaret legationẽ militarem ad Rocossianos decernit.

Nuntij militares à Rocossianis non admissi.

Pridie Calendas Iulij, Rocossianos proximâ nocte desertis castris iter cum exercitu versus Cracouiam instituisse exploratores retulerunt: incensi eâ re militum animi, mox dato profectionis signo, arma expediunt, equos conscendunt, veluti fugientem secuturi hostem, noctę & die continuato itinere octo milliaribus antegressũ, missi leuis armaturæ equites, qui abeuntium terga carperent. Rex ipse in Castris sacris operatus, præmissâ

missâ maioris exercitus parte, ipse quoque minimè lento agmine subsequebatur. Castris progresso, & in campis Varsauiensibus signa disponenti, Cardinalis Macieiouius non dignitatis tantùm, verùm etiam ætatis prærogatiuâ venerabilis, obuiàm fit Regi, atque vt erat equo insidens, detestatus inprimis impium & parricidale hostium consilium, Regi necessarium bellum suscipienti bonam fortunam precatus est: illud postremò adiungens, meminisse vellet sibi rem cum ciuibus esse, qui etsi in præsentiâ à fide recesserint, non desperandum tamen eosdem quandoque patriæ & Regi ipsi vtiles futuros, modò Regia Maiestas victoriâ, quam illi communem tuenti causam diuinitus obuenturam certò sibi persuaderet, clementer vti vellet. Rex laudatâ Cardinalis pietate, faustæque comprecationis studio benignè excepto, ita se hoc bellum gesturum respondit, vt non quid hostes sui commeruerint, sed quid se dignum sit, ac pacatæ Reipublicæ rationes exposcant, facturum polliceretur: vtrique dicenti obortæ lachrymæ cunctos qui viderant eodem affectu commouerunt. Quinque eo die emensis milliaribus, fesso demum milite, castra serò admodùm locata sunt. Non longè aberant Rocossiani, quorum postremos agminis coactores Regij equites assecuti, direptis Palatini Rauensis curribus & sarcinis aliquot, interceperunt. Postero die horâ ferè tertiâ in conspectum hostis ad oppidum Varcam ventum est, vbi cum Piliza fluuius medius interflueret, ripamque aduersam hostes tenerent, reliquo exercitu sub signis retento, Iacobus Potocki cum peditatu progressus, tormentis & ipso militis impetu hostes inde breui submouit, vt ante meridiem satis maturè vniuersus exercitus superato fluuio, multis in locis vadabili, in alterâ eius parte sub signis constiterit. Stabant ex aduerso instructo ad pugnam exercitu Rocossiani, adeò diductis & extenuatis ordinibus, vt totum quà maximè in latitudinem patet, subiectum campum occuparent: media planicies frequentibus (quos exundãtis hibernis aquis fluuij incerti meatus effecerant) alueis, iisque paludinosis, & tum quoque, quamuis siccâ æstate, equitatui imperuijs, plena difficilem transitum præbebat. Regius equitatus angustiâ loci denso & quadrato agmine, ad ipsam fluminis ripam constiterat; pedites, quorum in eiusmodi impeditis locis expeditior, quàm equitum opera esse poterat, locis opportunis dispositi. Rex ipse armatus, cum armatis Senatoribus medio in agmine versabatur. Subolfecerat iam anteà Palatinus Cracouiensis, qui in Regio exercitu nonnullorum militum animus esset: nam eo ipso die Victorinus Lesnicki, & aliquot alij, cùm signum pugnæ à Regijs Ducibus proponeretur, clàm deuio itinere ad hostium exercitum excurrerant, tesseram belli prodiderant, & magnam partem exercitus eâ mente esse, ne iubentibus Ducibus arma inferre parerent, renuntiauerant. Eâ re lætus erat, & magnæ spei plenus Palatinus Cracouiensis, cui præcipua erat actio, ne inuitus pugnare cogeretur; sciebat ille & Regias copias, subductis mille Chodkieuicianis ex Liuonico veterano exercitu

Cardinalis Macieiouius Archiepiscopus Gnesnensis Regi in hostē eunti occurrit, oratq; vt futura victoria clementer vtatur.

Responsum Regis Cardinali datum.

Rex Rocossianos ad oppidum Varca assequitur.

Palatini cum Regiis militibus compactum.

equitibus, hoc ipſo die diminutas fore, & ſuum exercitum breui concurſu populari auctum iri confidebat; iam verò ſeditionem militarem tempore & occaſione vires ſumpturam,& ſi bellum traheretur,id ſibi vtile, hoſti incommodum, proſpiciebat. Igitur fiduciâ denunciatæ proditionis, ſubmiſſi à Rocoſſianis,qui vagantes in interpoſitâ planicie milites (& erant plerique eius conſilij conſcij) alloquerentur; primò amicæ tanquàm inter notos, cognatoſque ſalutationes,mox cœtus & colloquia haberi cœpta: miles ab ſignis, fruſtrà vetantibus Præfectis,paſſim diſcedere, turbare ordinem, imperium abnuere. Quod ne fieret, Zolkieuius & Chodkieuicius reuocatis ijs, qui extra ordinem proceſſerant, ſignum pugnæ proponere iubet: ibi verò manifeſta perfidia, milites ipſi Præfectos, ne pugnam ineant, monent, ſe ſigna ſequi nolle,de pace & concordiâ cum ciuibus libertatis cauſam tuentibus agi velle profitentur. Inſolita ea erat affectatio, & nihil minùs quàm eo tempore expectata;ſed cùm reliquus quoque exercitus ſpecioſo pacis, & concordiæ titulo illectus,ad eandem ſententiam propenderet, quod ſine periculo negari non poterat, ſponte conceſſum eſt. Itaque ne res arbitrio tantùm ſeditioſorum ageretur, permittente Rege ſubmiſſi à Ducibus, qui affectatam per milites pacis tractationem offerrent, oblatis vltro citroque conditionibus, ijſque acceptatis, ita poſtremò conuenit; triginta ex Regio, totidem ex Rocoſſiano exercitu Equeſtris Ordinis milites legerentur, ij iure an iniuriâ Regi abrogatum eſſet regnum, inquirerent, malorum conſiliorum auctores criminis conuictos punirent, totumque turbatæ Reipublicæ ſtatum ſuo arbitrio moderarentur, intereà vtrimque ab armis ceſſaretur. Rex ad Varcam, Rocoſſiani duobus iſtinc milliaribus exercitus caſtris continerent. Iniquiſſima ea videri poterat rerum conditio; cui tamen Rex concordiæ cupidus, & à fundendo ciuili ſanguine alienus, optimæ conſcientiæ fiduciâ facilè aſſenſum præbuit. At Palatinus longè diuerſa conſilia animo agitans, eluſo eâ arte Regio exercitu, & quod maximè cupiebat ineundæ alieno tempore pugnæ periculo perfunctus, non modò in tam vicino, quemadmodùm conſtitutum erat loco, non conſtitit, ſed continuato itinere, ſeptem milliaribus Radomiam vſque progreſſus eſt. Id cùm per exploratores compertum eſſet, ſatiſque appareret, hoc ipſo facto, à pacis & concordiæ conſilijs hoſtes alienum animum gerere: atque etiam Zolkieuius, proditione Ioannis Dalmatæ peditum Rocoſſianorum Præfecti, cognouiſſet, eos conſtituiſſe maximis itineribus Cracouiam,quam non adeò magno præſidio teneri ſciebant petere, vt primariâ & omnium opulentiſſimâ vrbe Regni interceptâ, ſedem belli iſtic figerent; poſtridie aduocatâ concione, inprimis non ſtetiſſe promiſſis Rocoſſianos ſignificat, quid ij moliantur oſtendit, literas Dalmatæ ad ſe ſcriptas recitat, deinde graui oratione, eos qui heſternâ die inconſultis Ducibus colloquendi cum hoſtibus initium fecerant, quique ſeditionis auctores fuerant, perſtringit; ac fraudis & perfidiæ in Regem commiſ-

militum perfidia arte Palatini.

concordiæ tractatio oblata

reſpuitur à Rocoſſianis.

commissæ accusat. Adstabat armata concio, parata ad petendam vltionem de ijs qui tam nefando facinore famam & existimationem vniuersi exercitus commaculassent, poscebatque edi eorum nomina. Iam hoc ipsum veriti sex eius factionis capita noctu profugerant, Lesnicki & quispiam Nobilis Lithuanus, cæteris audaciores aderant: qui cùm appellati prodirent, obiectumque crimen proditionis negare non possent, parum aberat, quin pręcoci militum irâ, strictis in eos gladijs discerperentur, ni Zolkieuius extremam vim arcuisset: mox Castrensi iudicio de eis atque cęteris qui profugerant instituto, in Lesnicium capitalis lata sententia; in Lithuanum, quem iuuentæ errore, & aliorũ prauis consilijs circumuentum esse apparebat, vt in pugnâ, quando eius copia daretur, ante aciem progressus, primus cum hoste manus consereret decretum, profugæ infames pronunciati. Ita paucorum pœnâ, egesto quod maximè in exercitu turbidum erat, redijt militibus vigor, & supremi magistratus reuerentia, ac pugnæ cum hostibus, quos malâ fide secum egisse, ac simulato concordiæ studio sibi illusisse compererant, ineundæ cupido. Igitur vetustissimus quisque castigare tyronum, qui potissimùm eius culpæ auctores erant audaciam, & militaris disciplinæ inscitiam obijcere: totis castris modesti sermones habiti, milites prompti alacresque Ducibus denunciare, ducerent quò vellent, nusquàm pugnæ, modò in conspectu hostis detur, moram facturos, atque egregio facinore labem contractæ hesterno die ignominiæ, abolituros. Consultatum dein, an eo quo hostes ierant itinere, exercitus ducendus foret, sed cùm à Rocossianis ad Iedlinensem pagum, transitum per se satis stagnãtibus aquis atque arbustis impeditum, occupatum præsidio teneri relatum esset, ne difficili & hostibus opportuno loco discrimen pugnæ subire cogerentur, flexo ad dextram itinere, Przytykum ire placuit. Quò, cùm eodem quo Varcâ discessum est die, quinto Nonas Iulij peruentum esset, castris positis, Regijs Ducibus ignaris, quo in loco Rocossiani morarentur, cùm eos plusquàm duorum dierum itinere antegressos, longè abesse existimassent, redditæ ab eis Zolkieuio literæ, quibus Lascz omnium nomine obiter, cur nuper longiùs quàm constitutum erat progressi essent, significabat. Ex eo qui literas attulerat, cognitum est, Rocossianos paulò amplius duobus ab eo loco in quo Regia castra erant milliaribus, planè in eo loco, quo Regi Cracouiam iter facienti transeundum erat, consedisse; id eo consilio ab eis factum esse apparebat, vt vel nolentem Regem ad pugnam elicerent, rati diminutis magnâ ex parte Regijs copiis (nam & Chodkieuiciani ex veterano Liuonensi exercitu, lecta planè robora mille equites, & nonnullæ aliæ cohortes abierant) & nonnullorum militum, quos suis cœptis fauere persuasum habebat perfidia, securi se vel pares, vel viribus superiores fore. Scripserat Zolkieuius ad Palatinum Cracouiensem, si fortè propositam ineundæ concordiæ occasionem non aspernaretur, posse nunc illum eâ vti: verùm ille contemptis tam salutaribus

castigati rei perfidiæ milites.

castigatis perfidis militibus, cæteri obedientiores fuere.

Rocossiani vt Regi pugnandi necessitatẽ imponerẽt in eo loco constiterunt, quo Regi iter Cracouiam faciendum erat.

Palatinus Cracouiensis à Zolkieuio per literas admonitus de concordiâ ineundâ, nuncium eius in vincula coniecit.

amici quondam sui consilijs, eum qui literas attulerat, in vincula coniecit; quæ res inimici prorsus & hostilis animi argumento erat. Desperatâ itaque omni aliâ ratione, cùm Rex dignitate suâ saluâ aliò iter flectere non posset, explorato priùs eo quem hostes insederant loco, tertio Nonas Iulij, cùm antè sacrosanctæ Missæ sacrificio deuotè, quemadmodùm quotidie mos is illi erat, adfuisset, mox signo profectionis dato, contra hostes contendit: ad quos cùm primum agmen proximè accessisset, vniuersus exercitus substitit. Tum struendæ aciei cura in Duces dispartita, dextrum cornu Chodkieuicius, sinistrum Zolkieuius tuendum suscepit: in fronte veteranæ cohortes (quarum cura Ioanni Potocio Præfecto Camenecensi, viro multis bellis experto, ac victorijs suo ductu partis illustri, commissa) locatæ, & iustis subsidijs firmatæ. Rex ipse in postremâ acie cum vexillo aulicæ militiæ, sub quo quingenti hastati equites censebantur, vnà cum Senatoribus qui præsentes erant, & ijs qui extra militiæ sortē Regē comitabantur cōstiterat: ante illū Posnaniensis, Siradiensis & Lanciciensis Palatinorum, ac prætereà Marscalci Regni, & Stanislai Lubomirski Capitanei Sandecensis, equitum itidem hastatorum turmæ, quæque earum sub signis suis dispositæ (octingentorum numerum manus hæ expleuerant) stabant. Regiæ salutis & totius istius agminis cura, ad Alexandrum Komerpolski Palatinum Siradiensem delata: pedites sub præsidio equitum ad vtrumque cornu dispositi, ijsque tormenta maiora commissa. Cæterùm cùm dextra exercitus pars loca paludinosa & imperuia pro munimento haberet, neque vllis hostium insidijs opportuna videretur, sinistra verò in patentibus campis, magnâ ex parte siluis ad struendas insidias percōmodis septis, maiori præsidio egeret, huic duplo maior pars equitum peditumq; attributa, Chodkieuicio octo equitum turmæ, mille ducenti pedites sufficere visi: hoc ordine in paulò eminentiori colle totus exercitus Regius locatus erat. Ab alterâ parte Rocossiani Radiuilum Chodkieuicio, Herburtum Zolkieuio opposuerant; mediam aciem veterano milite firmatam Palatinus curandam susceperat, in subsidijs Nobilitas spontè militiam professa constiterat. Inter vtrumque exercitum planicies agro recentibus sulcis rugato, atque ad excitandum puluerem facili sita erat: in eâ dum struuntur acies, procursantibus vtrimque pugnæ auidis, leues & ferè innoxiæ velitationes exercebantur. Iam ferme diei medium erat, cùm Palatinus Cracouiensis cohortatus suos, vt itinere fessum Regium exercitum intrepidè aggrederentur: ac quò fiduciam dubijs adderet, complures esse hostium milites, qui à pugnâ ineundâ sunt alieni asseruit, peditatumque, quo Regij potissimùm nituntur, nulli in patentibus campis vsui fore ostendit; irent modò, & pro libertate forti animo pugnam capesserent, lætam & illustrem victoriam reportaturi. Itaque impetu ab eis facto, nec Regij morati, quin ruentes exciperent, acerrima in fronte pugna vtrisque pro victoriâ adnitentibus: dextrum Regis cornu initio turbatum erat, nam ineunte

Rex in hostē contendit.

ordo structi Regij exercitus.

quo ordine structa Rocosianorum acies.

Palatinus Cracouiensis suos milites ad pugnam hortatur.

Pugna commissa.

ineunte magno animo pugnam Chodkieuicio, & iam hoſtibus immiſto, illæ quæ in ſubſidijs erant, incertum metu an perfidiâ, quatuor turmæ equitum terga verterunt. Id conſpicati Radiuiliani, primo Chodkieuicij impetu turbati, cùm frontem ſui exercitus vrgeri à Regijs viderent, nec retrò fuga ob loca paludinoſa ſatis pateret, veluti apertâ portâ, denſo agmine per deſertum fugâ Regiarum cohortium locum, euadebant. Id earum viciſſim cohortium, quas ante Regem proximè locatas fuiſſe diximus, milites, magnâ parte tyrones vbi animaduertunt, rati victo & protrito Chodkieuicio victores hoſtes eò proceſſiſſe, ac veriti, ne in ſe impetum facerent, omnes ferè (ijs qui ſub Regio vexillo erant exceptis) Rege inſpectante ſigna retrouerterunt; mox pauore Rocoſſianorum conſternatorum perſpecto, reſumptis animis impetu in eos facto, multis cæſis, aliquot captis, pugnam eâ parte reſtaurarunt. Eximia inter cæteros virtus eâ die fuit, Matthiæ Pſtroconij Epiſcopi Premiſlienſis Cãcellarij Regni, qui in hac ipsâ conſternatione, dum ſuis animum addit, & effusè fugientes retentat, poſtremò familiari ſuo Alberto Starzynski ex ſorore nepoti, vexillum è ſigniferi manu vi extorquere, illudque in hoſtẽ ferre iubet; eo audaci facto & præſentis Cancellarij pudore, plurimi à fugâ reuocati, reſumptâ pugnâ rem præclarè geſſerunt. In eo tumultu cùm Rex paſſim cunctis temerè cedentibus deſereretur, vexillumque aulicum multis ab eo ſe ſubducentibus nutare videretur, periculumque eſſet, ne Rocoſſiani, qui in proximo obuerſabantur, in Regium agmen impetum facerent, fuêre plerique Regi auctores vt ad læuam, vbi tutus erat receptus, deflecteret: at Rex conſtanter ſe loco quem cepiſſet non ceſſurum reſpondit, manſitque intrepido animo ſuâ tutus innocentiâ, donec debellatum eſt. Non ea in ſiniſtro Regij exercitus cornu belli moles; nam Herburtus qui Zolkieuio oppoſitus erat, quòd pleroſque milites Hungaros aut leuis armaturæ haberet, ne tentato quidem prælio, vbi hoſtem propiùs ſubire vidit, in fugam ſe coniecit. Plurimum laboris in fronte erat, eò Palatinus & præcipui quique Rocoſſianorum incubuerant, immenſus puluis abſtulerat viſum, vt nec noſci, nec noſcere ſe mutuò poſſent: eadem vtraque acie arma, frequentibus interrogationibus, notum ſignum pugnæ: aliquanto tempore varium ancepſque prælium, neutrò inclinante fortunâ, donec Potocius ſubmiſſis nouis ſubſidijs, ſubmouit loco ſegniùs iam nitentes Rocoſſianos, & in fugam coniecit. Zolkieuius primus accurrit ad Regem, eique victos hoſtes clarâ voce nunciauit, victoriamque partam gratulatus eſt. Eo prælio triginta circiter è Regijs deſiderati, infra ſeptuaginta vulnerati, inter quos maximè inſignis Alexander Kalinowski Capitaneus Braclauienſis, cuius præclara virtus multis ab ineunte ætate bellis ſpectata, tum quoque omnium & Regiæ inprimis expectationi reſpondit. E Rocoſſianis mille ducenti qui in acie ceciderant, numerati ſunt: quòd tam pauco ſanguine bellum conſtiterit, nemoque ferè ex nobilioribus ceciderit, Rex æquè ſuorum atque hoſtium

multi è Regio exercitu terga vertunt.

Matthiæ Pſtroconij Epiſcopi Premiſlienſis Regni Cancellarij in animandis Regiis militibus inſigne factum.

Regis Sigiſmundi in eo prælio intrepidus animus.

Aliquamdiu anceps fortuna pugnæ fuit, tandem rebelles profligati.

Numerus interfectorum ex Regio exercitu 30. & rebelliũ 1200.

ſtium clade mœſtus, Diuinæ maieſtati acceptum ferebat. Percunctantibus poſteà Ducibus, an inſtare victis, fugienteſque longiùs Rex ſequi iuberet, Ne, inquit, dum noxios ſeditionis auctores perſequimur, multi eorum fraude in errorem inducti ſimul pereant, ſinamus interim omnes ſaluti ſuæ conſulere: eadem clementiâ in captos & ſaucios vſus, nam & ab illis nihil amplius, niſi vt ſe in fide manſuros, nec hoſtibus Regijs aggregaturos, iuramento pollicerentur, & hos impensâ curâ refoueri, æquè ac eos qui in ſuis caſtris militauerant mandauit: neque in quenquam extra aciem ſtringi gladium permiſit. Certarunt & Proceres, qui in Regijs caſtris erant beneficentiâ erga afflictos, nec defuêre qui in cooperiendis omni veſtitu ſpoliatis militibus, ſuas veſtes impenderent, ægrotos accitis medicis & chirurgis refouerent. Chodkieuicius inter alios plurimum in eam rem operæ & ſumptus impendit. Pſtroconius item maximè in humandis ijs qui in prælio cæſi ciciderant, in expiandis ſacrâ exhomologeſi alijs, qui de vitâ periclitabantur (quod munus inter alios mihi quoque demandauerat) in teſtandâ erga afflictos humanitate & benignitate, nemini primas partes conceſſit. Rocoſſianæ factionis anteſignani, poſtquàm ſuos fundi fugarique vidiſſent, ipſi quoque pernici fugâ ſaluti ſuæ conſuluerunt. Palatinus & Radiuilus ſimul aliquantiſper Ilzam verſus iter intenderunt, mox veriti ne agmine ipſo proderentur, dimiſſo omni comitatu, ſparſi per ſyluas, diuerſa petierunt loca.

Rex diſsipatos Rocoßianos perſequi prohibet.

Regis inuictos clementiâ.

Procerum qui cum Rege erant beneficentia varia genera in victos.

Rocoſsiani anteſignani diſsipatâ acie diuerſa petiêre loca.

Sed nos antequàm ad reliqua recenſenda progrediamur, interim perturbati Regij exercitus, & penè acceptæ ignominiæ cauſas paucis attingemus. Tres erant in exercitu factiones, Chodkieuicij vna, qui quòd Generalis pro magno Ducatu Lithuaniæ exercituum eſſet Præfectus, Zolkieuius verò nondum in exercitu Polono eum dignitatis gradum eſſet conſecutus, ſed vices tantum Supremi Capitanei obiret, primas partes ſibi deberi exiſtimabat. Zolkieuius è contra nihil Lithuano in Polonum militem iuris competere, eiuſque inſtruendi & in aciem producendi munus ad ſe pertinere contendebat. Tertia Potociorum factio, potens & iſta; tum quòd Rex illi maximè fideret, tum quòd ſuis ſuorumque clientum & amicorum equeſtribus turmis in vnum condunatis, & Iacobo Potocio Regis iuſſu vniuerſo peditatu, qui ſupra quatuor millia numerum explebat, attributo, potiorem ferè partem exercitus, ſuo commiſſam imperio haberet. Duo erant fratres, Ioannes Capitaneus Camenecenſis, vir ſui temporis clarus bellicis artibus, ſub Stephano adhuc Rege ordines duxerat, pòſt deinceps Ioannis Zamoſcij Cancellarij Regni partes ſecutus, in multis expeditionibus egregiam Reipublicæ operam ſæpiùs nauauerat, ſuo etiam ductu in Valachiâ aliquoties rem præclarè geſſerat, ita vt omnium teſtimonio, & præcipuè Zamoſcij dum viueret, dignus cenſeretur, cui exercitus vniuerſi cura rectè & tutò committi poſſet: alter Iacobus, quem vniuerſo peditatui à Rege præfectum fuiſſe dixi. His acceſſerat Nicolaus Struſde Komorow, Capitaneus Chmielnicenſis,

Cauſæ perturbati Regij exercitus tempore pugnæ.

Zolkieuij cũ Chodkieuicio & Potocios æmulatio.

& diuerſæ in exercitu Regio factiones.

cenſis, Potociorum è ſorore Nepos, eâ ortus familiâ, quæ bellicis facinoribus clara & illuſtris ſemper fuit, & ex quâ aliquot æternâ memoriâ digni viri, ad exemplum Deciorum Romanorum deuoto pro ſalute patriæ corpore, contra religionis Chriſtianæ hoſtes Scythas fortiter pugnantes in acie occubuerunt. Alexander item Kalinowski Capitaneus Braclauienſis, ſignis Potociorum ſuas cohortes adiunxerat, acer idem, & manu promptus, & quamuis Struſo affinitate coniunctus, eiuſdem tamen ſemper gloriæ æmulus. Denique Staniſlaus Gulski Palatinus Ruſſiæ, ſuos milites regimini Potociorum attribuerat. His illi freti copiis, & vel gloriæ, vel Regiæ gratiæ cæteris præripiendæ cupidi, eò animum intenderant, vt illis ſolis rei benè geſtæ laus attribueretur; itaque & primum in acie locum ceperunt, & ſi verum fateri licet, ſuâ virtute & copiis totam pugnæ molem ſuſtinuerunt. Nec Chodkieuicio par animus defuiſſet, ſi eas habuiſſet vires in dextro, quod tuendum ſuſceperat cornu, quæ hoſti pares eſſent, ſed præter duo vexilla veterani militis ſui octo tantùm cohortes tyronum illi attributæ fuerant, & mille circiter pedites, quorum in patentibus campis, equeſtri commiſſâ pugnâ nullus vſus eſſe poterat. Zolkieuius in ſiniſtro cornu firmis cinctus præſidiis conſtiterat, penes illum Quartani militis robur, & vel totius pugnæ ſuſtinendæ pares vires: venerat certè in eam ſuſpicionem, vt cùm ſumma rei ſibi non committeretur, id ageret, vt ſpectator tantùm aſſet alieni periculi, & turbatis demum rebus opem Regi periclitanti ferret. Hinc inter diſcordes Duces nulla ſtruendæ aciei cura, non iuſtis firmata ſubſidiis latera, diducta acies, & hoſti ad Regium agmen patefactum iter, vt Rex ipſe, quique circa illum erant, in maximo eſſent periculo.

nulla ſtruendæ aciei curâ.

DE

DE MOTV CIVILI
IN POLONIA
LIBER QVARTVS.

Rex victor consilium Senatorum exquirit.



EDATO vtcunque tumultu, cùm iam & puluis consedisset, qui aspectum arcebat, & certò constaret acie vicisse Regem, tum demum concursus ad eum fieri cœpit; multique eodem die, nonnulli sequenti, & tertio redierunt. Rex non longè ab eo in quo pugnatum erat loco, ad villam Vransco positis castris cum Senatoribus biduò fermè consultabat, quid hac obtentâ victoriâ disiectis magis, quàm cæsis hostibus facto opus esset. Augebant solicitudinem varia Regique ac Reipublicæ periculosa hostis consilia: repertæ in ipso, in quo acie certatum erat loco, discerptæ Gabrielis Batthorei Transiluaniæ Principis ad Herburtum literæ, quibus ille conditiones suscipiendi Regni Poloniæ, si Rex inprimis eo pelleretur, offerebat, vel potiùs oblatas certis adiectis acceptabat: nota manus, notum signum, dubitationem omnem eximebat, ne quis ambigeret rem non seriò actam, iam quòd Herburtus affinis, & ex intimis Palatini Cracouiensis amicis esset, communi consilio ea noui Regis, quamuis hæretici, designatio tractata fuisse credebatur. In vicino iisdem statiuis præsidio deposuerat Radiuilus res suas nonnullas, & ne deprehenderentur, in angusto domus superioris contignationis angulo, multo iniecto stramine tegi fecerat: & fortasse tam leui munimento tuta mansisset supellex, ni villicus eius rei conscius, minaciter interrogatus ab Hieronymo Lasco, qui fortè fortunâ eò diuerterat, an in ædibus illis delitesceret Radiuilus, trepidè & inconsideratè illum quidem effugisse, res hîc eius asseruari respondisset. Prolata & ad Regem delata non magni quidem pretij supellex, sed plus momenti fuit in literis quæ vnà continebantur: imprimis edictum abrogati Regi Regni subscriptum, signatumque ab omnibus qui eius auctores erant: literæ præterea quæ vltro citroque inter conscios eius seditionis commeabant, ex quibus liquidò apparebat, quid illi initio sibi proposuissent. Et ne quid Regem latere posset, Cholonouius Equestris turmæ centurio, qui ad indagandam hostis fugam ad aliquot milliaria processerat, Ilzæ, quod oppidum est Episcopi Cracouiensis, aliquot Palatini Cracouiensis & Matthiæ Smogoletij Capitanei Bidgostiensis, quem huius belli lituum meritò dixerim, currus deprehendit; quibus excussis, vtriusque secretiores repertas literas ad Regem detulit. Multa in iis, quæ Regis animum irritare possent, continebantur: lusus obscæni Smogoletij in Principis & Procerum quorumdam personas facti;

Gabrielis Batthorei literæ ad Herburtum de Regno ad se deferendo.

supellex Radiuili & scripturæ variæ repertæ.

facti; incestata procacibus scriptis Maiestas Regis, vt ita prorsus odisse Regem videretur, ne vllo vnquàm tempore illi reconciliari vellet; quem tamen non multis elapsis annis, parum abfuit, quin Regni Cancellarium videremus. Et accidit posteà, vt non absimiles illi, & qui pari cum eo odio in Regem ferebantur, præcipuos magistratus Regiâ promotione deinceps capesserent, principemque in Regis gratiâ locum tenerent, quod Regiæ clementiæ perpetuum apud posteritatem erit monumentũ. Tum quidem feruentibus eorum studijs, qui Regiam Maiestatem læsam grauiter ferebant, re ad concilium delatâ, acres & peracerbæ in Rocosianos dictæ sententiæ; erant nonnulli, qui omnem spem gratiæ illis præcidendam, bona eorũ fisco addicenda, in captos capitali pœnâ animaduertendum dicerent: sed vicit paulò mitior sententia, in quam Rege annuente itum, dataque eo nomine rescripta publica; quibus Rex vniuersis Regni Ordinibus facti sui rationem explicabat. Sibi nihil antiquius fuisse pace, & tranquillitate publicâ, oblatas parti aduersæ æquissimas pacandæ Reipublicæ rationes, sed spretas ab ijs, qui non nisi mutato Reipublicæ præsenti statu quieturi videbantur: paucorum audaciam eò processisse, vt priuatâ auctoritate Regi ab omnibus electo Regnum abrogarent, & Cracouiam arcem & caput Regni occupare vellent. Vocati ab ijsdem ad arma homines, imperatum per edicta tributum, iura Maiestatis vsurpata, &, ne quid inausum intentatumque ijdem seditionis auctores relinquerent, contulisse eos consilia cum Gabriele Batthoreo Transiluaniæ Principe de tradendo illi Regno, vt vel inuitis Polonis Tyrannum imponerent, idque literis authenticis probari posse. Ad eorum improbos & perniciosos conatus reprimendos, necessaria & iusta Regem induisse arma, vt vim vi arceret, legibus de perduellibus Regni & ijs qui cum exteris Principibus cõsilia communicant, quique eo ipso proditæ Patriæ criminis rei sunt latis, ita iubentibus. Ad Varcam primùm eos armatam Regi aciem ostendisse, istic oblatas pacis conditiones, ab eis spretas: solicitatam Regij militis fidem: interceptum Castellani Leopoliensis & contra iura gentium tractatum pacis causâ missum Nuntium; structas in itinere Regi insidias, firmatos difficiliores transitus præsidijs: & cùm consultò Rex eorum congressum declinaret, alioque quàm illi itinere Cracouiam versus progrederetur, insessos ab ijs transitus, & ad Gusouium armato agmine structâ acie, animis infestis & perpetrando parricidio paratis, Regi eos occurrisse, homines nobiles cepisse, trucidasse, alios vinculis onerasse, postremò impetu in Regem facto, armis decernendi necessitatem imposuisse. Victoriam quidem cessisse Regi, eâ tamen ita illum vsum esse, vt non modò in quenquam extra aciem gladium stringere vetuerit, verùm etiam complures in potestatem suam redactos sponte dimiserit: vsurum eum deinceps hac quoque clementiâ, si illi, quos impius furor in Regem & Patriam armauit, arma deposuerint, cœtus cogere desierint, contenti præsenti rerum statu, Comitiorum

Rex aliquos qui tempore motus ciuilis cum Rocosianis sensêre, honoribus posteà ornauit.

Regis ad vniuersos ordines Literæ, post victos Rocosianos.

iudicium pacati expectauerint. Quod si quid illi moliri, cœtus cogere, armare multitudinem, seditionem ciere voluerint, hortari inprimis Regiam Maiestatem vniuersos subditos suos, ne quis consilia vel arma consociare, ne auxilio illis esse velit; alioquin vsuram Regiam Maiestatem seueriori in eos legibus Regni permissa, & necessitate ipsa expressa animaduersione, daturamque operam, ne quid illi in perniciem Regni & Regis moliri possint. Et hæc quidem in Castris ad Vranscum, vbi triduò moratus Rex, Octauo Idus Iulij inde mouit Ilzam versus, vbi positis castris triduò item substitit, eo potissimùm consilio, vt missis in diuersas partes exploratoribus scire posset, quemadmodùm hostes acie victi sese gererent, vbi laterent, quid consilij caperent. De Palatino nihil sciri potuit, consultò ijs, qui in Regijs Castris ob affinitatem eum saluum esse cupiebant, id agentibus, ne fugæ illius vestigia, ne latebræ in quas se receperat deprehendi possent. Radiuilum & Herburtum Lublinum concessisse mox compertum est; illic Radiuilum quidem acerbè in Regem Regiamque sectam concionatum, de strangulato Lesnicio, de cæsis in acie questum, postremò edicto noui Regis eligendi diem ad Nonas Septembris sub Varsauia ab eo præscriptum. Herburtum verò excussis mercatoribus Lublinensibus, grandem pecuniæ summam ab eis extorsisse. Hæc ad Regem & Castrense consilium delata exacerbauerunt omnium animos, vt quin grauiùs in eos animaduerteretur, nemo obstaret. Igitur decernitur auctores seditionis istius, quique eorum sectam secuti fuerint, nisi intra certum diem ad officium redierint Regis & legum Patriarum se obsequentes ciues monstrauerint hostium loco habendos; nunc eos priuari omnibus dignitatibus & magistratibus quibus functi sunt, bonis item & possessionibus quas ex patrimonio Reipublicę beneficio Regum obtinebant; ad decernendas verò grauiores pœnas, bona videlicet eorum hæreditaria fisco addicenda, ipsos capitali sententia feriendos, ad Comitia publicumque & solenne Regni Ordinum iudicium remitti. Easdem pœnas eos quoque mansuras, qui impios eorum conatus ope & auxilio iuuerint; gratiæ locum non aliter illis relictum iri, nisi vt singuli damnata de abrogando Regi Regno sententia, nouo sacramento fidem suam eidem obstrinxerint. Hæc grauia fortasse & peracerba videri poterunt, sed si quis expenderit illorum temporum conditionem, spretam vel irrisam potiùs Regiam lenitatem, auctamque mollibus responsis hostium audaciam: denique victos eos & profligatos, superbos nihilominùs gessisse animos, minacia edicta, contumeliosas sparsisse literas, neminem fore existimo, qui de hoc ipso decreto, quod magis in speciem ad terrendos obstinatos, aliosque ab eorum societate auocandos, quàm vt reuerà ita Rex animaduertendi animũ haberet, promulgatum est, meritò queri, vel Regem Regiumque consilium crudelitatis accusare possit.

Rex castra Ilzam versus mouet.

cur seuera edicta contra Rocosianos scripta.

His in castris ad Ilzam constitutis, Rex mandata Zolkieuio cura coërcen-

coërcendorum, & in ordinem redigendorum eorum, qui ſub nomine Rocoſſianorum in varijs locis ad ſigna coibant, ipſe cum parte exercitus & pleriſque Senatoribus Cracouiam verſus profectus, ex itinere ad Monaſterium Calui-montis ſacratiſſimę Dominicæ Crucis ligno celebre diuertit. Ibi religioſiſſimus Princeps victoriæ exiguo ſubditorum ſuorũ ſanguine partæ, ſuæque felicitatis auctorem Deum profeſſus, pia exoluit vota. Inde iuſtis itineribus Cracouiam ventum, totâ, lætitiæ causâ, effusâ in occurſum Principis vrbe: penè triumpho ſimilis ingreſſus fuit: Regina, & Vladiſlaus Princeps filius, venientem Regem excepêre: & ille hic quoque pietatis memor, priuſquàm arcem conſcenderet, ad aram Diui Staniſlai Regni Patroni prouolutus in genua, preces ad Deum fudit. Et cùm omnia præcipuè in Palatinatu Cracouienſi ob infectos fauore Rocoſſianorum animos ſuſpecta eſſent, nonnullis cohortibus & peditum firmo robore præſidij causâ relicto, reliquam, quam ſecum adduxerat, partem exercitus in vicinis Hungariæ locis ne quid inde hoſtis nouare poſſit, collocat; maximè cùm iis (licet falsò) ſparſus eſſet rumor, Palatinum Cracouienſem ex fugâ in Hungariam concitandi iſtic belli causâ conceſſiſſe. Zolkieuius motis ſecundùm diſceſſum Regis ab Ilzâ caſtris, & traiectâ Viſtulâ, eadem ad Kraſnoſtauum locat, vbi cùm intellexiſſet Herburtum iam non contemnendam coëgiſſe fugitiuorum manum, & palàm circumferre arma, dat negotium Nicolao Struſo, eius in poteſtatem Regiam redigendi; qui celeritate vſus inconditâ multitudine primo impetu fusâ & diiectâ, Herburtum captum ad Regem Cracouiam mittit. Facilè eodem exemplo cæteri quoque in ordinem redigi poterant; ſed diſſimulatione quorundam factum eſt, ne & ſeria, vbi Palatinus lateret, inquiſitio fieret, & ſeditioſorum turmæ impunè graſſarentur. Caſtigabat quidem Rocoſſianos literis & edictis Zolkieuius, quos armis coërcere magis expediebat, ſolius nempe Herburti vile caput viſum, cùm Radiuilus ac reliqui palàm verſarentur, & Palatinus Cracouienſis non ita lateret, quin in publicum ad dicendam cauſam protrahi poſſet. Diuerterat is ex fugâ ad quendam nobilem clientem ſuum, omni à ſe relegato comitatu: mox vt ſecurior eſſet, fidei Monachorum Diui Franciſci quos de obſeruantiâ vocant, ſe commiſerat, abditus Opatouiæ in eorum monaſterio, incertum an ignaro Caſtellano Cracouienſi eius oppidi domino. Is certè primus fuit, qui Rocoſſianorum patrocinium ſuſcipere viſus eſt: ad eum enim Opatouiam venêrunt, miſſi à Radiuilo Petrus Strabonski Caſtellanus Pernauienſis, Balthaſar Poræmbski Tribunus Cracouienſis, Ioan. Felix Herburtus Vexillifer Leopolienſis, Staniſlaus Ciolek, Martinus Broniewski, petebat ab eo Radiuilus, ſuo factioniſque ſuæ nomine, vt pro officio primarij in Republicâ Senatoris, auctoritatem ſuam interponeret, quo datis mutuis arbitris, de negotio, de quo inter Regem & Rempublicam contentionibus, & poſtremò armis diſceptatum eſt, indicto Sendomiriæ vel Lublini conuentu, cognitio fieret; & vt

Rex Cracouiam redit, Zolkieuio negotium dat licentioſos ad officium reuocandi.

Regis Cracouiam reditus.

Palatinus Cracouienſis acie victus Opatouiæ apud Bernardinos agebat.

Rocoſſiani à Ioanne Oſtrogio Caſtellano Cracouienſi petunt, ageret cum Rege, vt indicto nouo conuentu concitati motus componantur.

Qui cum Rege eâ de re agit.

vt idem Castellanus cum belli duce ageret, ne Rocossianos bello prosequeretur. Retulit eâ de re Castellanus Cracouiensis ad Regem, sed ad Zolkieuium acriores dedit literas, cum insectatione & sugillatione quadam eorum, qui Regias partes constanter tuebantur. Respondit vicissim Zolkieuius, frustrà & serò eos iudicium poscere, qui hactenùs & omnes pacis conditiones spreuissent, & totius Senatus Ordinumque Regni arbitrio stare noluissent: malè illos sibi id vsurpare, quasi Reipublicæ partes tueantur, veluti illi soli quid expediat, quidúe noceat videant; reliqui omnes in publicis negotijs tractandis cæcutiant. Id ab iis nunc postulari, vt extra ordinem coacto conuentu, iterum Rempublicam in discrimen adducant, sopitamque seditionem excitent: nec se scire quos habituri vel daturi sint arbitros, quandoquidem eorum qui in præteritis comitijs illis offerebantur, iudicio parere noluerint. Sibi quidem non videri eos æqua petere; proinde non fore auctorem eius consilij, nec suasurum Regiæ Maiestati, vt eiusmodi indulgentia & auctoribus seditionis animos addat, & suam maiestatem priuatorum iudicio submittat, satis perspectam esse Senatui, & ordinibus vniuersis Regiam innocentiam: è contra eos qui illam arguerent, nihil hactenùs egisse, quod legibus & institutis maiorum consentaneum esset, multa ab eis seditiosè, multa perperàm facta, perturbatum Reipublicæ statum, oneratum Principem innoxium fictis criminationibus, Senatumque vniuersum populari inuidiâ. Nunc Dei hominumque iudicio damnatâ illorum temeritate resipiscerent, si salui esse vellent; & vel victi sapere tandem condiscerent: fidem quam Regi debent, & à quâ temerè recesserunt, profiterentur, Maiestatem supremi magistratus debitâ subiectione venerarentur, domi pacatè se continerent; futura Comitia, nullum interim alium conuentum habituri, expectarent. Ita tum responsum Castellano Cracouiensi, reiectaque importuna affectatio seditiosorum, qui cùm armis conatus suos promouere non possent, iterum conuentus priuatos indici, quò plebi fucum facerent, seditionemque cœptam seditiosis in vnum coactis restaurare possent, callidè postularunt.

eiusdem ad Zolkieuium acres literæ.

Responsum Zolkieuij.

Quare nouos priuatos conuentus indici Rocossiani petebant?

Rex interim posteaquàm Cracouiam venit, eò animum intendit, vt commota vulgi studia, diuersasque de præsenti rerum statu suspiciones, amoliretur: palamque faceret, sibi & anteà, & nunc inprimis publicam salutem curæ esse. In eum finem Nobilitati Cracouiensi Prosouicijs indixit Conuentum: adfuit frequens Nobilitas, pronisq; auribus Henricum Firleium Regni Referendarium Regis nuntium audiuit, explicantem præteritarum actionum causas, & per quos stetisset, vt ortæ inter Regem & quosdam dissensiones, bello finiendæ essent. Acceptata est ea legatio, comprobata Comitiorum acta; scitum insuper tributum, & qui præsentem Reipublicæ statum Regi gratularentur missi, quibus munus id exequentibus responsum est Regio nomine: Peracerbam esse Regiæ Maie-

Nobilitas Palatinatus Cracouiensis Regi victoriã gratulatur.

Maiestati præteritorum temporum memoriam, indoluisse eum semper malis publicis, alienum gessisse animum ab vllâ cum subditis sibi populis concertatione: sed paucorum temeritate factum esse, vt cùm ij nullâ aliâ ratione pacari voluerint, armati consilia sua promouerint, arma insuper structamque aciem Regi opposuerint, armis quoque cum ijs decernendum esset. Aduersis hæc imputanda, quæ infelici quodam fato Patriæ coortâ tempestate acciderunt: nunc serenato Reipublicæ statu, & in tranquillo portu rebus collocatis, curæ inprimis esse & fore Regiæ Maiestati, pacem & tranquillitatem publicam: ad eam obtinendam, vt omnes eò quoque studia voluntatesque suas conferant, gratiâ & clementiâ vsuram; modò ij etiam, qui hactenùs ne publica consilia pacatè tractarentur, obstiterunt, quieti esse velint: alioquin illis res mouentibus neminem molestè laturum, si Regia Maiestas seriò ad comprimendos eorum conatus incubuerit, operamque dederit, ne quid Respublica detrimenti patiatur. Frequentes deinceps omnium ferè Regni Palatinatuum Regem excepêre legationes, plenæ gratulationibus, plenæ significatione optimæ erga Regem voluntatis, vt planè appareret, præsentem Reipublicæ statum omnibus placere: tanta secundùm victoriam facta fuit animorum conuersio, vt ijdem qui proximè pessimè de Rege sentiebant, nunc damnatâ partis aduersæ contumaciâ, eius omnes actiones probarent.

Iis à Rege responsum.

Similes missæ à totius Regni nobilitate legationes.

De Palatino interim Cracouiensi nihil certi audiebatur; sed cùm Lanckorona arx, quam Ioannes Zebrzydouius, Palatini filius, beneficio Regis cum adiacentibus prædijs obtinebat, quinto ab vrbe distans milliario, præsidio Palatini teneretur; ne ei res nouanti, & quod ob communicata cum Batthoreo consilia omnia ab Hungariâ suspecta essent, ad exercitum Cracouiæ admouendum, hæc occasio relinqueretur; missus eò Stephanus Potocius, dum cum Porebio præsidij Præfecto de deditione agit, ambigentemque Regijs territat mandatis, milites præsidiarij, quòd plerique è vicinis pagis Regij subditi essent; veriti ne captâ per vim arce, grauiùs in se animaduerteretur, relicto Præfecto sponte arce excesserunt, quam Potocius ingressus, Regio firmauit præsidio. Ad Imperatorem quoque Romanorum Rudolphum datæ literæ à Rege, questumque de Batthoreo Cæsaris subdito, quòd is perniciosa cum perduellibus Regni consilia contulisset, Regiam dignitatem affectasset: apud eum dici latere auctores seditionis, illumque ne nunc quidem cogitationem deposuisse inuadendi Regni: petere Regem ab Imperatore pro mutuâ cum domo Austriacâ amicitiâ, arctissimisque sanguinis necessitudinibus, & pactis ac fœderibus, quibus de pace vtrimque seruādâ cautum est; vt hominem inquietum coërceret. Summo etiam Pontifici Paulo quinto, & alijs principibus Christianis, quos motus Regni Regiumque periculum latere non poterat, significatum, perduelles Regis & Regni in ordinem redactos esse.

Lanckorona arx Cracouiæ vicina Regio præsidio firmata.

Mors Stanislai Minski Regni Procancellarij.

Eodem ferè tempore Stanislaus Minski Regni Procancellarius, Patauij vitam cum morte commutauit; vir singularis ingenij,& eleganter eruditus ; iuuenis magnam ætatis partem in visendis lustrandisque exteris nationibus consumpserat,hinc variarum rerum notitiâ partâ, morum institutorumque ac linguarum exterarum nationum scientiâ,pollebat, Palatinus primùm Lenciciensis renunciatus,legatione apud Summum Pontificem Clementem Octauum pro Rege Sigismundo functus, vt Diuus Hyacinthus è Dominicanâ familiâ in numerũ Sanctorum referretur, effecerat, dignus cui munus Cancellariatus deferretur,ab omnibus existimatus. Adeptus eum Magistratum dum popularem inuidiam plus æquo timet, impar tantis curis apparuit , quibus intra aliquot adepti muneris menses confectus, dum frustrà Palatino Cracouiensi , cuius quondam intimus amicus erat, persuadere conatur , ne Rempublicam perturbet, morbum contraxit : cuius tanta erat vis,vt continuò surdum eum effecerit. Huius morbi curandi causâ medicorum consilio ad thermas vsque Puteolanas profectus , auditum quidem earum beneficio recuperauit, cæterùm læsâ semel grauiter valetudine , eâque nondum satis confirmatâ, dum æstiuis caloribus Româ Patauium proficiscitur, lethalem rursus contraxit morbum ; quo grauatus, Patauij mense Iulio extinctus est, quinquagenario minor.

Potociorum familia Regi fida & addicta.

Regius interim exercitus continebat in officio sparsos per diuersa loca Rocossianos , ne se commouere, ac in apertum prodire possent : præcipuus à Potocijs metus, qui, vt dixi,Regi addicti, ijdem acerrimi dignitatis Regiæ violatæ vindices, timebantur : eâ etiam spe inescati, extincto Palatino , Præfecturam Sinatinensem , sibi beneficio Regis cessuram. Itaque quàm diu isti in exercitu erant, Palatinus Cracouiensis, ne intimis quidem amicis vbi lateret prodere , nec cuiusquam fidei se committere ausus est. Sed accidit vt sub hoc idem tempus , mortuo Simeone Mohilâ Principe Valachiæ , Prouincia ea nouis motibus agitari cœperit : ad quam pacandam , stabiliendumque Constantini Hieremiæ Mohilæ filij iuuenis admodùm imperium , Potocij Rege non abnuente maturandũ sibi viresque suas eò transferendas existimarunt. Nupta erat Stephano Potocio filia Hieremiæ , & peropportuna erat Potocijs hæc affinitas , ad augendas opes & potentiam : namque Valachiam pacato imperio per plures annos Hieremias cùm rexisset, non modò priuatas opes auxerat, sed erga eos etiam quorum ope nitebatur , munificus erat. Potocij vel maximè ab inuito interdum,sed offensam timente,quidquid postulabant referebant, non absque aliorum Regni Procerum inuidiâ. Sed proximè superiore anno Hieremias cesserat è vitâ , cùm viuens adhuc Constantinum filium Principem & Successorem renunciare curasset , Turcarumque Imperatoris rescripto Regiâ intercessione obtento , sibi posterisque suis sexus virilis perpetuum in eâ Prouinciâ imperium stabiliuisset. Verùm eo vitâ functo frater eius Simeon Mohila iam ætatis exactæ vir, quem

noui motus in Valachiâ mortuo Simeone Mohila.

quem ille quondam ſuis opibus ad Tranſalpinæ Valachiæ Imperium euexerat, pulſumque inde comiter & liberaliter apud ſe habuerat, vxoriſque ac liberorum ſuorum moriens eidem ſupremis tabulis curam demandauerat, captatâ occaſione, quod longiùs, qui ſoli timebantur, abeſſent Potocij, excluſo nepote, pulſiſque defuncti fratris cum matre liberis, imperium ſibi arrogauerat, emercato Turcarum Imperatoris, qui ſemper venalis eſt, aſſenſu. Et ne temerè inuito Rege tantum ſibi aſſumere videretur, tempeſtiuâ legatione ſuam hanc ambitionem excuſauerat. Valachos nempe à viris regnari ſolitos, pueri & muliebre imperium non laturos, & Turcas ipſos eâ occaſione ad turbulentum aliquem hominem, ſummam rei delaturos fuiſſe, niſi curam eius Prouinciæ ſuſcepiſſet: ſe Regi fidem ſuam ſatis hactenùs teſtatam feciſſe, in eâ deinceps permanſurum, ac obſequio erga Rempublicam Polonam nemini vnquàm ceſſurum. Hanc eius excuſationem vt Rex acceptaret, imperiumque contra pacta vſurpatum, ratum haberet, & ij qui Potociorum infractam & debilitatam volebant potentiam euicerunt, & res ipſa, quòd vel tum maximè ſeditio Rocoſſiana ferueret, & quorſum euaſura eſſet incertum adhuc haberetur, Regi vt ſuæ potiùs ſecuritati quàm alienis commodis conſuleret perſuaſit; maximè cùm idem mox interuentu Ioannis Potocij Hieremiæ vxori cauiſſet, eam ſe cum vniuersâ familiâ conceſſis in eum vſum certis poſſeſſionibus pro dignitate generis tractaturum, & ſe vitâ functo imperium ad Conſtantinum filium ipſius deuolutum iri. Sed Simeone quoque intra decurſum anni mortuo, noua rurſus eaque muliebris pro filijs exarſit iſtic ambitio. Hieremiæ vxor Margarita, ereptum à Patruo filio ſuo Conſtantino imperium repetebat, altera è contra id ſecundùm mortem mariti ſui Simeonis, filio eius Michaëli deberi contendebat: nec morata diu, cũ omnia præſidia in poteſtate haberet, cunctique veluti proximè vitâ functi Principis vxori fauerent, filium ſuum Michaëlem, vel hoc ipſo nomine quòd iam imperio longè quam Conſtantinus, qui impubes adhuc erat, per ætatem aptior eſſet, præferendum & Principem renunciandum Valachis perſuadet. Itaque voto potita, aſſenſuque Turcarum Imperatoris, ſimul & ope imploratâ, armis potentiâque Turcarum ad tuendum præſentem rerum ſtatum ſe munit, Conſtantino matreque eius & totâ Hieremiæ domo in ordinem redactâ. Ea rerum Valachicarum mutatio exciuit Potocios, vt cum ijs copijs, quas in exercitu Regio habuerant, eò concederent; opem ſocrui & affinibus laturi. Igitur Ioannes Potocius Præfectus Camenecenſis, ſub exitum autumni Valachiam ſub ſignis ingreſſus, aduerſam factionem, quæ Turcicis Tartariciſque auxilijs fulta, & vniuersâ Valachiâ ad arma excitâ, magnis viribus obuiàm ibat, fundit, fugatque, & Conſtantinum, iuuenem admodùm, imperare iubet: ægrè id quidem primò ferentibus Turcis, ſed mox muneribus delinitis ijſdem, imperium Conſtanti-

Ioannis Potocij in Valachiâ progreſſus.

ni ratum habentibus, quanquàm iam anteà Michaëlem in possessionem Principatus per traditionem vexilli, vt mos est, immiserant, & de eo Regem certiorem fecerant. Præerat tum rebus Turcicis Achmetes, qui ante aliquot annos Machumeti patri successerat; & cum moris esset, cum nouo Imperatore solenni legatione vetera renouare pacta, amicitiamque firmare, destinatus erat ad obeundum id munus Adamus Stadnicki Castellanus Calissiensis, ac Præfecturam Premisliensem eo nomine à Rege acceperat: sed posteà cùm is tergiuersaretur, periculumque esset ne barbari id in sinistram partem acciperent, moram quidem non missi legati primò per Abrahamum Krzewski iuuenem, & linguæ & rei Turcicæ peritum, deinde per Stanislaum Vitowski Secretarios & internuntios suos Rex excusauerat; cæterùm ne diutiùs legati profectio differretur, Nicolaus Danielouicius Castrorum metator, vir & priscâ nobilitate illustris, & ad res præclarè gerendas natus, Rege iubente id munus suscepit ac summâ cum laude eo perfunctus est.

Ad Turcarũ Imperatorem Achmetem legatio.

quâ functus Nicolaus Danielouicius.

Sed vt ad institutum nostrum reuertamur. Palatinus Cracouiensis simul ac intellexit Potocios per occasionem rerum Valachicarum abesse, & diutiùs absfuturos, solutus eo metu, & quòd certò ei constaret, Zolkieuium pro iure affinitatis solitâ conniuentiâ erga se vsurum, ex latebris, in quibus hactenùs abditus delitescebat, in apertum prodijt, stipatus seditiosorum turbâ, quæ post Guzouianum conflictum, victosque factionis Rocossianæ Duces, nullo certo loco consistere ausa, ad rerum nouarum occasiones intenta erat. Partem eius generis hominum iam anteà Radiuilus sub signa coëgerat, pars Herburtum secuta, eo capto disiecta fuerat, mox à Palatino signo dato egentes homines, fortunis adesis, & maximè prælio Guzouiano corruptis & amissis, ad spem prædæ conuolabant. Eo fretus præsidio Palatinus, ad Varsauiam consedit, istic resumptâ Rocossianâ auctoritate, quasi intermissum negotium acturus, diem à Radiuilo nouo conuentui iam anteà indictum, sed neglectum, se obiturum præseferebat; ratus eâ re fucum se Regi facturum, & nouarum turbarum metu, ad transigendum secum impulsurum. Intereà missis ad Senatores literis, pertentabat eorum animos, & in eam partem flectebat, vt quasi ex æquo litem, quæ inter eum Regemque intercedebat, datis arbitris dirimendam existimarent: ac vt indicto conuentu Rex totum hoc negotium iudicio nobilitatis permitteret. Hanc eius postulationem, cùm primus Zolkieuius Regi significasset, & indulgendum ei suadere videretur, in eam venit suspicionem, quasi in pari lance poneret Regiam & Palatini dignitatem: id enim Palatino propositum fuisse apparebat, vt coacto Senatorum & nobilitatis conuentu, Rex absens diceret causam: quod perinde erat, ac si sopita & sepulta iam sub ficto nomine tuendæ libertatis seditiosorum auctoritas, quæ antequàm armis victa esset, omnia sibi arrogabat, iterum

Palatinus Cracouiensis rursus nouos motus excitat.

rum ſtabiliretur. Igitur Rex obiter refutatis ijs, quæ à Palatino Cracouienſi propoſita erant, id verò grauiter ſe ferre oſtendit, quod Zolkieuius ſe inconſulto à Zauichoſto exercitum in interiora Ruſſiæ abduxiſſet: eo metu ſolutos Rocoſſianos arma induiſſe, armatiſque ſeptos iterum ſeditionem, ſeditioſaque conſilia in perniciem Regis & Reipublicæ promouere, prædas tanquàm in hoſtico agere. Ea nunc ab illis poſtulari, quæ ſaluis legibus, ſaluâ dignitate Regiâ concedi non poſſent: vt videlicet leges in proximis Comitijs legitimè latæ, priuati, quem illi flagitant, conuentus auctoritate abrogarentur, vt pœnis, quas ob non illatam Rauam in ærarium publicum ex bonis Reipublicæ pendi ſolitam quartam redituum partem meruerunt, ſoluerentur, vt ſuarum Regiarumque actionum Comitialiumque Decretorum lecti ab illis arbitri, auctoritatem illis præbente ſeditioſorum cœtu, iudices eſſent. Inſolitam eam & pernicioſam eſſe publici conſilij cogendi rationem, vt Rege viuente & incolumi, quiuis alius conuentui præſit: facilè ſanè apparere, quid Palatinus velit; nempe vt remoto præſidio Regio, ipſe armatis ſeptus, omnia pro arbitrio ſuo ageret; & ſi occaſio daretur, inermes opprimeret. His per Staniſlaum Sulouium Secretarium ſuum Rex ad Zolkieuium mandatis datis, illud præthereà adiecit: ſe quidem hactenùs Zolkieuij ſolius fidei ſalutem ſuam permiſiſſe, proinde curæ illi eam eſſe debere, ita vt exiſtimet, & dignitatis ſimul & ſecuritatis Regiæ rationem ſibi eſſe habendam: nunc & eos quos Regi infenſos eſſe conſtat, ambiguos de Rege ſpargere ſermones, & Batthoreum Tranſiluaniæ Principem palàm præſeferre, ſe eorum conatibus non defuturum: videret Zolkieuius, ne ſi ille tam graues iniurias, ſalutiſque Reipublicæ diſcrimen diutiùs diſſimulet, Rex alia præſidia ſibi parare, & ſuæ, & Reipublicæ ſecuritati aliter proſpicere cogatur. Pupugit ea legatio Zolkieuium, maximè cùm non ignoraret, ſe maleuolorum ſermonibus peti; ſuſpecta quoque illi erat Potociorum factio, Regi impenſiùs addicta: his rem Valachicam eſſe permiſſam, exercitus attributos, ſpreta in eo ſua conſilia: ſuadebat enim Regi, & quidem, vt exitus poſteà docuit, prudenter, ne noſtri Valachiam attingerent, ne Conſtantino armis eum Principatum aſſererent, ne Turcica arma irritarent: hæc & alia remiſſiorem eum faciebant, quominùs promptè Regiæ voluntati ſe accommodaret. Ita tamen ad ea quæ Sulouius Regis nomine ad eum detulerat, reſpondit: imprimis petebat, ne Rex quidquam de fide ſuâ addubitaret, quadraginta annorum obſequio ac toties pro patriâ fuſo ſanguine, partum decus ſibi ita carum eſſe, vt vitæ potiùs quàm exiſtimationis diſcrimen adire velit. Se non ignorare Regiâ ſalute & dignitate omnium ſalutem contineri, ad eam tuendam, nec animum nec vires ſibi defuturas: adductum in Ruſſiam exercitum, quòd ijs apud quos ad Zauichoſtum caſtra

Regis ad Zolkieuium mandata.

Cauſæ cur Zolkieuius remiſſus erat in coërcendis Rocoſsianis.

poſuerat,

Explicat Zolkieuius quid Palatinus Cracouiensis intenderit.

posuerat exigendâ annonâ grauis esset, frequentesque de eo ad se querelæ nobilitatis deferrentur: sed si Palatinus cæterique Rocossiani quid moliri velint, in promptu fore cohortes, ad eos in officio retinendos. Etiamsi Palatinus tergiuersetur, diuersaque consilia per occasiones captare videatur, contentum tamen fore datâ à Rege præteritis suis actionibus veniâ, etsi præterea sufficienter illi caueatur, quod legibus præscripto tempore, pensionem quartanam non soluerit, id impune fore, neque eo nomine se in ius attractum iri: certò præterea constare sibi Palatinum expertem esse cuiusuis in perniciem Reipublicæ cum Batthoreo conspirationis. Hæc quidem tunc Zolkieuius, at Palatinus quasi harum rerum ignarus, per omnes occasiones aliam dabat significationem voluntatis suæ; idque imprimis sibi curæ esse ostendebat, vt pro auctoritate personæ, vniuersam Rempublicam repræsentantis secum ageretur. Adhuc Radiuilus arma non deposuerat, & licet Carolus Chodkieuicius illi ita immineret, vt se loco mouere non posset, tamen fouebat adhuc clandestina consilia, eaque cum Palatino communicabat, misso ad eum Sigismundo Niscicki, homine sectæ Caluinianæ, quem tamen Palatinus quamuis Catholicæ religionis quondam acerrimus vindex, suorum consiliorum moderatorem habere videbatur: ita vt sub eius nomine rescripta responsaque darentur eius conuentus, in quo reliquiæ Rocossianorum continebantur.

Bernardus Macieiouius Cardinalis & Archiepiscopus Gnesnensis Synodum Petricouiæ celebrat.

causæ conuocatæ Synodi.

Controuersiæ equestris ordinis cum Ecclesiastico.

Bernardus Macieiouius Cardinalis & Archiepiscopus Gnesnensis, sub initium mẽsis Octobris Synodum Prouincialem Petricouiæ obibat. Aderant ferè omnes Episcopi Regni, & è Clero præcipui; nam cùm in præteritis Comitijs Varsauiensibus multa ab equestri contra sacrum ordinem iactata essent, quasi is prærogatiuâ iuris sui cæteris grauis esset: vehementerque flagitatum esset, cùm hactenùs Ecclesiastici contenderent, bona sacris vsibus semel adscripta, etiamsi diuturno tempore à sæcularibus possessa, tamen neminem posse etiam longissimi temporis cursu vsucapere, hæreditatesque sacras sine legitimâ causâ olim interuersas, semper vindicari posse; vt tandem Rex lege datâ statueret modum & tempus, quo constaret, quæsiti quoquo modo iuris possessio. Deinde sæpè euenire, vt equestris ordinis homines, grauibus iniurijs à spiritualibus afficiantur; id tamen impunè fieri, quod eo nomine accusati, ad Curiam Romanã prouocando, actores quibus & Canonicum ius ignotum est, & ad tam longinquum iter suscipiendum, iurisque impensas sumptus non suppetunt, palàm eludant: cùm è contra spirituales iure Regni facilè iniurias suas vindicent: iniquum sanè videri non omnes qui eodem corpore Reipublicæ continentur, pari eodemque iure censeri. Cæterùm cùm ordo sacer hoc nomine in Comitijs compellatus, nihil se hac de re nisi ex Synodi sententiâ respondere posse ostendisset, eò tota ea quæstio reiecta fuit: simul vt istic ex ordine sacro legerentur, qui cum secularibus de abolendis componendisque mutuis controuersijs ageret,

statue-

statuerentque; cùm iam anteà in Comitijs ordo Equestris suos quoque ad hoc negotium tractandum conficiendumque plenâ cum potestate Commissarios dedisset. Hoc eodem tempore Palatinus Cracouiensis nouos ad Varsauiam cœtus cogebat, quare rati Episcopi ad munus suū pertinere, si eum aliosque qui illi adhærebant, interpositâ sacri ordinis auctoritate admonerent, vt à cœpto desisteret; talem ad eos dederunt epistolam. Sibi in Synodo res Ecclesiasticas tractantibus, non abs re visum, ad præsentem quoque afflictæ Reipublicæ statum oculos reflectere. Et quidem vt primùm harum dissensionum initia oriri cœperunt, se in magno metu fuisse, ne patria supremum discrimen adiret, cùm & Seruator ipse omne Regnum ciuili discordiâ distractum, periturum verissimè pronunciauerit, & tot clarissimorum regnorum euersorum exemplis doceamur, absque concordiâ nullam Rempublicam stare posse. Nihil hactenùs à se prætermissum, quod ad conciliandos animos in mutuam perniciem exacerbatos pertineret: sed irato ob scelera hominum Deo, non esse datum locum monitis suis. Eò postremò ventum, vt armis & apertâ acie decertaretur, & ea fierent, ac nunc etiam fiant, vt in ipsis Patriæ visceribus talia à ciuibus ciues patiantur, quæ bella secum adferre solent, ac Respublica suis nudata præsidijs, vilibus etiam hostibus pateat. Liuoniam ardere bello, captum à Sueco Bialocamenum, eundem hostem imminere Rigæ, alijsque eius Prouinciæ oppidis & arcibus, infestam esse maritimam oram, infestos portus Regni, quibus amissis, aut impeditis, actum fore de nostris facultatibus: nunc certè vniuersam Reipublicæ salutem periclitari. Quæ ecquis Patriæ amans siccis oculis conspiciat? quis non ingenti dolore afficiatur? Se quidem quibus functio spiritualis diuinitus demandata est, Deum testari, nihil sibi optabilius esse salute Patriæ, in quâ nati essent, cuius beneficio viuerent, nihil cariùs libertatibus equestris ordinis, quarum auctores fuisse maiores suos probè nossent: in ijs tuendis conseruandisque suum officium desiderari, etiamsi quoduis discrimen subeundum foret, se passuros non esse: nunc si quid tale vrgetur, leuioribus remedijs sanari posse. Ad ea vt animum adijcerent, arma deponerent, nouos cœtus ne cogerent, ac etiam atque etiam dispicerent, quid incommodi secum adferant, quanto solatio hostibus nostris sint acerbæ & sanguinolentæ ciuiles discordiæ, hortari se & monere. Synodum quidem diu teneri non posse, cæterùm ad Cardinalem Macieiouium, ad quem cura eius rei, pro eo loco, quem primum in Republicâ tenet, pertinet, referrent de hoc negotio, qui cum alijs, quorum copiam habere poterit Episcopis, se medium interponet, Regemque subditis conciliare, totumque hunc motum componere adnitetur. Moderarentur illi vicissim suis affectibus, voluntatesque suas, etiamsi non nihil de iure decedendum esset, mitioribus consilijs accommodarent: multa tempore ipso sanari, & vbi pax constituta fuerit facilè reliqua confici posse. Se deinceps ad ea omnia quæ Reipublicæ bono peti & postulari

Epistola Episcoporum ex Synodo ad Palatinum Cracouiensem.

lari poterunt, obtinenda, auctores adiutoresque futuros: Interim vestem istam mutuæ societatis ne discinderent, lacerarentque.

Non iniucunda fuit Palatino Cracouiensi ea legatio, ad mentem planè eius, à nonnullis ex ordine sacro qui ei clàm fauebant, & ob veterem amicitiam non omnino depressum volebant, conscripta & composita. Perhonorificum enim illi videbatur, se ab ordine Ecclesiastico ambiri, neque sua destinata ab eo palàm damnari, vsurum se deinceps eius auctoritate, vel ad commouendum populum, vel certè cum maiori auctoritate ad transigendum cum Rege. Igitur oblitus eorum quid Zolkieuius cum eo, quid ipse vicissim cum Zolkieuio egisset, quid Zolkieuius pro eo Regi spopondisset, aliam concordiæ telam ordiri cœpit. Itaque literis Episcoporum responsum ex sententiâ Palatini datum nomine Rocossianorum est eiusmodi: commemoratis ijs quæ hactenùs acta sunt, ostendebant se omni culpâ vacare, & frustrà tentatis omnibus medijs, quibus Regem ad satisfaciendum Reipublicæ erroresque corrigendos adducerent; ad extremum cùm nihil monita proficerent, ac nouis in dies iniurijs animi hominum exacerbarentur, iure ad abrogandum illi imperium processisse. Non sibi, sed Regi imputari debere, ea quæ posteà euenerunt: se tamen iam vltro recedere à decreto abrogati Regi regni, & libenter permissuros causam Reipublicæ quam hactenùs promouerunt, arbitrio status Ecclesiastici: cum Cardinali hac de re omnium nomine Palatinum Cracouiensem, cui totius conuentus intentio optimè nota est, acturum. Legationis verò ad Cardinalem missæ hæc summa erat. Gratum esse sibi hoc status Ecclesiastici Reipublicæ pacificandæ studium, cuius auctorem fuisse ipsummet Cardinalem minimè dubitarent; facturum eum officium Principis Senatus, si seriò ad eam rem animum adiecerit, quod eo modo fieri posset. Vocaret vniuersum Senatum Cardinalis ad locum aliquem tutum in centro ipso Regni, istic consilium iniretur, & rationes pacandæ Reipublicæ præscriberentur, ac quid Rex Reipublicæ debeat declararetur; Cardinalis deinceps more maiorum, qui vel inuitos Reges cogebant ad præstanda ea quę ex pacto & legum præscripto debebant, Senatus vniuersi auctoritate fretus, officij sui Regem admoneret. Rex captos Herburtum & Pekoslauium dimitteret. Bona ablata restitueret. Negotium Abbatiæ Tinecensis (de eâ inter Stanislaum Sulouium, Regiâ promotione nitentem, & Albertum Baranouium Monachum à Monachis electum lis erat) relinqueret. Securitati eorum qui partes Rocossianas secuti sunt caueret. Id effecturum Cardinalem, & nisi id fiat, vel si remissiùs hoc negotium tractetur, aut si Senatus suo munere non defungatur, se alijs medijs vsuros, & fore nouissima peiora prioribus. Quoniam scita præteritorum Comitiorum à multis improbantur, efficeret Cardinalis, ne ij qui ad leges corrigendas, componendasque inter spiritualem & secularem statum differentias, auctoritate Comitiorum designati sunt, suscepto munere fungantur,

Responsum literis Episcoporum à Rocossianis.

Summa legationis Rocossianorum ad Cardinalem Macieiouium.

tur, fore ei rei aliud commodius tempus, posteaquàm Respublica pacata erit. Ad ea Cardinalis Palatino Cracouiensi respondit. Eam & suam, & aliorum Episcoporum fuisse mentem, vt Rocossianos ab extraordinarijs conuentibus dehortarentur; hactenùs quidem in eo erratum fuisse, quod passim hominum cœtus cogerentur, vt tumultu magis quàm consilio negotia publica à priuatis hominibus tractarentur, se auctorem non fore rerum nouarum, nec Senatum priuatâ auctoritate conuocaturum, cùm id Regium munus sit. Comitia potiùs more maiorum indicenda, atque in ijs publica tractanda negotia, interim pacatè se gererent ij qui extraordinarios eiusmodi cœtus flagitant, quorum securitati datis à Rege literis satis iam cautum esse. Bonis quenquam spoliatum esse sibi non constare. Turbulentos homines captos, liberos fore, si quis cauerit eos modestè se gesturos. Litem de Abbatiâ Tinecensi iudicio Summi Pontificis decisum iri. Eos qui ad corrigendas leges, & ea de quibus inter Ecclesiasticum & Equestrem ordinem disceptatio est componenda designati sunt, non esse causam cur quis munere suo defungi prohibeat: cùm id negotium diu iam flagitatum, & magno Reipublicæ incommodo neglectum, nunc tandem vt definiatur maximè optandum sit.

Responsum adhæc Cardinalis Macieiouij.

Cùm verò Zolkieuius, quasi à Cardinali & Episcopis pacis tractandæ negotium, quod ipse anteà inchoauerat interceptum esset, cum Cardinali datis literis expostulasset, respondit ille: non eo animo suo aliorumque Episcoporum nomine conuentum Rocossianum compellatum fuisse, vt sibi aliquid in eo negotio, quod probè nossent à Zolkieuio inchoatum, & propositis acceptisque conditionibus penè ad exitum deductum esse vsurparent, sed vt propensos ad concordiam Rocossianorum animos confirmarent: quare vrgeret ille cœptum opus, exigeretque eas conditiones, quas iam acceptauerant. Sed Palatinus cùm animaduerteret, Cardinalem minùs spe suâ opportunum esse destinatis suis; & vt res erat, quòd Cardinalis cùm in aulâ Regiâ maneret, non ex propriâ sententiâ responsa dare videretur: primum quidem Petro Tilicio Cracouiensi, & Alberto Baranouio Cuiauiensi Episcopis, qui Varsauiam nomine Cleri ad componendas cum Equestri ordine controuersias venerant, persuadet, vt propositas Cardinali conditiones vrgerent; sed cùm horum quoque iudicio meritò reprehensa fuisset minùs æqua postulatio, ostensumque quò eiusmodi Palatini arrogantia tenderet, ille rursus vniuersum Senatum ac Nobilitatem per literas certiorem facit, Regemque hac onerat inuidiâ, quasi is propositas ab ordine Episcoporum pacis cōditiones respueret, simulque petit consilium, an sibi ab ijs resilire liceat. Docet quantum inde libertatibus Regni immineat discrimen, si earum defensor in ordinem redigatur, si ad mandatum Regium Senator quasi præteritarum actionum rationem redditurus se sistere cogatur. Se hactenùs in hoc negotio cum dispendio non modò fortunarum, sed gratiæ etiam

Literæ Zolkieuij ad Cardinalem, eiusq; responsum.

A Petro Tylicio Episcopo Cracouiensi & Alberto Baranouio Vladislauiensi reprehensa postulatio Palatini Cracouiensis.

Palatinus Cracouiensis Senatus & Nobilitatis consilium exquirit, quid vlterius faceret.

etiam Regiæ versatum esse, vitam ipsam potiùs profundere, quàm tutelam libertatum Regni deserere paratum fuisse. Facilè quemuis animaduertere posse, salubre & rebus præsentibus accommodatum fuisse consilium, Senatus conuocandi, sibi ab Episcopis propositum, Regi quoque ipsi magis expediebat in eo consessu negotium hoc definiri: cæterùm explicarent illi quid hac de re sentirent, idque eo candore, & eâ erga Patriam fide, quæ non modò posteritati placeret, verùm etiam cuius in exacto Dei iudicio essent rationem reddituri. Ad eas literas omnes ferè Senatores in eandem responderunt sententiam, suaseruntque Palatino, alijs postpositis consilijs, pacis conditiones per Zolkieuium propositas amplecteretur. Solus Ioannes Ostrogius, Castellanus Cracouiensis Palatini postulatis se obsecundaturum, & nisi Cardinalis Senatum continuò conuocet, id se pro eo loco, quem in Republicâ tenet, facturum Regi significauit.

cùm omnes Senatores Palatino Cracouiensi suadent, vt pacis conditiones amplectatur, solus Castellanus Cracouiensis alterius est sententiæ.

Annus Christi 1608.

Annus Christi supra Millesimum sexcentesimus octauus iam inchoatus erat, ad cuius initium primis Ianuarij diebus Cardinalis Macieiouius Archiepiscopus Gnesnensis lentâ tabe consumptus cessit è vitâ, vir pius magis, quàm tractandis negotijs Reipublicæ idoneus, floruit & populari fauore & gratiâ Regis, à quo ex Episcopatu Luceoriensi primò ad Episcopatũ Cracouiensem, dein ad Gnesnensem Archiepiscopatum promotus, primas in Senatu partes tenuit, & licet tot auctus esset opibus, multisque extraordinariè subsidijs iuuaretur, semper tamen egere visus est. In nuptijs Regijs Legati (quem de latere vocant) munere functus, cùm deinceps Sedem Episcopalem, protenso suprà velo, ad instar eius quo Reges vti solent, ex aduerso Regiæ sedis posuisset, idque decus Cardinalitiæ & Episcopali dignitati deberi contenderet: Rex è contra id pati nollet, re ad Summum Pontificem delatâ, iussus est Cardinalis velamen illud honoris tollere, & hæc prima fuit illi cum Rege dissensio: vnde posteà fauisse Rocossianorum conatibus existimatus est: creditum etiam à nonnullis contumaciam Palatini Cracouiensis, eius conniuentiâ fotam fuisse. Ac Palatinus quidem omnium Senatorum acrioribus literis perstrictus, & à Zolkieuio potissimùm liberiùs pro iure amicitiæ obiurgatus, hærebat tamen; sed cùm Zolkieuius minacibus literis colluuiem militum, quorum fiduciâ Palatinus in Stæzicensi Præfecturâ subsederat, disiecisset, Zamoscium concessit, tutum munitumque oppidum, in eo loco præstolaturus, si quæ occasio rei nouandæ se offerret, vel si Castellanus Cracouiensis, vt se facturum receperat, publicum conuentum ediceret. Meritò iam Regi mora ea suspecta esse cœperat, verendum enim erat, ne factiosi homines resumptis viribus adscito Castellano Cracouiensi, iterum nouas turbas cierent: præsertim cùm Zolkieuius, etsi optimâ fide in negotio pacificationis versaretur, tamen quòd vel à Palatino illuderetur, vel ipse etiam ob arctas sanguinis necessitudines minùs acriter cum eo ageret, parum hactenùs effecisset. Itaque Rex vt

Bernardus Macieiouius Cardinalis Archiepiscopus Gnesnensis obit.

Eius dotes.

Idem in nuptiis Regiis fuit Legatus de latere.

Palatinus Cracouiensis Regi se submittere cunctatur.

vt aduerſariorum machinationibus vires opponeret,& arma oſtentaret, Ioannem Potocium è Valachiâ cum ijs copijs quas iſtic habuerat euocauit, & ad vniuerſos Senatores dedit literas, quibus monebantur, vt contra conatus aduerſæ partis ſibi præſtò eſſent. Nec Caſtellanus Cracouienſis, quemadmodùm ſe facturum oſtenderat, Senatum conuocare auſus; cùm videret omnes, Palatino Cracouienſi excepto, in aliâ eſſe ſententiâ, ac neminem ſuis edictis commotum iri: ac prætereà vereretur, ne ſi rerum nouarum auctor eſſet, alijs omiſſis ipſe ab exercitu Regio peteretur. Igitur Palatinus, cùm parum proſperè ea quæ deſtinauerat procederent, ſimul ſe deſertum videns, totum ſe poſtremò Zolkieuij poteſtati permiſit. Conditionum quibus Regi reconciliaretur, hæc ſumma erat. Vt ne ampliùs priuatâ auctoritate conuentum illum vel indiceret, vel indici poſtularet. Ad Regem veniret, errati veniam peteret, fidem renunciatâ obedientiâ labefactatam, reſumpto iuriſiurandi ſacramento firmaret. Rex viciſſim benignè eum cæteroſque qui in hac diſſenſione ſectam eius ſecuti fuerant reciperet. In Comitijs proximis legitimis poſtulatis, ſi quæ talia fuerint, arbitrio Senatus & ordinum Regni annueret; ſancitâ omnium rerum ac iniuriarum obliuione.

Cæterùm cùm ſub idem tempus non ſolùm à domeſticis interniſque motibus, nondum ſedatis, & quodammodò recrudeſcentibus, Reipublicæ immineret periculum; verùm & cum vicinis Hungaris Moſchiſque incerta pax, in Liuoniâ verò apertum bellum eſſet, conſilij capiendi causâ, Rex ad ſe primarios Senatores euocauit, diemque vigeſimum quartum Menſis Aprilis, quâ Cracouiam venirent, deſignauit. Venerunt frequentes ſatis, pertæſi tot moleſtiarum, quibus finem dari nemo erat qui non cuperet; maximè quod cùm Palatinus Cracouienſis diuerſum Rege abſente conuentum vrgeret, hic legitimè indictus, quem tamen ille ſubterfugere vel calumniari non poſſet, neceſſe erat vt indiceretur. Hæc autem erant quæ in conſilio nomine Regis proponebantur. Quibus modis & rationibus pax interna componi poſſet. Quibus conditionibus auctoribus præteritæ ſeceſſionis indulgendum, veniaque illis danda eſſet, & è contra qui pertinaciùs arma retinerent, qualiter in ordinem redigendi. Liuoniæ bello Suetico laboranti vnde præſidium parandum, pecuniáne in eum vſum ex ærario Rauenſi depromẽda, an potiùs aliunde acquirenda, & num Sueco petenti dandæ induciæ. Temerè ſub ſignis ditiones Moſchouiticas infeſtantes quomodò coërcendi, & an Internuntijs rediuiui Demetrij fides habẽda, ijſque vt à legitimo Principe miſſi tractandi. Priuatorum Procerum domeſticâ diſſidia, audaceſque in mutuam perniciem armatorum inſultus, vt coërcendi. Dictis à Senatoribus ſententijs, concluſum eſt, clementiâ potiſſimùm Regiâ domeſticum tumultum ſedandum, petendumque à Rege, vt publicæ quietis causâ ſuas iniurias benignè indulgere velit, ſpemque faciat breui Comitia indicturum, & quæ ordines vniuerſi legitimè à ſe petierint facturum. Intereà

Rex conſilij capiendi causâ præcipuos Senatores ad ſe euocat.

Summa propoſitorum à Rege in conſilio.

monendum Palatinum Cracouienſem, vt Senatus arbitrio ſe permitteret, & ſecundùm oblatas à Zolkieuio cõditiones, acceptataſque Regi reconciliaretur. Alios item eiuſdem ſeceſſionis auctores & comites, pari modo admittendos; aſpernantes verò Regiam gratiam, & nouos tumultus cientes, pręſidio legum, & ſi neceſſe foret, armis etiam coërcendos. Ad ſcribendum in præſidium Liuoniæ exercitum, ex Cracouienſi theſauro monilia depromenda, ijſque pignori datis, pecunia quæ centum millium florenorum ſummam expleret acquirenda: eo etiam reſiduum ex ærario Rauenſi pecuniæ impendendum. Negotium induciarum Sueticarũ Carolo Chodkieuicio committẽdum. Ne quis ſine ſcitu Regio ſigna ditionibus Moſchouiticis inferret edicto publico prohibendum. Internuntios Demetrij placere admitti, auditos autem tantiſper retinendos, donec cõpertum habeatur, quò noui iſtius impoſtoris conatus euadant: interim literas nomine Senatorum Regni ad Proceres Moſchouiæ dandas exquirendumq; cur legatos Regios contra ius gentium detineant, alioſque nobiles viros in nuptijs Demetrianis interceptos non dimittant, eo adiecto, id pręter ſcitum & voluntatẽ Regiam fieri, quod aliqui ex noſtris hominibus ad famam rediuiui Demetrij eò conceſſerint; ſed & hos Moſchouiam omiſſuros, ſi viciſſim ij, qui citra vllam culpam iſtic detinentur dimiſſi fuerint. Priuatos priuata arma circumferentes, monendos Regis & Senatus nomine, vt continuò arma deponant, ſi parere noluerint, in ius vocandos, contumaciores verò etiam acrioribus modis coërcendos. In eum ſenſum facto pręſcriptoque Senatuſconſulto, prima ea cura Senatui fuit, vt Palatinum Regi reconciliarent. In grauem is inciderat morbum, & creſcente eo in dies, vireſq; depaſcente, ita conciderat, vt publico concilio intereſſe non poſſet, & lecto affixus, ægrè reſponſa daret: Neque tamen ea res impedimento fuit, quominùs Senatus cœptum pacis conciliandæ opus proſequeretur, ſcriptis omnium, qui præſentes erant nomine, ad Palatinum Cracouienſem hoc ſenſu literis. Quibus hactenùs medijs vſus ſit Senatus, vt eos qui in ciuili diſſenſione à publico conſilio ſeceſſionem fecerant, ad concordiam adduceret, non latere Palatinum: ſpretas fuiſſe fraternas ſuas cohortationes, armatiſque cohortibus temerè conceptas opiniones promotas, excitatum in Republicâ tumultum, & poſtremò acie de iure certatum: id cuius culpâ eueniſſet, Deum qui meliori parti fauit indicauiſſe. Sed deinceps quoque & Regiam ſemper omnibus qui in contrarijs erant partibus patuiſſe clementiam, & Senatus in conciliandâ eâ ſingulare enituiſſe ſtudium; dimiſſos à Rege fuiſſe exercitus, nec in victos ſæuitum: omnes hactenùs id votis omnibus exoptaſſe, vt pax Reipublicæ reſtitueretur; ipſum Palatinum nonnullis ſignificaſſe, ſe arbitrio Senatus ſtaturum; eandem Palatini voluntatem ſenatui & Palatino Kijouienſi (Zolkieuius ſecundùm mortem Conſtantini Oſtrogij proximè eâ dignitate à Rege ornatus erat) explicatam eſſe. Nunc igitur conditionibus, de quibus

Literæ à Senatu ad Palatinum Cracouienſem.

quibus hactenùs actum eſt ad trutinam iudicij expenſis, cenſuiſſe Senatum, vt Kiiouienſis Cracouienſi Palatino eas nomine publico offerret. Non dubitare ſenatum amplexurum ſecuturumque Palatinum Cracouienſem concordẽ ampliſſimi ordinis conſenſum, deſiderioque omnium ſtatuum ſatisfacturum, nec Regis gratiam aſpernaturũ. Veniret itaque, ſeque ad diem decimam ſextam Maij ſiſteret, ſpondere ſenatum, ſi eius voluntati paruerit, ac præſcriptis conditionibus ſatisfecerit, non modò eum ſecurum fore, ſed priſtinum etiam dignitatis gradum recuperaturum, & Regiam clementiam experturum. De ijs quæ hactenùs in diſceptatione fuerunt, in Comitijs proximis actum iri, eâ eſſe Regem voluntate, vt ad præſtanda ea quæ ordines Regni legitimè popoſcerint, promptũ paratumque ſe fore profiteatur, vniuerſum denique Senatum in eiſdem Comitijs libenter ſua ſtudia ad obtinenda decernendaque ea, quæ expedire publicæ ſaluti videbuntur, accommodaturũ: cætera ex Petro Ozga Iudice Leopolienſi, per quem eiuſmodi literæ mittebantur, quæ ad hoc negotium pertinent, Palatinum intellecturum. Simul ſcripto conceptæ conditiones, quibus ad Regis conſpectum admittendus eſſet Palatinus, eius tenoris miſſæ. Pacatus, & eo comitatu, quo anteà vti conſueuerat, Cracouiam veniret. Nullos milites, nullum bellicum apparatum ſecum adduceret. Publicè & in præſenti Senatorum conſeſſu, & poſteà in proximis Comitijs fateretur, ſciretne vltra ea quæ iam in Rocoſſianis conuentibus vulgauerat aliqua, quæ palàm proferri oporteret, & ſi nihil reliquum tale, quod hactenùs in ſuſpicionem vocabatur ſupereſſet, idipſum declararet, nec amplius inani expectatione vulgi animos detineret, aut ad rerum nouarum ſtudium cuiquam occaſionem præberet. Ad Regis conſpectum & in Senatum admiſſus tali vteretur oratione. Sereniſſime Rex, Domine Clementiſſimè, In omnibus prætéritis actionibus deſtinatiſque meis, non ea fuit mens mea, vt maleuolo animo erga Maieſtatem Veſtram eſſem, dignitatemque eius, quam vitæ ſalutiſque meæ diſpendio paratus ſemper fui tueri oppugnarem: ſed quia ita mihi priuatim videbatur, quaſi publicæ ſaluti diſcrimen immineret, neque à Maieſtate Veſtrâ conditionibus, de quibus inter eam, & Ordines Regni in Comitijs Electionis conuenerat ſatisfieret. De eo quoniam aliter & Senatus, & Ordines Regni iudicant, ego eorum ſecutus ſententiam nihil ampliùs mihi arrogabo. Peto à Maieſtate Veſtrâ, vt & ea quæ hactenùs à me ſuſcepta geſtaque ſunt, benignè mihi indulgeat, & deinceps gratiâ Regiâ me complectatur; ego viciſſim recipio me non modò deſtinata mea à quibus iam recedo non promoturum, ſed etiam fide integrâ & humillimis obſequijs gratiam Maieſtatis Veſtræ promereri adniſurum. Et non ſolùm ipſe id facturum me polliceor, ſed alijs auctor futurus ſum, vt depoſitis rerum nouarum ſtudijs iure & legibus Regni præſcriptis medijs, ſub felici Maieſtatis Veſtræ imperio contenti ſint, neque vllos conuentus agant,

Conditiones quibus ad Regis conſpectum admiſſus Palatinus.

Verba Palatino à Senatu præſcripta, quibus Regem deprecaturus erat.

& si quid tale à quoquam tentatum fuerit, me pro officio fidelissimi Maiestatis Vestræ Senatoris, syncerè opponam. Ac si fortè cui videor, eò quòd in conuentu Rocossiano obedientiæ Maiestatis Vestræ renuntiauerim, semel datæ fidei derogasse, nunc me fidemque meam obstringo denuo & vinculo sacramenti ad parendum Maiestati Vestræ obligo. Reliquæ conditiones hæ erant. Scita præteritorum Comitiorum arbitrio futuri conuentus relinquantur, si quid in ijs mutandum videretur. Iam verò quia priuatâ auctoritate indicti conuentus & cœtus coacti, tantorum motuum Reipublicæ maximè perniciosorum causam præbuerunt, deinceps Palatinus non modò se illis aperto vel tacito fauore non immisceret, verùm etiam vnà cum Rege & Senatu eis obuiàm iret: per hoc tamen nihil derogatum censeatur, præscriptis legibus Regni tuendarum legum & libertatum modis. Priuatas quæ Palatino cum Senatoribus ac Regijs magistratibus interueniunt inimicitias, eas iudicio Senatus definiendas permitteret, ipse interim pacatè se gereret, cùm vicissim & illi idem facere teneantur. Eos qui in hac secessione Palatino adhæserunt, fidemque abrogato temerè Regi regno exuerant, postquàm eam dato nouo iureiurando resumpserint, ac legitimis medijs gratiam Regiam quæsierint, facilem & promptum ad eam aditum habituros. Conditiones istas simul cum literis nomine Senatus scriptis, detulit Petrus Ozga ad Palatinum, qui cùm idem sibi in votis fuisse respondisset, breui & succinctæ præteritarum suarum actionum factâ commemoratione, constanter affirmauit, eò etiam omnia sua destinata spectasse, vt saluis Regni iuribus imperium Regium firmum esset: nunc tam amicâ Senatus inuitatione vocatum, se, quamuis æger sit, venturum, & eò libentiùs omnes rationes Regis placandi amplexurum, quando intelligat Senatu ipsum affirmante & pollicente, Regem paratum esse, in ijs de quibus hactenùs actum est voluntati & desiderio ordinum Regni sese accommodare.

Venit tandem Cracouiam die decimâ sextâ Maij, quem Zolkieuius obuiàm progressus, ad conspectum Regis deduxit. Rex tum diuturno acrioris febriculæ morbo debilitatus, cùm non satis vires, vt in publicum prodiret suppeterent, sede sedentariâ elatus exsanguis & pallidus, Senatui præsedit. Ad ingressum Palatini assurrexit Senatus, & ille in primo limine subsistens, ex præscriptâ formulâ verba ad Regem fecit. Respondit Regis nomine Cancellarius Regni, Vel ipsa, inquit, perturbati Reipublicæ status commemoratio, grauis & peracerba est Regię Maiestati: vndecunque illa ortum habuit, omnes certè in summum adduxit discrimen, dignitas Regia violata, depressa auctoritas Senatus, leges consuetudinesque Patriæ immutatæ, libertas in licentiam versa, salus patriæ periculosi certaminis aleæ obnoxia facta, fides Principi debita, quâ semper cæteris nationibus præcellere existimati sumus infamata. Si quæ suspicio imminentis periculi animo obuersabatur, cur ea Senatui non patefacta

Palatinus Cracouiensis Regem deprecatur.

Regis nomine Cancellarij ad Palatinum oratio.

facta est? cur in Comitijs more maiorum non proposita? cur iudicio & examini eorum quorum id in Republicâ munus est non subiecta? sed priuato magis arbitrio fidere visum, & extraordinarijs vti medijs, quibus id effectum est, vt tot Reipublicæ calamitates, & cruenta dissidia, vix satis deplorari possint. Eò maiorem dolorem ex eo capit Regia Maiestas, cui Rex Regum curam salutis publicæ in hoc Regno perliberam electionem ordinum tradidit, quominùs sibi conscia est, se vnquàm muneri suo deesse voluisse aut aliquam iustam causam tantis motibus dedisse: cumque Rex semper paratus fuisset, iustis postulationibus subditorum annuere, vis certè ad ea obtinenda vel extorquenda minimè fuit necessaria. Et quoniam superiorum actuum te ipsum pænitet, & saluis legibus fidem tuam Regiæ Maiestati obstringis, vicissim & Regia Maiestas, cùm salutem publicam priuatis suis iniurijs libenter anteponere soleat, benignè ea omnia quibus se offensum meritò arbitratur, obliuione perpetuâ abolita esse vult, rata pari, qualem antè expertus est, synceri animi voluntate, te erga se deinceps futurum. Deumque precatur, vt his quas in vindictam scelerum immisit pœnis exolutos, nos pacato & florenti Reipublicæ statu perfrui concedat. Versus deinde Palatinus ad Senatum, Volui, inquit, iam pridem in hoc amplissimo consessu comparere, ni quædam hactenùs impedimento fuissent, idque in meliorem partem interpretentur. Cæterùm cùm me arbitrio Senatus pariturum recepissem, feci id quod vobis visum fuit, & cætera me executurum polliceor. Et quoniam id à me postulatum fuit, hîc vt proferrem, si quid prætereà quę in anteactis conuentibus à me vel scripto vel dicto vulgata sunt superesset, quod patefacere oporteret, ingenuè fateor, nihil tale reliquum esse, & ea quæ hactenùs à me prolata fuerunt, ex sensu priuatò opinioneque meâ originem habuisse. Existimaui summam Reipublicæ agi, & eius quod illi imminere arbitrabar periculi auertendi causâ, Deum testor me omnia fecisse. Nunc id mihi optatissimum est, vt meâ curâ Respublica pristinæ tranquillitati restituatur, si quid præter vestram intentionem hactenùs à me factum gestumue est, id mihi fraternè indulgeri peto. Ad ea Ioannes Zamoscius Archiepiscopus Leopoliensis quòd primum tunc in Senatu teneret locum. Aduersa Regiæ Maiestatis valetudo breui sermone me vti iubet, nec ego facundiam vnquàm exercui. Gratulatur sibi Senatus non frustrà susceptos fuisse labores, in conciliando te Regi, multis lęso iniurijs; vtiliùs certè tot curæ & sumptus alibi impendi potuissent, quod & tibi honestiùs fuisset, & Reipublicæ magis salutare: præstitit sanè is ordo quod sui muneris fuit. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ. Satis quidem hactenùs magnum documentum dedimus fidei nostræ erga Principem, satis in curandis Reipublicæ vulneribus sumptuum impendimus, neque ordinem istum amplissimum, vel salutis, vel fortunarum, vel existimationis, quæ maxima meritò censeri solet iactura deterrere potuit, quin munus suum exequeretur,

Palatini Cracouiensis ad Senatum sermo.

Nomine Senatus eidem responsum.

queretur, & dissociata diuulsaque membra vinculo charitatis adstringeret, obliuioneque potiùs, quàm vindictâ, tot acceptas iniurias aboleret. Quantum eo nomine Senatui debeas, qui maiorem tuæ securitatis & dignitatis, quàm ingentium offensarum rationem sibi habendam existimauit, velim tecum ipse expendas: maximè cùm negari non possit, tuis actionibus & priuatim, & publicè omnes meritò fuisse offensos: vtque hæc semper Senatus improbauit, constanterque damnauit, ita nunc nec tibi ipsi, ea quæ à te suscepta gestaque sunt, placere existimat. Ac quemadmodùm hîc proximè fassus es, nihil te scire ampliùs, præter ea quæ scripto & sermone in præteritis conuentibus in medium attulisti, id & in futuris Comitijs te facere, palamque fateri oportebit, ne deinceps quisquam inani opinione ad tumultus ciendos feratur. Sed tot perfunctos periculis & calamitatibus, id vel maximè solatur, quòd Regia Maiestas senatus sui preces aspernata non fuerit, priuatas offensas Reipublicæ cōdonauerit: hunc Regium animum & præsens ætas summâ veneratione prosequetur, & posteritas nostra gratâ recolet memoriâ. Cætera Regi cum alijs communia sunt, sic bellici decoris partem Duces, partem milites sibi vsurpant, clementiam & benignitatem, quâ erga ciues vteris, tibi soli Serenissime Rex acceptam ferimus, simulque eo nomine vniuersus Senatus tibi gratias agit, & rogat, vt non defatigeris in conseruandis viris bonis; eâ re & vniuersum Polonum nomen tibi ad obsequium obstrictum reddes, & Diuinum fauorem heroicâ istâ animi magnitudine, ac verè Regijs virtutibus promereberis.

Rei gestæ series edicto Regio ad notitiam omnium deducitur.

His eo die peractis mox consultatum conclusumque fuit, vt tota rei gestæ series, in modum edicti & Senatusconsulti promulgaretur. Explicatum eo fuit, Regem vt hactenùs nihil non egisse, quo pax Reipublicæ restitui posset, ita postremò arbitrio Senatus totam eam causam permisisse: venisse & Palatinum Cracouiensem in Senatum, & postquàm conditionibus à Senatu præscriptis satisfecisset, receptum esse à Rege in gratiam, reliquis, si idem fecerint, aditum quoque patere, nec quenquam exclusum iri. Seditiosos turbulentosque manere pœnas legibus præscriptas, eas, nisi resipuerint, & ad officium redierint Regem executurum irrogaturumque: nec siturum, vt impunè quis deinceps vel armatos cœtus cogere, vel Rempublicam seditiosis conuentibus perturbare audeat. Comitia potiùs proxima vnusquisque expectaret, in ijs actum iri de his, quæ adhuc vel corrigenda, vel de nouo statuenda ordinibus Regni videbuntur: quorum legitimum concordemque consessum, Regem libenter comprobaturum, nec vllas rationes pacandæ Reipublicæ, stabiliendæque pacis cum incremento iurium & libertatum Regni non acceptaturum.

Summa benignitatis in Sigismundo III. exemplum.

Dimisso eo conuentu, noua quædam Reipublicæ facies & spes affulgere visa est, certatim Rocossianorum partium hominibus ad reconciliandum Regem confluentibus; nec vllus fuit, quem indignum veniâ Rex censeret; etsi atrocibus quorundam dictis, à famosis libellis læsus

læsus esset. Inter alios etiam Herburtus, qui nefariæ cum Batthoreo Transiluaniæ Principe in Regem conspirationis conuictus erat, qui priuatim multas cædes fecerat, Lublinum aliaque nonnulla oppida excussis mercatoribus fortunis spoliauerat, ac liberis hominibus pecunias imperauerat, datâ cautione quod deinceps quieturus esset, dimissus est. In eo etiam conuentu Alberto Baranouio Archiepiscopo Gnesnensi renunciato, in Vladislauiensi Episcopatu successor datus est Matthias Pstrokonski de Buzenin, Episcopus Premisliensis Regni Cancellarius. Sed nos id quod nobis propositum fuit executi, finem scribendi facimus, hoc tantum adijcere libet; his ipsis diebus cessisse è vitâ Mariam Caroli Archiducis Austriæ olim vxorem, Constantiæ Reginæ Poloniæ matrem. E Bauaricâ familiâ illi genus fuit, nupta, vt dixi, Carolo Archiduci, & numerosâ susceptâ sobole, marito vitâ functo, liberorum curam gessit, in quibus educandis ita versata est, vt domus ea pietatis, & omnium virtutum sedes esset. Virilis planè animi matrona, & cui Respublica Christiana debet, præter filios summis imperijs destinatos, tres prætereà Reginas magnorum Regum matres, Annam & Constantiam Sigismundo Poloniæ, Margaritam Hispaniarum Regibus nuptas.

Matthias Pstrokonski Episcopus Premisliensis Regni Cancellarius Episcopus Vladislauiensis Nominatus.

Mors Mariæ Bauaricæ Archiducissæ Austriæ.

Causæ cur Sigismundus Rex Poloniæ bellum Moschis intulerit ad Imperatorem Matthiam missæ.

SARMATICIS populis, qui partem eam Orbis quæ Septemtrio dicitur, & longè latèque etiam in Orientem protenditur insederunt: eadem origo, lingua moresque semper fuerunt. Et quamuis ij diuersis nominibus insigniti imperia diuisa haberent, cognati tamen sanguinis necessitudo, nunquàm ita vel mutuis odijs, vel æmulatione quæ inter pares maximè locum habet extingui potuit; quin mutuis fœderibus societatisque iuribus se obstringerent, affinitatibus coniungerent, & quodammodo vnius originis populum se esse profiterentur. Ante mille annos etsi obscura Sarmaticæ gentis rerum gestarum memoria exstet, quòd nemo esset qui eas literarum monumentis consignaret; tamen ex bellis quibus illi Imperium Orientis sæpè infestarunt, & ex vestigijs propagati Imperij apparet, Russos potentiâ & opibus multum valuisse. Summæ rei præerat is qui Kijouiam in potestate habebat, quo nomine quidquid modò Moschorum appellatione censetur, continebatur. Nec pigebat Basilium & Constantium Orientis Imperatores, datâ Volodimiro Kijouiensium Duci, Suentoslai ex cõcubina filio, acri & bellicoso viro in vxorem sorore Annâ, pacem initâ affinitate redimere; quod accidisse circa annum Domini Nongentesimum septuagesimum primum, vel paulò infra Scriptores tradunt. Sed cùm Volodimirus vt rebus gestis, ita prole felix duodecem reliquisset filios, atque Glebo & Borysso Kijouiâ & quid-

Sarmatæ Orientis imperium infestarunt.

Inter Sarmatas Russi potentiâ & opibus multum valuerunt.

Chiouiensis ditionis nomine quidquid modò Moschi tenent continebatur.

Basilius & Constantius Orientis Imperatores Volodimiro Kijouiæ Duci sororem suam Annam in matrimonium dederunt Anno 971.

Volodimirus inter filios dominium partitus.

Inter eos discordiæ. Suentopelcus Chiouiæ Dux Boleslai Chobri Poloniæ Principis Vasallus anno 1008. Iaroslaus Suentopelci frater rebellis à Boleslao victus & tributarius effectus. Iaroslai sororem accepit in matrimonium Casimirus ex Monacho, dispensatione Apostolicâ, Poloniæ Rex. Boleslaus Audax Isaslaum Ducem Chiouiensem deiectum restituit, & vectigal Regi Poloniæ soluendum imponit. Boleslaus Kriuoustius aliquoties rebelles Rußos domuit; idem fecit Boleslaus Crispus. Tartari Rußiam incursarunt & duodecim Rußiæ Duces vno prælio deleuerunt, & partem Rußiæ occuparunt. Aliqui Rußiæ Principes in ditionem Poloniæ concesserunt, aliqui à Lithuanis subiecti. Lithuania Regno Poloniæ vnita.

quidquid modo Russiæ, Podoliæ, Belzensi & Kiiouiensi Palatinatibus censetur concessâ, cæteris filijs alias regiones, nempe Nouogrodum, Poloscum, Turouiam, Rostouiam, Muromum, Dereuim, Vlodimiriam, Porocanum, Smolenscum, Plescouiam, Votiniam attribuisset; orto mox inter fratres dissidio Glebo & Borysso cæsis, Suentopelcus etiam expulsus est. Qui cùm ad Boleslaum cognomento Chrobri Regem Poloniæ confugisset, atque ope illius cæteris fratribus victis Principatum Kiiouiensem recuperasset, Vasallum & fiduciarium Principem se Regi & Regno Poloniæ fore professus est; quæ sub annum Domini Millesimum octauum acciderunt: quo tempore Poloni Christianâ religione paulò antè initiati, Regioque decore parto, virtute & rebus gestis clarescere cœperunt. Decimo pòst anno cùm Iaroslaus Suentopelci frater Kijouiensium Dux, rebellasset; victus is quoque ab eodem Boleslao Rege, leges conditionesque pacis quas victor dedit, accepit, tributumque se depensurum pollicitus est. Huius Iaroslai sororem Casimirus Monachus Rex Poloniæ cùm in vxorem duxisset, indulgentiùs erga affinem se gessit, atque aliquantisper de summo iure decessit; neque aliud ab eo nisi contra omnes hostes auxilia exegit. Boleslaus audax, Casimiri filius matre Russâ genitus, Isaslaum Iaroslai filium, à fratribus Kijouiensi Principatu exactum restituens, Regni quoque Poloniæ maiorumque suorum ius asseruit; namque victis ijs qui Isaslaum Principatu deiecerant, eum summæ rei præesse iussit, & vectigal Poloniæ Regibus soluendum, non pecuniæ tantùm sed rerum etiam omnium ad victum cultumque corporis pertinentium imposuit: quę ab anno Millesimo sexagesimo nono compluribus deinceps consequentibus annis gesta fuisse memorantur. Hæc sunt vetusta Polonici Imperij in Russos iura, quæ longo temporis tractu istic propagata viguerũt, neque vnquam ex integro interuersa sunt; nam & Boleslaus Kriuoustius aliquoties rebellantes Russos armis fregit, & Boleslaus Crispus cum victore exercitu ad Kijouiæ vsque mœnia progressus, à victis conditiones exegit. Accidit aliquot pòst annis, vt Tartari Scythica gens immani mole effusa Russiam inprimis ingenti clade affecerit: duodecim Principes vno prælio victos conciderit; vastatisque Poloniæ & Hungariæ Regnis, terrorem nominis sui Europę intulerit: ac postremò partem illam Russiæ quæ in Orientem & Septemtrionem vergit in suam redactam potestatem, graui seruitute oppresserit. Cæteri Russiæ Principes partim in ius ditionemque Regni Poloniæ cesserunt, partim à Lithuanis subiecti sunt, nam ij Smolenscum, Poloscum, Rostauiam, Vlodimiriam, Magnum Nouogrodum, & vniuersum Seueriensem Ducatum tenuerunt; vniuersasque has Prouincias cùm Vladislaus Iagello ad regnum adscitus esset, Reipublicæ Polonæ vnà cum Lithuaniâ addixerunt. Anno demum Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo Casimiro Iagellonide rerum in Poloniâ potiente & bellis Pruthenicis Hungaricisque occupato, Ioannes Moschouiæ

Moſchouiæ Dux excuſſo Tartarico iugo, occupato imprimis & omnibus theſauris ſpoliato magno Nouogrodo, partiſque ingentibus opibus; Vlodimirienſẽ, Tuerenſem, Moſaiſcenſẽ, Sudailiſaiſenſem, Pſcouienſem, Roſanenſem, & magnam partem Seuerienſis Ducatus, partim dolo, partim vi, nonnulla etiam falſo ſucceſſionis nomine occupauit, & patrimonium quondam Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, maiorum ſanguine partum, ad ſe tranſtulit. Idem Alexandro Regi, cui filiam matrimonio iunxerat, immemor affinitatis Anno Milleſimo quingenteſimo Drohobuſum, Toropecum, Biallam, Branſcum genero abſtulit: Seuerienſeſque Duces leui de cauſâ Regi offenſos, & iam anteà ſuis ditionibus à Moſcho exutos, in ſuam fidem (ſed cui mox illi ſanguine litarunt) pertraxit. Eius filius Baſilius Anno Milleſimo quingenteſimo decimo tertio Smolenſcum arcem longâ obſidione fatigatam, Glinſcio transfugâ & proditore Ruſſis qui in præſidio arcis erant proditionem ſuadente dedentibus fraude intercepit: & procul dubio promouiſſet vlteriùs vim potentiamque ſuam, niſi Sigiſmundus Primus, feliciſſimo ad Orſam prælio, octuaginta Moſchorum millibus partim cæſis, partim profligatis incenſum regnãdi libidine animum ambitioſi hominis compreſſiſſet, atque ad petendam deinceps pacem coëgiſſet. Hæc eſt illa hæreditarij & internecini belli, quod inter Moſchos & Polonos hoc trãſacto ſeculo vario euentu geſtum eſt, cauſa. Nec nunc de interceptâ ab ijs auulſaque à Regno Liuoniâ querimur: nam hanc ac prætereà aliquot arces à Lithuaniâ abſtractas recentibus Stephani Regis Poloniæ victorijs fractus, Ioannes Baſilij biennalibus vix impetratis inducijs reſtituere coactus eſt. Filius iſtius Ioannes Theodorus, mitis ingenij Princeps & religioni ad ſuperſtitionem vſque addictus, fraude Hoduni vnà cum fratre Demetrio adhuc impubere, extinctus eſt. Hodunus rerum potitus viginti annorum cum Rege Sigiſmundo III. inducias iecit, ſed fraude partum imperium diu retinere non potuit: nam ſceleris ſibi conſcius ad falſam rediuiui Demetrij famam concidit, moxque veneno ſublatus periit. Pſeudo-Demetrius procul dubio ignotæ ſtirpis homo, & vt poſteà compertum eſt, monaſticæ vitæ quam primò profeſſus erat deſertor, non tam Polonorum ope, (quamuis hac quoque priuatorum ſtudijs comparatâ eum ſubnixum fuiſſe negari non poteſt) quàm Moſchorum fauore Principatum adeptus, de nouis cum Regno Poloniæ fœderibus ſanciendis conſilia inire cœpit. Miſſæ eius rei cauſâ publico Principis Procerumque nomine Moſchouiæ ſolennes legationes, petita dataque à Regiâ Maieſtate facultas, accipiendæ nouo iſti Demetrio in vxorem Marinæ Georgij Mniſzek Palatini Sendomirienſis filiæ: conſtituta pacta matrimonialia, inuitata Regia Maieſtas, ac nobiliſſimi è gente Polonâ ad cohoneſtandas nuptias. Cuius rei cauſâ cùm & legati Regij, & multi nobiles Poloni, illuſtri loco nati, freti nouæ amicitiæ, gentiumque iure, eo profecti fuiſſent, inter ipſa hoſpitalis menſæ ſacra, concitâ

Ioannes Moſchouiæ Dux magnam Ruſsiæ partem occupauit.

Idem Alexandro Poloniæ Regi genero ſuo aliquot arces abſtulit, & Seuerienſes Duces ad ſe pertraxit.

Baſilius Moſchouiæ Dux arcem Smolenſcenſem proditione intercepit 1513.

Aliquot arces in Liuonia & Lithuaniâ abſtractas Stephanus Primus Poloniæ Rex à Moſchis recuperauit.

Ioannes Theodorus Moſchouiæ Dux extinctus fraude Hoduni, qui veneno ſublatus.

Demetrius impoſtor Moſchouiæ Ducatum adeptus.

Idem in vxorem accipit filiam Georgij Mniſzek Palatini Sendomirienſis filiam.

Demetrius cæſus eſt.

tâ à Suiſcio ſeditione, cæſo inprimis Pſeudo-Demetrio, legati Regij violati, & ſub cuſtodiam dati, alij crudeliſſimè cæſi, omnes bonis exuti in carceres coniecti ſunt. Poterant Moſchi, ſi Demetrius iſte nouus ijs inuiſus fuit, priuſquàm eò Poloni veniſſent excutere impoſtoris iugum, & ſe in libertatem vendicare; ſed occaſionem exſaturandi in genus Polonum odij præſtolantes, amicitiæ ſpecie deceptos & irretitos oppreſſerũt; vt quâ fide cum vicinis agere ſoleant teſtatam facerent. Licuit tam inſigni acceptâ iniuriâ Regiæ Maieſtati bello proſequi fœdifragos, contumeliamque vlciſci: nec enim quiſquam fœdere cum Hoduno icto, quod cum perſonâ illius extinctum erat, eum teneri dicere potuit. Sed cùm non temerè ſibi eò deſcendendum exiſtimaret, iureque potiùs quàm vi experiri mallet: legatos nouos, qui & ius gentium violatum quererentur, & res clarè repeterent eò miſit; qui & ipſi à Suiſcio ſub cuſtodiâ habiti, & vltra annum detenti ſunt. Captorum cæſorumque in Moſchouiticis nuptijs iniuria cognatos affineſque eorum ita affecit, vt de eâ referendâ conſilia inire cœperint. Hi inſciâ Regiâ Maieſtate, & inconſultâ, atque etiam, cùm id palàm factum eſſet, ſeuerè prohibente, coadunatâ militari manu, fines hoſtium tranſgreſſi, tantos mox progreſſus fecerunt, vt cæſis aliquot Moſchorum (quid enim virtuti iuſtò accenſæ dolore arduum & difficile eſſe poteſt?) exercitibus, ſub ipsâ Metropoli Moſchouiæ conſtiterint: intra mœnia hoſtem ſubmouerint, ac penè obſeſſum, pedem ex vrbe efferre prohibuerint. Hac neceſſitate fractus & adactus Suiſcius cum legatis Regijs agere cœpit de pace conſtituendâ: erat iam inuiſum nomen Suiſcij apud Moſchos, paſſimque Tyrannicum & impotentem eius dominatum Proceres aſpernabantur: quippe eâ crudelitate imperium exercuerat, vt quadraginta & ampliùs hominum millia Senatorij & militaris Ordinis ſuâ ſententiâ diuerſis temporibus capitali ſupplicio addixerit, multa alia inaudita ſæuitiæ facinora ediderit, omnia cæde & ſanguine compleuerit. Quare multi ijque primarij viri egerunt cum legatis atque alijs Polonis, quos Suiſcius ſerò ductus pœnitentiâ, è vinculis dimittebat, ſuaderent Regiæ Maieſtati, vt ad capeſſendum Moſchouiticum imperium, exſtinctâ veterum Ruſſiæ Ducum ſtirpe, illi ipſi maternum genus ſecundùm Iagellonicam domum ex eadem gente ducenti debitum animum adijceret. Hæc cùm ad Regiam Maieſtatem delata eſſent, & ſatis appareret, exacto, quod futurum erat, Suiſcio, Principatum illum vel ad Demetrium, quem cæſo illi priori impoſtori quo fucum imperitæ multitudini facerent ſubrogauerant, deuolutum iri: vel certè Moſchos deſperatione adactos ſub Turcicum aut Tartaricum imperium, quemadmodùm anteà fecerunt, conceſſuros, aut denique Principem aliquem externum nomini Polono infenſum adſcituros: perſuaderi ſibi paſſa eſt Regia Maieſtas, vt hac de re ex publico ordinum Regni conſenſu cogitationem ſuſciperet. Profecta itaque eò eſt Regia Maieſtas cum exercitu, à Moſchis ipſis accerſita, & rei benè gerendæ præ-

Moſchorum in legatos cæteroſq; Polonos crudelitas.

Suiſcius rerũ potitus, Moſchis inuiſus.

Moſchi Sigiſmundum Tertium ad Moſchouiæ Ducatum capeſſendum inuitant.

Cauſæ profectionis Sigiſmundi Regis in Moſchouiam.

clarâ occaſione inuitata; primò quidem vt vetuſtum ius regni tot ſæculis non temerè vſurpatum, ſed legitimè quæſitum firmaret, deinde vt interceptas auulſaſque à Regno & Magno Ducatu Lithuaniæ ditiones recuperaret; tum vt illatas iniurias violatumque temeritate Suiſcij ius gentium vindicaret: poſtremò quæ prima & potiſſima ipſius profectionis fuit cauſa, ageret curaretque ne mutatio illius Septemtrionalis Imperij, cui tot Principes, Catholici & Chriſtiani nominis iurati hoſtes imminebant, aliquod detrimentum Reipublicæ Chriſtianæ adferret. Non latebat Suiſcium pleroſque è ſuis pronis in Regiam Maieſtatem animis propendere, ſuamque Tyrannidem vulgo inuiſam eſſe: igitur circumſpectanti cuncta conſultiſſimum viſum, cum Carolo Sudermano, Regiæ Maieſtatis hoſte conſiliorum ſocietatem inire: ratus hunc & opportunum fore ſuis rebus, & omni ope adniſurum, vt Regiæ Maieſtatis conatus in irritum reciderent. Nec inanis hæc erat opinio, nam Carolus alienis opibus ſuum in Regiam Maieſtatem odium expleturus, acceptâ grandi à Suiſcio (qui tot ſeculis à Principibus Moſchouiæ congeſtam rem in eum vſum effudit) pecuniæ ſummâ, militẽ ex Germanis, & Gallis atque Hollandis magno numero primo quoque tempore conſcribendum curat: partem iſtius exercitus in Liuoniam ad ſtabiliendas res ſuas eo vſurus mittit, longè maiorem in Moſchouiam tranſportat. Ac in Liuoniâ quidem virtute Caroli Chodkieuicij Lithuanicarum copiarum ſupremi Præfecti effectum eſt, vt nihil memorabile exercitus is efficere potuerit iſtic; imò pluribus amiſſis, irrito vbique conatu inde excedere, & in Moſchouiam ſigna transferre coactus fuerit. Cæterùm Suiſcius tantis auctus ſubſidijs, non modò ſubditos ſe in fide & officio continere poſſe confidebat; verùm etiam omnino ſibi perſuaſerat, id ſe tantis copijs, quas ſelecto ex Moſchis quadraginta millium exercitu firmauerat conſecuturum, vt Regiæ Maieſtatis & Polonorum vires breui in anguſtiam redactas minùs ſibi formidabiles efficeret. Iam Regia Maieſtas Smolenſcum eo tempore obſidione magis, quàm oppugnatione premebat; ſalutari ſanè conſilio, ne militem ſuum, munitiſſimæ arcis impedito & difficili acceſſu in diſcrimen conijceret; ſpeſque interim affulgeret ex ſucceſſu rerum, hoſtes depoſitâ pertinaciâ ad æquas conditiones deſcenſuros; ſed creuerunt obſeſſis mox animi, poſtquàm intellexiſſent Demetrium Suiſcij fratrem cum exercitu potenti ad ſoluendam obſidionem venire. Quadraginta Moſchorum, (vt dixi) octo externi militis erant millia, non deerant qui relicto Smolenſco contra hoſtem totis viribus eundum eſſe cenſerent, contrà magis ex dignitate Regiâ viſum continuare obſidionem, parte exercitus ad arcendos hoſtes miſſâ. Partitis itaque copijs Staniſlaus Zolkieuius Palatinus Kijouienſis Regni militiæ Magiſter ire contra hoſtes iuſſus, ſummâ curâ & celeritate effecit, vt priùs ad hoſtem perueniret, quàm is quenquam ſibi oppoſitum iri, & pugnæ copiam facturum, ſuſpicari potuiſſet. Commiſſo itaque ad Clu-

Suiſcij cum Carolo Sudermaniæ Duce conſpiratio.

Smolenſcum obſeſſum à Rege.

O ſinum

ſinum prælio, quamuis Regius exercitus hoſtili longè numero impar eſſet, Ducis tamen prudentiâ, & virtute militum, fuſi fugatique hoſtes, exutus externis pręſidijs & à Moſchis deſtitutus Suiſcius, in poteſtatem Regiæ Maieſtatis vnà cum duobus fratribus redactus, ad Caſtra Regia tranſmiſſus eſt. Soluti metu & imperio Suiſcij Moſchouiæ Proceres, continuò cum Zolkieuio agere cœperunt, de ſtabili aliquâ certâque tranſactione conſtituendâ, quâ excluſis impoſtoribus Regij ſanguinis Principem habere poſſent, Sereniſſimumque Poloniæ Principem Vladiſlaum, quidam fide integrâ, nonnulli fraude, quod mox ex euentu patuit, dari ſibi petebant. Sed cùm paulò iniquiores conditiones proponerentur, deque illis inter Zolkieuium, & eos conuenire non poſſet, reiecta ea res ad arbitrium Sacræ Regiæ Maieſtatis. Intereà quò animum ſuum erga Regiam Maieſtatem & Sereniſſimum Principem Vladiſlaum, & quâ mente eſſent, palàm teſtarentur; vniuerſi populariter fidem dederunt, nullius vnquàm ſe imperium agnoſcere velle, niſi Sereniſſimi Principis Vladiſlai: adiectæ conditiones, firmata & ſtabilita pacta; ac ne quis ambigere poſſet eos integrâ fide agere, immiſſum vltro in Vrbem, receptumque Regium præſidium: communibus copijs ſubmotus grauis Metropoli hoſtis impoſtor Demetrius: denique nihil ſuſpectum, ſed omnia pacata & tranquillla videri poterant, ijs qui fraudis Moſchouiticæ ignari, rem ex præſenti ſtatu æſtimarent: Miſſi ad Regiam Maieſtatem legati, qui conditiones, ſecundùm quas Imperium Vladiſlao Principi deferebatur proponerent, darique eum ſibi Principem poſtularent. Erant eius legationis Principes Galicinus, & Mikiteuicius Metropolita Roſtouienſis, quorum ille Principatum ipſe ambiebat, hic quòd defunctis Moſchouiæ Ducibus affinitate connexus eſſet, ad filium ſuum ſupremam poteſtatem deferri cupiebat: vterque priuatas ſpes agitantes, clandeſtina fouebant conſilia. Quare fines mandatæ legationis tranſgreſſi, non modò de conditionibus quò ad eorum voluntatem ſcriptæ, non immeritò Regiæ Maieſtati ſuſpectæ erant, quidquam remittere volebant, ſed res quoque ex ſuo ſenſu interpretantes omnia turbabant. Moniti denique ab ijs qui in Moſchouiâ ſummæ rei præerant, vt voluntati Regiæ Maieſtatis ſe accommodarent, non modò non paruerunt mandatis ſupremi conſilij; verùm etiam ita ſe geſſerunt, vt non obſcurè appareret eos res nouas moliri. Eorum clandeſtinâ machinatione effectum eſt, vt populus rei ignarus, factâ conſpiratione ſeditionem mouerit, atque in Regium, quod in ipsâ Metropoli volentibus Moſchis relictum erat præſidium, impetum fecerit: paucos à multis facilè opprimi poſſe crediderant; ſed tantâ virtute veteranus multiſque bellis exercitatus miles, concitatam multitudinem ſuſtinuit, vt multis millibus cæſis reliqui vrbe exacti, vrbs ipſa flammis abſumpta fuerit. Quod damnum ingens ſanè, & vel hoſtibus ipſis luctuoſum ſuæ imputent Moſchi perfidiæ; ab ijs enim orta ſeditio, concitatuſque in perniciem Polonorum tumultus, non niſi incendio

Capto Suiſcio & exercitu Moſchouitico fato Moſchi Principem dari ſibi petunt.

Moſchi ſe nullius imperium niſi Vladiſlai Principis agnituros fidem dant.

contra quod poſteà tumultum excitant.

incendio & nobilissimæ vrbis excidio cohiberi, & vis extrema arceri potuit. Atque hæc est Moschorum perfidia, quâ in Regiam Maiestatem, & Serenissimum Principem Vladislaum vsi sunt; & quidem non omnes; nam fuerunt multi clari & illustres viri, quibus constanter seruatæ fidei laudem libenter Regia Maiestas attribuit. Posarscius postremæ notæ homo, & Trubecius specimen desertorum priuati commodi causâ credulo nimis populo imponunt, vt ipsi rebus præsint, atque Rempublicam sui arbitrij faciant, nihil intentatum faciunt, dummodò impediant, ne Principatus ille, sub legitimi imperij ius potestatemque veniat. Dicant quid velint, comminiscantur rebellionis causas, nullam iustam legitimamque inuenient, quam æquo rerum æstimatori probare possint, atque perfidiæ & periurij crimen à se amoliantur. Regia Maiestas, ius Regni, & magni Ducatus Lithuaniæ, quin vrgeat, intermittere non potest, recuperatas arces & ditiones quæ suis præsidijs tenentur, cùm ea retroactis seculis iuris Reipublicæ Polonæ fuerint sibi eripi non sinet, eos qui fidem suæ Maiestati dederunt, & partes Serenissimi Principis Vladislai secuti sunt, deserere, alienum à suâ dignitate existimat. Interim ij qui istius negotij moderandi componendique sibi partes deposcunt, diligenter dispicerent, expenderentque quid potissimùm ex vniuersæ Reipublicæ Christianæ vtilitate fieri oporteat. Cui rei cùm omnes conatus suos laboresque susceptos Regia Maiestas deuouerit, si quæ rationes ad hoc accommodatæ proponentur, eas se, vbi illis publicæ saluti, tranquillitatique ac suæ dignitati, & Reipublicæ Polonæ iuribus satis prospectum consultumque viderit, libenter complexuram profitetur.

De rebus Silesiacis Discursus.

IVRE merito Serenissimus Princeps Dominus Sigismundus Poloniæ & Sueciæ Rex commoueri debuit, cùm intellexisset status & Ordines Silesiæ, nouâ quadam confœderatione vrgere & cogere ordinem Ecclesiasticum, ad præstandum secundùm formulam ab ijs conceptam iuramentum; neque enim vel ipsi Silesij diffiteri possunt, liberalitate Regum Poloniæ, ortum habuisse primas in Silesiâ Ecclesiarum fundationes, illis quoque earum patrocinium deberi: & tot transactis seculis, Serenissimos Reges Poloniæ difficillimis quibusque temporibus, vti patronos non potuisse intermittere, quin periclitanti in eâ Prouinciâ rei Ecclesiasticæ opem ferrent; maximè cùm intelligerent, nihil istic nouari potuisse, quin id mox ad perturbandum statum Regni sui deriuaretur. Hinc grassante Hussitarũ rabie, ne pestis ea Silesiam inficeret, ne quod in alijs Bohemiæ Regni Prouincijs factum est, in Catholicos & viros Ecclesiasticos

Episcopatus & Ecclesiæ in Silesiâ à Regibus Poloniæ fundatæ.

Reges Poloniæ semper rei Ecclesiasticæ in Silesiâ prospiciebant.

Vladislaus Iagiello Rex Poloniæ Hussitarum rabiem à Silesiâ arcuit.

cos sæuiret, obstitit auctoritas Vladislai Iagellonis Regis Poloniæ: & meritò quidem, si enim id fieri siuisset, simul iurisdictiones Archiepiscopi & Episcoporũ Poloniæ, quæ per eam prouinciam latè extenduntur, violari permisisset. Habet Episcopus Cracouiensis in Silesiæ partibus per Ducatum Teschinensem, & Dominium Ptinense, vicinamque Seueriensi Ducatui oram, amplam iurisdictionem. Eodem nomine Episcopus Posnaniensis magnam Silesiæ partem Posnaniensi Palatinatui confinem complectitur. Vicissim Episcopus Vratislauiensis (qui Archiepiscopum Gnesnensem vti Suffraganeus Metropolitanum agnoscit) per ditiones Regni Poloniæ Territorij Vielunensis, Ostresouiensis, & aliquâ ex parte Palatinatus Calissiensis iurisdictionem itidẽ exercet. Abbas Paradisiensis bona præcipua fundationis suæ in Silesiâ possidet. Abbas Tinecensis Ecclesiam Orlouiensem in Ducatu Teschinensi Abbatiæ itidem titulo insignem, immediatè Monasterio Tinecensi subiectam habet. Præpositus Miechouiensis Ordinis Canonicorum Regularium Diui Augustini, Sepulchri Hierosolymitani Custodum Generalis Præfectus, & Patriarchæ Hierosolymitani Vicarius, eiusdem Ordinis Præpositos immediatè sibi subiectos Ninensem videlicet & Bitomiensem ordinat, instituit, & summâ cum potestate illis præest. Hæc communis iurisdictionis vicissitudo, hic coniunctarum prouinciarum nexus præter communia vicinitatis iura suo iure postulat, ne quid Silesij decernant, quod statum Regni Poloniæ perturbet; quod Ecclesiasticam iurisdictionem afficiat, ne Serenissimus Rex Poloniæ ferri leges Ecclesijs suo patrocinio subiectis, bona earum diripi, personas ad iniqua iuramenta cogi patiatur. Meminisse autem Silesij deberent, vnde exciderint, cuius olim corporis membra fuerint, quid Poloniæ, quid Regibus ipsis ob sanguinis communionem, ob vicinitatis iura, ob mutuorum commerciorum vsum debeant: quę si rectè expenderent, animaduerterent profectò, maiorem sibi habendam fuisse rationem paternæ cohortationis, quâ Serenissimus Rex Poloniæ eos à turbulentis consilijs abducere conatus est. Eadem plus quoque ponderis habuisset apud ipsosmet status & Ordines Regni Bohemiæ, si ijdem vetustæ amicitiæ iura potiùs tueri, quàm nouis consilijs vicinorum Principum, animos irritare maluissent. Aiunt illi quidem non coactos sed persuasione inductos esse, Prælatos, Abbates & reliquos omnes Capituli Vratislauiensis templi Cathedralis Canonicos, ad firmandum cum ijs, qui aliter de religione sentiunt fœdus: hoc quàm verùm sit testatur decretum sub nomine Principum, Ordinum ac statuum Augustanæ confessionis, in vtraque Silesiâ vltimo die Mensis Septembris Anno Millesimo sexcentesimo decimo nono publicatum, in quo inter alia hæc continentur. Simili modo ad eandem diem vigesimam primam Octobris (sic tamen vt pridiano vespere vrbem ingrediantur) peremptoriè & sub pœnâ confiscationis omnum

Iurisdictio Episcoporum Poloniæ per Silesiam;

& Episcopi Vratislauiensis in Poloniâ.

Abbatis Paradisiensis possessiones in Silesiâ.

Ecclesia Orlouiensis in Silesiâ Abbati Tinecensi subest.

Præpositus Ninensis & Bitomiensis subiectus Præposito Miechouiensi.

Silesia olim pars Poloniæ.

omnium bonorum, beneficiorum, redituum, & facultatum citabuntur omnes Catholici ſtatus tam ſpiritualis, quàm ſecularis, excepto tamen vnico ſtatu Ducatus Teſchinenſis, vtpote cuius adminiſtratoribus huius negotij per peculiarem conuentum curandi facultas commiſſa eſt. Prætereà etiam omnes commendatores & ſtatus minores, omnes Canonici Capituli ſancti Ioannis & ſanctæ Crucis, alijque Prælati, Abbates & Catholici religioſi Ciuitatis Vratiſlauienſis, qui ad eum vſque terminum dilationem ſui iuramenti impetrarant; hi omnes ad dictam & conſtitutam diem confœderationi iam ſæpiùs monitæ ſua nomina dare, eamque ſolenni iuramento confirmare tenebuntur. Hæc eſt veſtra inclyti Ordines ſuaſio, imperare, cogere, vim, exilium, bonorum ademptionem minari: & horum metu, liberos homines ad ſanciendum Catholicæ veritati contrarium fœdus, ad iuramentum veſtræ voluntati conſentaneum præſtandum adigere. Crediderim ego nullum, cui aliquid Catholici vigoris ineſſet, ſponte tam indigno Chriſtiano nomine periurio, ſe conſcientiamque ſuam contaminaturum fuiſſe, omneſque, qui in veſtras iurarunt leges, ſimul ac liceret faſſuros, ſe inuitos metu propoſitæ pœnæ iuraſſe. Sponte videlicet iurarunt, quibus atrox pœna propoſita fuit, & qui iam priùs veſtris Decretis Magiſtratu moti, officijs & dignitatibus exuti fuerunt: quos, quantum in vobis fuit, nullum ob crimen, niſi quòd Catholici eſſent, indignos qui aliquo loco cenſerentur, quibus rectè quid committi & credi poſſet, quique aurâ Patriæ fruerentur iudicaſtis. Veſtra Decreta ſunt, in Ducatibus hæreditarijs non niſi Euangelici Capitanei tolerentur: item quacunque in vrbe hactenùs Senatus ſaltem ex Catholicis conſtitit, deinceps tot Senatores Euangelici illi adiungantur; ſic tamen vt Conſules ſemper Euangelicæ confeſſioni addicti, & ad gubernacula rerum neceſſarijs dotibus inſtructi ſint. At verò in locis & Ciuitatibus quæ frequentiâ Euangelicorum gaudent, de expreſsâ ſententiâ confœderationis, ſubſellia, Senatus, aliaque Vrbana officia tantùm Euangelicis cedere & permitti debent. Et ne verbis id magis quàm re agere videremini, eodem Decreto maioris Glogouiæ Senatu Catholico exauctorato, in locum eius Euangelicos ſubrogari mandatis. Taceo in multis locis, acerbè & contumelioſè tractatos ſacerdotes, boniſque omnibus exutos: in exilium actos monachos Branouienſes, per tormenta de theſauris Eccleſiæ interrogatos: & cùm cupiditati quæſitorum ſupellex Eccleſiæ non reſponderet, grauiſſimè in eos ſæuitum: pulſos reliquos, ſacrũ Monaſterij patrimonium in priuatos vſus redactum. Hæc eſt merces veſtræ ſocietatis, hæc fides icti fœderis, hæc conſtantia recèns initæ cum Catholicis amicitiæ: eò nempe veſtra ſpectarunt conſilia, vt odio in Eccleſiam Catholicam concepto, nomen ipſum Catholicum aboleretis: idem mox in Lutheranos decreturi, quos nunc blando & communi vobiſcum Euangelicorum nomine mulcetis. Et vt eò reuertar, vnde

 orſus

orsus sum, nec potuit nec debuit Serenissimus Rex Poloniæ intermittere, quin Status & Ordines Ducatuum Silesiæ, acerbissima quæque in Ecclesiasticos & Catholicos decernentes, Regum Poloniæ vetustas fundationes abolentes admoneret, ne quid hac in re nouarent. Episcopatus Vratislauiensis tota Diœcesis, quæ Metropolitano iure Ecclesiæ Gnesnensi subest, filia matris opem, Episcopus Suffraganeus Archiepiscopi Gnesnensis & Primatis sui auctoritatem implorat. Illustrissimus Dominus Archiepiscopus Gnesnensis pro munere suo ad Regium confugit patrocinium, petitque ne optimus Princeps iura Prouinciæ suæ Metropolica conuelli, ne Prouinciam ipsam, vni semper Primati à tot seculis subiectam discerpi & dilacerari, ne iurisdictionem spiritualem patiatur confundi. Defuisset profectò Serenissimus Rex muneri suo, si tacitus hæc spectaret, si eiusmodi rebus nouis se permoueri non testaretur. Accipiant id in quamcunque velint partem Silesij, ac ipsimet Status & Ordines Regni Bohemiæ, vniuerso sanè constabit orbi, constabit & posteritati Serenissimum Regem Poloniæ iura Ecclesiarum, quibus patrocinium debet, salua esse voluisse; ad quæ tuenda & conseruanda, communicato cum ordinibus Regni sui consilio, nec animus, nec facultas illi deerit.

Responsio ad septuaginta rationes, quibus ficti nominis Eques, dum Serenissimo Regi & Polonis, ne se motibus Hungaricis & Bohemicis immisceant persuadere conatur, falsis rationibus iura Regni interuertere nititur.

AVDACIAMNE tuam magis an inscitiam mirer, quisquis es? qui veluti quidam nouus consiliarius Serenissimo Regi Nostro, cur nos motibus Bohemicis immiscere non oporteat, septuaginta rationes, longè quidem à rectâ ratione, cui fœdera regnorum, vicinorum Principum coniunctiones, salus denique publica innititur, alienas obtrudere ausus es. Pudet te nominis tui, in tenebris videlicet natum, nec in publicum prodire ausum. Caluinum certè oles, licet Polonum & Equestri loco natum, te esse profitearis. Ego verò te, si Silesius es, fœdifragum & rebellem; si Polonus, iurium Patriæ proditorem dixerim: nec molestè ferre debes, si te his nominibus cohonestauero, cùm verum nomen tuum latere volueris. Sed vnde iste animus tibi? cùm tot Regium latus cingant Senatores vsu rerum periti, auctoritate graues, ætate venerabiles, in consilijs capiendis, & explicandis sagaces, Patriæ optimè cupientes, fide integrâ salutem Reipublicæ curantes, tu tenebrio omnium rerum imperitus, inter tot lumina facem seditionis accendere, Regiam Maiestatem procacibus dictis incestare, amplissimum Ordinem inuidiâ grauare, denique omnis dissensionis semina spargere audeas? Tu Deo, tu Regi,
tu

tu Patriæ fidelis? fidei Catholicæ hostis, Regis osor, Patriæ, quam tuis consilijs perditum is, proditor, tu pacis auidus, cui id vnum in votis, vt ciues optimè inter se consentientes mutuis odijs accendas? Præfaris principio te conscientiæ stimulis, Religionis Catholicæ zelo, eâ, quâ Serenissimo Regi te obstrinxisti fide, studio denique erga domum Regiam, & amore Patriæ adductum, ad dissuadendum, ne Hungari & Bohemi bello à nobis lacessantur, processisse; laudarem animum tuum & institutum, si syncera ageres fide: sed cum blando velamine tectus simiam agas, præclarus videlicet libertatum, & iurium Reipublicæ custos (oppugnatorem rectiùs dixerim) detrahenda tibi larua ista est, ac tua detegenda mendacia. Graues istas & arduas rationes tuas, ex penetrali, vt tu existimas doctrinæ ciuilis, & moderandæ Reipublicæ petitas omnes facili negotio tibi concedam.

Bellum non esse mouendum libens volensque audio, addo etiam delirare (vt tu principio asseris) eum, qui alieni (quemadmodùm tu facis) negotij patrocinium suscipit; neque ea refellam, quæ de bellorum temerè susceptorum incommodis à te adferuntur. Quis enim ignorat, motis semel armis, quantæ calamitates mox Regnis & imperijs immineant: euersiones vrbium, populationes prouinciarum, status Reipublicæ mutationes, hęc & alia bella secum adferunt. Neminem ego esse arbitror, qui Serenissimo Regi nostro suasor sit, belli contra Boëmos suscipiendi; sciunt omnes quibus pactis & fœderibus, pridem iam regna ista mutuo obstricta sint: ijs denique legibus Regia apud nos potestas circumscripta est, vt non sit integrum supremo Principi arbitrio suo, & inconsultis ordinibus omnibus bella suscipere: sed enim nec pactis, nec iure gentium nos prohiberi, quin vicinorum & amicorum Principum stipendio inuitati, militiam priuato nomine profiteamur, tu solus id ignorare videris; non est nostrum iudicare, quis, quo iure nitatur, quis iustiùs induat arma, Boëmine, qui datam fidem Regi fregerunt, an Cæsar? qui ius suum maiorumque suorum vindicat, dum ea lis sub iudice est, licuit licebitque iure pactorum quæ inter laudatissimæ memoriæ Polonię & Boëmiæ Reges icta sunt, militare Polonis sub signis Regis Bohemiæ, contra omnes illius hostes. Hæc pauca de bello.

Poloni priuatim sub signis vicinorum Principum militare possunt.

Silesiam à Regno Poloniæ ita auulsam esse, vt nullus eius prouinciæ recuperandæ iurisque asserendi locus nobis relictus sit, Episcopatumque Vratislauiensem beneficio & liberalitate Regum Poloniæ fundatum dotatumque negare, impudenter mentientis audacia est. Quis vnquam præter te, homo sine fronte dixit vel scripsit, primum Episcopum Smogorouiensem à Mieciślao Rege Poloniæ vt Doctorem tantùm, non vt Episcopum, Regni Senatorem, cuius in Senatu primæ secundùm Episcopum Cracouiensem, qui tunc Archiepiscopali dignitate fulgebat, partes essent, institutum fuisse? Excute omnia vetustatis monumenta, maiorum traditiones, priuilegia Episcopatus Vratisl auiensis, vniuersæ Silesię

Silesia olim pars fuit Regni Poloniæ, & Episcopatus Vratislauiensis à Regibus Poloniæ fundatus.

 iura,

iura, instituta, Principum denique si qui adhuc vetusti ortus supersunt, vt quidem superesse nonnullos non inficior, origines, hos omnes sanguine beneficio Regum & Principum Poloniæ in lucem prodiisse, nisi cæcus es, perspicies; & Episcopatum Vratislauiensem beneficio Regum Poloniæ creuisse, illustratumque & principali dignitate donatum, vel inuitus fateberis. Quidquid nunc Silesiæ Ducatus nomine continetur, olim in ditione Regni & Regum Poloniæ fuisse, clarius est, quàm vt probatione egeat. Sed cùm Anno 1140. secundùm Boleslai Criuousti mortem, filij ipsius partito Principatu ob ambitionem & impotentem dominatum Vladislai natu maioris, dissiderent, ac postremò pulso Vladislao, cùm is ditionem paternam armis frustrà repeteret, eò communium amicorum interuentu res deducta est, vt fratres Principes exulem & opis alienæ egentem in gratiam reciperent, portionemque hæreditatis paternæ, non eam quæ iure naturæ, iuxta prærogatiuam ætatis, illi debebatur, sed quæ victoribus accommodatior visa est, Silesiam videlicet vniuersam, quæ Maioris Poloniæ pars fuit, assignarent; cuius quidem possessionem filij demum ipsius eo vitâ functo, adierunt. Tres hos fuisse memoriæ proditum est, Boleslaum, Miecislaum & Conradum, vulgò Lasconogum dictum (agnosce, si Polonus es, Polonica nomina & cognomina) ij ex consilio patrui Boleslai Crispi supremi Regni Poloniæ Monarchæ, Silesiam inter se eâ lege partiti sunt, vt imperium supremi in Poloniâ Monarchæ, (qui Regiâ dignitate, ob cædem Diui Stanislai Episcopi Cracouiensis per Boleslaum Regem cognomine Audacem perpetratam, abrogatâ, omnibus Prouincijs ad Regnum pertinentibus, summâ & Regiâ potestate præerat,) agnoscerent, & inter fiduciarios Regni Principes censerentur. Et Boleslao quidem Vratislauiensis tractus, Miecislao Ratiboriensis & Opoliensis; Conrado verò Glogouiensis & Crosnensis obtigit, tota verò eorum ditio ad Bohemorum, Morauorum, Misnensium, & Saxonum fines extendebatur, à reliquâ Poloniâ interiectis siluis diuisa. Et hæc quidem gesta sunt, cùm iam ante centum annos Casimirus eius nominis primus Rex Poloniæ, sedem Episcopi, quæ primùm Smogorouiæ, deinde Bicinæ fuit, Vratislauiam transtulisset: cuius tu dotationem Henrico Duci Silesiæ adscribis, ei vt dies & annus in diplomate à te prolato adscriptus, indicat, qui Henrici Barbati & Heduigis, quam Christiani Catholici inter Diuos relatam piâ veneratione colunt, filius & paternarum ditionum hæres cùm esset, Tartaris, qui tum vniuersam Poloniam cæde & ferro vastabant, exercitum ex toto Regno Poloniæ collectum, ad Legnieiam anno Christi 1242. obiecit, ab ijsque in acie fortiter, vt sanguine Regum Poloniæ ortum Boleslai Criuousti abnepotem decuit, cæsus pugnans occubuit. Sed ego non temerè suspicor te cùm antiquitatis testimonio niti velles, cumque expilato Archiuo Ecclesiæ Vratislauiensis hoc diploma surripuisses, Henrici IV. Henrici III. filij, nomine magis quàm re dicti Probi, huius qui ad

Filij Boleslai Criuoustij discordes, quorum maiori natu Vladislao Silesia à fratribus assignata.

Quæ posteà inter filios eiusdem Vladislai trifariàm diuisa.

Casimirus primus Rex Poloniæ sedem Episcopalem Byczyna Vratislauiam transtulit.

Henricus filius S. Heduigis cum Tartaris depugnans perijt gloriosè.

ad Legnitiam occubuit, Principis pijssimi nepotis, qui circa annum Christi 1283. Thomam Episcopum Vratislauiensem bonis spoliauit, ætate esse abusum, diplomatiq; falsum adscripsisse annum. Multa sunt quę tuam arguunt fidē: primum est quòd is, cuius profers priuilegium, Ducis Cracouiæ & Sendomiriæ titulum vsurpat; at Henricus qui circa annũ 1240. vixit, nihil vnquam iuris sibi in istis prouincijs vsurpasse legitur; eius demum filius Boleslaus Caluus, qui itidem Thomam primum Episcopum Vratislauiensem captum bonis omnibus exuerat, à Proceribus Cracouiensibus sub absentiam Boleslai Pudici accitus, alienum imperium inuaserat, eoque mox eiectus, titulum tamen amissorum Ducatuum retinebat. Similiter & Henricus IV. anno Christi 1289. proditione ciuium Cracouiensium, cùm eiecto Vladislao Loetico Cracouiam occupasset, licet mox ab eodem pulsus, inani tamen alienarum ditionum titulo nomen suum illustrari voluit. Hunc eundem esse auctorem à te prolati diplomatis verba ipsa in eo contenta testantur. Meditantes, inquit, & solicitâ reuoluentes indagine, qualiter per nos, & nostros progenitores Ecclesia Beati Ioannis in Vratislauiâ, nec non bona, possessiones ipsius Ecclesiæ atque Monasteriorum, aliorumque piorum locorum possessiones & prædia, quæ eidem Episcopatui sunt subiecta multiformibus ac diuersis iniurijs, pressuris, & grauaminibus infinitis in nostræ salutis dispendium hactenùs fuerunt desolata, quorum etiam damnorum æstimationem, propter infinitatem ipsorum ad certam non possumus reducere quantitatem, in satisfactionem damnorum ipsorum, & restaurationem violentiarum illatarum, tam personis, quàm prædijs supradictis, pro salute animæ nostræ ac progenitorum nostrorum, in remissionem peccatorum, quæ quacunque temeritate commisimus, & quę sequuntur. Hanc tu liberalissimam Henrici (qui quotus in ordine fuerit, idcircò non exprimis, vt, quemadmodùm dixi, falso adscripto anno, vetustatem huic priuilegio arroges) Ducis Silesię Episcopatus Vratislauiensis dotationem appellare audes, cùm idem ipse ingenuè profiteatur Ecclesiam eandem suâ suorumque progenitorum iniuriâ infinitis affectam fuisse damnis, & nunc non dotari (nec enim vel vnico auctam esse prædio contextus priuilegij ostendit) sed quasi in integrum restitui & ijs libertatibus, quæ Deo consecratis personis, bonisque Ecclesiæ vsibus adscriptis, omni iure debentur donari: nisi restitutionem Bandouicensis districtus dotationem interpretari volueris. Quibus autem iniurijs Ecclesia Vratislauiensis à progenitoribus Henrici IV. & ab ipso affecta fuerit, & nos suprà attigimus, & qui hæc pleniùs explorata habere voluerit, euoluat annales temporum illorum. At verò Henricus secundus, à quo, vt ratio anni à te (nec enim dubito, quin dolum machinatus fueris, & falsum anni numerum supposueris) in priuilegio falso illi adscripto conuincit, hoc idem priuilegium datum esse deberet, non erat cur quidquam iniuriæ Ecclesiæ Vratislauiensi à se vel à progenitoribus illatæ agnosceret Pius iste & nomine

Henricus Dux Silesiæ illatâ Ecclesiæ Vratislauiensi damna compensat.

mine & re Princeps optimi Patris Henrici Barbati filius, nihil vnquam tale non modò facto, ſed ne animo quidem deſignauit. Patrui verò ipſius Iaroſlai Epiſcopi Vratiſlauienſis beneficio, eadem Eccleſia inſigniter aucta eſt; nam cùm is Boleſlai cognomento Proceri, filius, ac Boleſlai Criuouſtij Monarchæ Poloniæ pronepos eſſet, & ex paternâ in Sileſiâ ditione Niſſenſis ciuitas cum territorio iure hæreditario illi obtigiſſet, totum illud patrimonium Eccleſiæ Vratiſlauienſi iure perpetuo donauit & adſcripſit. Sed hæc ad conuincendum te, fidemque ſcripto tuo demendam ſufficiant. De iure, quo Sileſia in poteſtatem Regum Boëmiæ venerit, addam nonnulla; illud initio præfatus, Regum & Regnorum iura priuatis tranſactionibus transferri nõ poſſe, cùm patrimonium Reipublicæ alio iure quàm priuatæ poſſeſſiones, cenſeatur, nec vllam aliam diuiſionem admittat, niſi eam quâ integrum nihilominùs permaneat, ſpondentibus partialibus Vaſallis, ſe in poteſtate Supremi Regis vel Principis permanſuros. Hac lege Sileſiæ Duces Poloniæ Principibus obſtrictos fuiſſe, & ducentis propè annis, ex quo ſortitione filijs Vladiſlai, Boleſlai Criuouſtij filij, Sileſia ceſſerat, inter Principes & Vaſallos Regni Poloniæ conſcriptos manſiſſe, omnia vetuſtatis monumenta teſtantur. Itaque vt eiuſdem ſanguinis Principes, quotieſcunque de ſalute communis Patriæ conſilium capiendum erat, ſimul conueniebant, & Comitia obibant: vt cùm anno Domini 1180. Caſimirus Boleſlai Criuouſtij filius Monarcha Poloniç ea Lenciciæ indixiſſet, aderant fiduciarij Principes, ac inter alios Boleſlaus Procerus Vratiſlauienſis Dux, Henrici Barbati pater: ibi quoque actæ Synodo Ziroſlaus Vratiſlauienſis Epiſcopus interfuit, tertium ab Archiepiſcopo Gneſnenſi locum tenens. Anno item 1222. Principes Poloniæ Leſco Albus, Henricus Barbatus Vratiſlauienſis, Conradus Maſouiæ, alijque cognati & fiduciarij Regni Duces, cùm Pruſſi eo tempore nondum ſacris Chriſtianis initiati Culmenſem & Lubauienſem tractum à Regno per vim abſtraxiſſent, bello illis indicto, ditiones ab hoſtibus occupatas armis recuperarunt: ac partâ tantâ victoriâ, ne erga Deum, quem in bello feliciter conficiendo propitium experti ſunt, ingrati viderentur, Conradus Maſouiæ Dux, ad quem interceptæ & recuperatæ ditiones pertinebant, Culmenſem Epiſcopatum, attributis illi compluribus eius oræ territorijs, liberaliter dotauit, aſſentientibus & priuilegium ſignantibus Leſco Albo & Henrico Barbato. Hoc idem priuilegium inter alios Epiſcopos Poloniæ in Synodo Louicienſi, eius rei causâ à Vincentio Archiepiſcopo Gneſnenſi indictâ, ſigilli appreſſione comprobauit Epiſcopus Vratiſlauienſis; ac inter eos qui præſentes aderant Senatores recenſentur, Derſco Palatinus, & Sobeſlaus Caſtellanus Vratiſlauienſes: communi videlicet conſilio bellum ſuſceptum, communibus viribus gerebatur; neque eo tempore Sileſij alio quàm Poloni nomine cenſebantur, fraternâ vt inter Principes, ſic inter ſubditos conſtante amicitiâ & ſocietate. Paulò poſteriori quo-

Iaroslaus Episcopus Vratislauienſis Silesiæ Dux Henrici Secundi patruus patrimonium ſuum Ciuitatem Nyſſam cum ſuo territorio Eccleſiæ Vratislauienſi donauit.

Regum & Regnorum iura priuatis transactionibus nequeunt transferri.

Anno 1180. Sileſiæ Duces comitijs Lenciciæ celebratis interfuerunt:

ibi actæ Synodo Episcopus Vratislauienſis interfuit.

Item Anno 1222. Maſouiæ Duci contra Pruſſos bellum gerenti adfuêre, & fundationem Episcopatus Culmenſis ratam habuêre, Episcopus, Palatinus, & Caſtellanus Vratislauienſis.

que

que tempore, nimirùm anno 1226. cùm Suentopelcus cliens olim & ſubditus Regni, Pomeraniam, cui beneficio Leſci Albi præerat, alio quàm fiduciario iure ſibi vſurparet, imperiumque detrectaret, Leſcus communicato cum Henrico Barbato Vratiſlauienſi Duce conſilio, Comitia Gãſauæ (vicus is eſt Tremeſnenſis monaſterij) in maiori Poloniâ prope Znenam indicit, ad eaque vniuerſos Principes & Senatores Regni euocat: aderant omnes, & inter Senatores Epiſcopus quoque Vratiſlauienſis. Iſtic dum de Republicâ conſultatur, in funeſto balneo Suantopelcus, qui adeſſe iudicio, & cauſam dicere iuſſus erat, ex improuiſo incautos Principes circumuenerat. Cæſus Leſcus Albus, Henricus verò Vratiſlauienſis vulneribus affectus, & mortuus exiſtimatus, fidiſſimi aulici ſui corporis obiectu, extremam perniciem vitauit. Neque tamẽ ea res Henricum Vratiſlauienſem deterruit, quin ſecundùm infelicem Leſci Albi exitum, delatam ad ſe, Procerum Regni & Grimiſlauæ matris voluntate, filij ipſius Boleſlai, (cui poſteà perpetuò ſeruata caſtitas Pudici nomen peperit) tutelam, contra Conradum Mazouiæ Ducem, idem ius ambientem, ſuſciperet: quam & geſſit optimè, & fortiter pupillum tutatus eſt, legibuſque optimis ſancitis, cùm iam Boleſlaus adoleuiſſet, munere tutorio ſe abdicauit, liberam adminiſtrationem hæreditariarum ditionum illi relinquens. Mox idem, inclinantibus ad eum odio Vladiſlai Sputatoris Proceribus maioris Poloniæ, earum ditionum magnâ ex parte poſſeſſionem adijt, & anno Chriſti 1238. cùm è maiori Poloniâ in Sileſiam proficiſceretur, in itinere Croſnæ è vitâ diſceſſit. Neque tamen morte illius ſocietas illa diſcerpta eſt, adeò vt aliquot pòſt annis Tartaris, gente immaniſſimâ, immenſis agminibus Poloniam, Sileſiam, vicinaſque Prouincias vaſtantibus, ac Boleſlao Pudico Monarchâ Poloniæ intra munitiones ſe tenente, vniuerſa propè Polonia ſub ſigna Henrici Pij conceſſerit: qui factâ ad Legnitiam Barbaris copiâ pugnæ, fortiter quidem, ſed non ſatis felici ſucceſſu depugnauit, vniuerſo propè exercitu ad internecionem cæſo, ipſe quoque glorioſè in acie vitam profudit. Et hactenùs quidem fida inter Sileſios Polonoſque Duces manſit ſocietas. Quamuis enim Boleſlaus Caluus, Henrici, qui ad Legnitiam occubuit filius, ad Cracouienſem Principatum, abſente Boleſlao Pudico, euocatus eſſet, poſſeſſionemque eius adijſſet; tamen mox pulſus, eâ quoque maioris Poloniæ parte, quam auus ipſius Henricus Barbatus quæſierat, excidit. Diſſidio deinde Ducum Sileſiæ, potiſſimùm turbante res Henrico Duce, Bohemiæ Regibus via patefacta eſt, dolis & malis artibus interuertendæ & occupandæ Sileſiæ. Quod eò facilius factu fuit, cùm in diuerſas factiones diuiſo Regno Poloniæ, primùm quidem Principes inter ſe capitalibus odijs diſſiderent, deinde infeliciter per Præmiſlaum Maioris Poloniæ Ducem, Regiâ dignitate reſumptâ, & mox eo cæſo, ad Venceſlaum Regem Bohemiæ, factione paucorum, ficto iuris titulo translatâ, nemo eſſet qui ſummam rei capeſſeret. Quamuis enim Vladiſlaus,

Comitijs Ganſauæ actis interfuit Henricus Barbatus, ibiq; vulneribus affectus, & Leſcus Albus occiſus.

Henricus Barbatus Vratislauienſis Dux, Boleslai Pudici tutor.

Henricus Pius à Tartaris cæſus, vt ſuprà relatũ.

dislaus, cui exigua statura corporis Loctici, siue Cubitalis, nomen dedit, Siradiensis Dux, vir animi excelsi, maiora viribus suis ausus, secundùm mortem Lesci Nigri fratris sui, eiusdemque Regni Monarchæ, Regni habenas capessere conaretur, & bis rerum potitus, bis imperio, semel priuatâ factione, iterum Boëmorum armis deiectus, tertiò demũ confirmatis viribus, omnia in suam redegisset potestatem; non eæ tamen eius vires erant, vt distractum scissumque in diuersas partes Regnum vnire Ducesque cognati sanguinis dicto parentes reddere posset: imò ijdem crescentem Vladislai fortunam perosi, exarsêre animis, & paucis exceptis, ferè omnes alienâ ab eo erant voluntate. Iam anteà Boleslao Pudico regnante, Ottocarus Rex Bohemiæ Opauiam interceperat, mox Henricus Probus Vratislauiensis Dux, dum omnia miscet, & aliorum inhiat ditionibus, Venceslai Regis Bohemiæ adscitâ societate, Casimirum Opoliensium Ducem metu suæ potentiæ, vt se ditionemque suam Boëmo subderet, adegit anno Christi 1289. Et de interceptâ quidẽ Oppauiâ expostulauit Boleslaus Pudicus cum Rege Boëmiæ, mutuo ob eam rem Oppauiæ Anno 1223. facto conuentu: sed in viginti annos factis inducijs, disceptatio quoque de iure eius ditionis dilata & suspensa est. Sed, vt paulò antè commemorauimus, Vladislao Loctico rerum in Poloniâ potiente, cùm non æquis oculis felicitatem ipsius Silesij Duces, cognati ipsius aspicerent; &, quod mirandum, Mazouij Principes patrueles ipsius prosperis illius ausis nimiùm inuiderent; ad Ioannem Boëmiæ Regem è Lucemburgicâ familiâ, conspiratione factâ, inclinare cœperunt. Nec defuit sibi Boëmus in tam opportunâ occasione, captandis Silesiorum animis, cùm ijdem etiam inter se dissiderent, vt parricidali bello tota arderet Silesia, Henrici Quinti Vratislauiensis Ducis filijs, partito patrimonio inter se, quà dolo, quà apertâ vi decertantibus; Boëmo interim res suas alendis inter fratres discordijs agente. Iam anteà Venceslaus Boëmię Rex, ijsdem ferè artibus nonnullas in Silesiâ ditiones interuerterat, & sui iuris, sublatis veris Dominis, sanguine Regum Polonię ortis, fecerat: reliqui erãt Vratislauiensis, Legnicensis, & Bregẽsis Ducatus; quos inter se fratres Henrici Quinti filij, Henricus, Boleslaus, & Vladislaus partiti, dum reliqui adesis opibus patrimonium prodegerunt, in Henricum, cui Vratislauia obtigerat, conspirant: in primisque Boleslaus, suasu & ope Ioannis Regis Boëmiæ fretus, negotium illi facessit, ditionemque fraternam latrocinij more incursat. Implorat Vladislai Regis Poloniæ cognati sui opem Henricus, seque & sua omnia eius fidei committit. Vindicat ille clientem, recipit in potestatem Vratislauiam, & compescit audaciam Boleslai; cæterùm deditițium Principem Henricum res suas sibi habere iubet, quem mox Boëmus ad se accersitum, & blandè acceptum, commemoratione fraternæ iniuriæ, cuius ipsemet incensor & auctor fuit, eò perculit, vt Closko accepto, Vratislauiam sibi cederet. Ijsdem artibus cùm Vladislaum cum Boleslao commisisset,

Vladislaus Locticus rerũ in Poloniâ potitus.

Ottocarus Rex Bohemiæ Opauiam in Silesiâ vi occupauit.

Silesij Duces ad familiam Lucemburgicam tunc in Bohemiâ regnantem declinant, inter quos Bohemus discordias excitabat.

Venceslaus Rex Bohemiæ quâ ratione Vratislauiâ potitus.

ſet, Legnicenſi quoque ditione potitus eſt. Atque hæc ſunt Boëmici, vel potiùs domus Lucembergicæ (huic enim ſoli Principes Sileſiæ ſe dedidiſſe diplomata deditionum, quorum complura in Regio Cracouienſi archiuio reperiuntur, teſtantur) in Sileſiam iuris initia, quæ legitimáne ſint, ſub iudice lis eſt. Ais tu Caſimirum Regem Poloniæ de Sileſiâ cum Ioanne Rege Boëmiæ tranſegiſſe, & iure omni ſe abdicaſſe: neque ego nego; ſed an id fieri potuerit, & an id, quod eo tempore inter Reges actum eſt, ratum eſſe poſſit, diſcutiendum eſt. Et ipſa quidem, quæ in medium à te profertur iuris abdicatio (quanquàm dubito an ſyncerè proferatur, cùm in Archiuio Regni Poloniæ nihil tale contineatur) nihil aliud in ſe continet, niſi priuatam Regis Caſimiri cum Ioanne Rege Boëmiæ, & Carolo ipſius filio tranſactionem, quâ ius ſuum tantùm, & non Regni, præfatis Regibus, & non Regno Boëmiæ, condonat, quibus & hæredibus illorum extinctis priſtino iuri Sileſia reſtituenda eſt. Et cùm hæc ipſa tranſactio publico Regni Ordinum conſenſu approbata non ſit, cum perſonis contrahentibus eam extinctam, putandum eſt: neque enim in poteſtate Regis vllius fuit patrimonio Reipublicæ priuatas offenſiones redimere, maximè talibus prouincijs, quæ non armis quæſitæ, nec dediticiæ, ſed ex corpore Regni ſunt, qualis eſt Sileſia vniuerſa, quales erant Duces Sileſiæ, qui & iure naturali (Regibus enim Poloniæ orti erant, & portionem Regni tenebant) & iure ſcripto, quo tanquam fiduciarij Principes Regno obſtricti erant, in ditionem alterius, ſe ditioneſque ſuas transferre non poterant; nec à toto Regni corpore, ex quo creuerant, vllo pacto alienare: vt deditio illorum, quâ domui Lucemburgicæ ſe adiunxerunt, etiamſi id vel armis coacti, vel ſponte feciſſent, rata eſſe non poſſit. Quanquàm ne tum quidem vniuerſa Sileſia ceſſit in ditionem domus Lucemburgicæ: Bernardus enim Suidnicenſium Dux, idemque Vladiſlai Regis gener, manſit in fide, quâ Regno Poloniæ obſtrictus erat, & Wſchouenſe ſiue Frauenſtatenſe territorium, cum Ciuitate eiuſdem nominis, à Caſimiro Rege armis recuperatum, hactenùs etiam in ditione eſt Regis Poloniæ, vt & Ducatus Oſuencimenſis & Zatorienſis; Seuerienſis item à Sbigneo Oleſnicio Cardinali & Epiſcopo Cracouienſi à Duce Theſinenſi emptus ac Regno vnitus. Non latebat quidem Reges Bohemiæ, non plus iuris deditios Sileſiæ Principes ad eos transferre potuiſſe, quàm ipſi habuerint, & cùm vetuſto iure Prouinciæ eæ ad Regnum Poloniæ pertinuerint, perfidiâ eorum qui illas obtinebant à toto corpore auelli non potuiſſe: itaque crebris tranſactionibus inanem iuris titulum firmare voluerunt, Regno Poloniæ, extinctâ ſtirpe Regiâ, ad exteros Ordinum voluntate tranſlato, qui iuris Regni minùs curioſi, paſſi ſunt domus Lucemburgicæ in Sileſiâ imperium propagari. Quanquàm Vladiſlaus Iagello Poloniæ Rex non aliter fœdus cum Venceſlao Imperatore,

Sileſij Duces ſoli Lucemburgicæ familiæ ſe dedidêre.

Tranſactio Caſimiri Regis Poloniæ cum Ioanne & Carolo Regibus Bohemiæ an valida?

Tranſactio de Sileſiâ inualida eſſe oſtenditur.

Pars Sileſiæ hactenùs eſt in ditione Regis Poloniæ.

Reges Bohemiæ ius ſuum in Sileſiam, quod nullum erat, crebris tranſactionibus firmare voluerunt.

 tore,

tore, eodemque Rege Boëmiæ ſancire voluit, niſi vt is illi nomine Ducum Sileſiæ, cum ſexcentis lanceis, & totidem baliſtarijs, ſe contra quemuis hoſtem auxilio futurum polliceretur; cuius rei extat diploma in Archiuio Cracouienſi Anno 1395. conſcriptum. Eidem contra Cruciferos bellum gerenti anno 1414. (ad quod vniuerſos Regni Principes exciuerat) aderant & Sileſij Duces, Bernardus Opolienſis, Ioannes Ratiborienſis, Boleſlaus Ceſſinenſis, Conradus Oleſnicenſis, Venceſlaus Zeganenſis, Ioannes Lubinenſis, Conradus Albus Kozlenſis, & Venceſlaus Opauienſis. Denique Sigiſmundus Imperator, idemque Rex Boëmiæ, eidem itidem Vladiſlao Regi, ſi Agathiam viduam, quæ cum Venceſlao Rege Boëmiæ proximè vitâ functo nupta fuit, in matrimonium duxiſſet, dotalem Sileſiam vltro offerrebat. Hæc circa annum 1421. acta fuiſſe monumenta legationum teſtantur. Eiuſdem Vladiſlai filius Caſimirus, penè adhuc puer, à Bohemicis accitus, & Rex vt eſſet poſtulatus, Sileſiorum inprimis Ducum fauore, ad eam dignitatem promouebatur: & tum quidem Alberto Auſtriaco potiores partes tenente, Regnum adeptus non eſt, ſed aliquot pòſt annis, ductâ eiuſdem Alberti iam tum vitâ functi filiâ Elizabethâ; ſecundùm mortem fratris coniugis ſuæ Ladiſlai Vngariæ & Boëmiæ Regis ac Boëmiæ Regni, ex tranſactione dudum cum domo Lucembergicâ inita, materno iure (Sigiſmundi enim Imperatoris eiuſdemque Regis Boëmiæ filia fuit) hæredis, agnoſcentibus idipſum Bohemis per coniugem filioſque ſuos eam regni hæreditatem creuit. Faſſi ſunt idipſum Regni Boëmiæ Proceres, qui publicâ ad Regem Caſimirum miſsâ legatione, literis etiam in Nouâ-domo Sabbato poſt feſtum SS. Philippi & Iacobi Apoſtolorum anno 1467. ſcriptis Elizabetham Reginam Poloniæ filioſque Caſimiri Regis, veros & legitimos Regni Boëmiæ Prouinciarumque ei adiunctarum hæredes agnoſcunt, & ad capeſſendum regnum inuitant, idemque datis ad Proceres Regni Poloniæ literis, profitentur. Mox aliquot annis tranſactis, ijdem Regni Boëmiæ Ordines, anno 1471. in Comitijs Cutnenſibus Vladiſlaum Caſimiri filium vti hæredem Regni (verba expreſſa in priuilegio Electionis) Regem Boëmiæ renuntiant, cuius ille poſſeſſionem adijt, & ius hæreditarium, ad filium Ludouicum, & ad filiam etiam Mariam Ferdinandi Imperatoris vxorē, tranſmiſit. Fratres quoque ſuos primò Ioannem Albertum, deinde Sigiſmundum, quorum vterque Reges Poloniæ deinceps fuerant, collatis illis nonnullis Ducatibus in Sileſiâ, in ſocietatem eius hæreditatis adſciuit. Et mirabitur quiſpiam ſiluiſſe tanto temporis ſpatio Polonos, nec ius ſuum vrſiſſe, cùm Reges eorum ad hæreditatem Regni Bohemiæ vocarentur, cùm quodam modo interuerſum ius in priſtinū ſtatum eâ ratione reſtitui videretur. Hæc quæ à me allata ſunt, non idcircò dicta putes, quaſi claſſicum canere velim, & Polonos meos ad ius armis recuperandum incitare,

Venceſlaus Imperator ratione Sileſiæ ſubſidia contra omnes hoſtes Vladiſlao Iagielloni pollicitus.

Ipſimet Bohemi Caſimirū Poloniæ Regem Sileſiæ hæredem fatentur.

Idem alijs occaſionibus fatentur.

Cur Poloni hactenùs Sileſiam non repetierint.

incitare, ſed vt oſtendam te rerum ignarum, falsò aſſeruiſſe, ita nos Sileſiæ imperio excidiſſe, vt nunquàm aſpirare ad illud nobis liceat. Veniet ſanè tempus, cùm vel Sileſij ipſi memores vnde exciderint, ad ſua redibunt principia, neque Polonis vel nunc deſunt, vel impoſterùm deerunt rationes aſſerendi iuris ſui, quod nec temporis præſcriptione auferri, nec priuatis tranſactionibus interuerti potuit. Paci publicæ à nobis conſulitur, & vbi arma noſtra exerceamus, ſatis ſuperque occaſionum nobis eſt. Non temerè Poloni in Chriſtianos ſtringunt gladios, barbaris vndiq; cincti nationibus, quas virtute & ſanguine ſuo arcent, ne totis agminibus in Europam ſe effundant, ne cædibus & incendijs omnia miſceant. Nec ſanè in Moſchos pruritu vel dominandi libidine arma ſumpta à nobis ſunt, vt tu aſſeris; fuerunt iuſtæ & legitimæ cauſæ, quæ nos eò impulerunt, vt gentem ſolo nomine Chriſtianam, cæterùm feritate barbaram, moribus incultam, pacta & fidem datam ad temporum & occaſionum momenta accommodantem, Turcicâ & Tartaricâ ſocietati ſuperbientem, Chriſtiani nominis inimicam, bello impeteremus: cuius ſuſcepti & geſti, non adeò, vt tu reris, nos pænitet; etiamſi aliqui non deſint, qui conſilia euentu metientes muſſitent & obmurmurent; ignari quanti momenti res ſit, receptis ampliſſimis prouincijs, quæ dudum à regno auulſæ erant, ferocem & hæreditarium hoſtem, eneruatum viribus ita coërcuiſſe, vt pacem penè ſupplex peteret, præſcriptaſque acciperet conditiones. Eſt, eritque immortalis Sigiſmundi Regis hæc gloria, quòd ſuo filijque ſui Vladiſlai ductu, tantas res in eâ vaſtâ Septemtrionis parte geſſit, quantas vel quiuis maximus Princeps gerere vnquam potuiſſet. Sed ad Epiſcopatum Vratiſlauienſem reuertar. Smogorouiæ hic primò inſtitutus fuit à Miecíſlao Rege, non, vt tu nugaris, vt Epiſcopus eſſet ſcholæ Rector, ſed eadem quà cæteri in Poloniâ dignitate & prerogatiuâ Epiſcopi, Regni Princeps & Senator, qui & ſacrorum Præſes eſſet, & quotieſcunque res poſceret, Principibus conſilij copiam faceret. Eius Epiſcopi ſedem Caſimirus primus Rex Poloniæ, qui anno 1040. Regni habenas ſuſcepit, quique ducentis propè annis eos, quos tu Eccleſiam Vratiſlauienſem dotaſſe fingis, præceſſerat, quæ, vt dixi, Smogorouiæ erat, primùm Bicinam, mox Vratiſlauiam tranſtulit, cuius ſanguine ortus Iaroſlaus Epiſcopus Vratiſlauienſis, Boleſlai Proceri filius, & Boleſlai Criuouſtij pronepos, Niſſam paternam videlicet ſuam portionem ei, vt tu non negas, attribuit.

Iaroſlaus Epiſcopus Vratislauienſis Niſſam, patrimonium ſuũ, Eccleſiæ Vratislauienſi donauit.

Subeſt & hactenùs Epiſcopus Vratislauienſis iure Primatiali Archiepiſcopo Gneſnenſi, & ſemper eius iuriſdictionem agnouit, & dubijs aduerſiſque rebus ſuis patrocinium quoque expertus eſt. Vt cùm Boleslaus Caluus anno Chriſti 1257. Thomam Epiſcopum Vratislauienſem, templum Gorcenſe ritu Chriſtiano dedicantem, nefariè cepiſſet, & in vincula conieciſſet; Fulco Archiepiſcopus Gneſnenſis impium Epiſcopi violatorem diris deuouit, conſultoque Summo Pontifice Alexandro IV.

Epiſcopus Vratislauienſis Suffraganeus Archiepiſcopi Gneſnenſis.

Archiepiſcopus Gneſnenſis Epiſcopum Vratislauienſem ſemper protexit.

militiam crucē signatorum, per totam prouinciam contra eum promulgauit, atque ad transactionem cum Episcopo ineundam compulit. Huius Boleslai impium facinus, cùm Henricus cognomento Probus, re ipsâ turbulentus & seditiosus Princeps, Vratislauiensis Dux æmulatus esset, ac circa annum Domini 1283. Thomæ II. Episcopo Vratislauiensi, illius quem Boleslaus Caluus ceperat, ex sorore nepoti, grandem pecuniæ summam imperasset, eâque negatâ ditiones Episcopi & sacri Ordinis inuasisset, & mox Decimas omnes vsurpasset, Iacobus cognomento Suinka Archiepiscopus Gnesnensis, coactâ Lenciciæ Synodo, de sententiâ consilij, Henricum communione Christiani populi exclusit, ac Vratislauiensi ciuitati, cæterisque qui in ditione illius erant sacris interdixit: nec anteà pœnâ soluit, quàm Henricus Episcopo satisfecisset, illo priuilegio, cui tu falsò, vt antè ostendi, annum Domini 1240. quo Henricus Pius à Tartaris ad Legnitiam cæsus, rerum potiebatur, adscripsisti. Successu temporis cùm Ioannes Rex Bohemiæ, occupatâ magnâ parte Silesiæ, Episcopo Vratislauiensi Nancero grauis esset, multisque eum iniurijs affecisset, eo demum vitâ functo, Pretzlaus Pogorelicius Polonus, gente Grimalius, Episcopus Vratislauiensis, nolens volensq; ita transegit, & in Patronum Ioannem Boëmiæ Regem adoptauit, vt iura Ecclesiæ Metropolitanæ salua manerent, quibus, etiamsi maximè vellet, Episcopus Vratislauiensis derogare non potuit, sed nec voluit quidem: quanquàm productum à te deditionis Episcopalis diploma vereor an verum sit: solùm enim Grotkouiensis Arcis & oppidi, à Boleslao Bregensium Duce empti nomine, Pretzlaum in fide & clientelâ Regum Boëmiæ se fore professum esse Annales tradunt. Et cùm aliquot exactis annis Carolus Quartus Imperator, idemque Boëmiæ Rex, à Clemente VI. Pontifice Maximo contenderet, vt Episcopatus Vratislauiensis Archiepiscopo Pragensi subijceretur, obstitit Casimirus Rex, ac per Legatum suum Albertum, Cancellarium Dobrynensem, à Pontifice obtinuit, vt ius Archiepiscopi Gnesnensis ratum esset. Nemini itaque mirum esse debet, si nunc Episcopatus Vratislauiensis Hæreticorum armis oppressus, opem Regis nostri implorat; si Rex noster se ei deesse non posse profitetur, si suam auctoritatem, ne vis ei fiat, interponit: nam vt antiqua illa, vnde fluxerit fundatio Episcopatus Vratislauiensis taceamus, certè iurisdictionem Archiepiscopi Gnesnensis tueri ad Regiam dignitatem & officium pertinet. Addo nihil in Episcopatu Vratislauiensi, nihil in Silesiâ Poloniæ vicinâ, in statu Ecclesiastico nouari posse, quod connexas illi Regni Poloniæ Ecclesias & ditiones non afficiat, quibus certè Rex patrocinium debet, nec permittere illi licet, vt Archiepiscopi Gnesnensis primatialis prærogatiua, vt Episcopi Cracouiensis, Episcopi Posnaniensis, ea quam in plerisque Silesiæ partibus habent iurisdictio violetur: vt bona Abbatiarum Poloniæ, quæ in Silesiâ sunt, per vim occupentur: nisi fortè falsò de vi Hæreti-

Causæ ob quas Rex Poloniæ Episcopo Vratislauiensi patrocinari debet.

Hæreticorum Clerus Silesiæ queritur, & ea, quæ ab eo extorta sunt impia iuramenta, sponte præstitit, & non denuntiatâ bonorum ademptione, confiscatione (vt ex decreto in consilio Principum & statuum Silesiæ die vltimo mensis Septembris Anno 1619. edito apparet) adactus coactusq; est. Quę cùm omnia fiant eo potissimũ fine vt extinctâ Catholicâ religione, oppresso & exacto Clero, Episcopatus Vratislauiensis, nobilissima Metropolitanæ Prouincię Gnesnensis portio, de medio tollatur, & quod in alijs Germaniæ partibus factum, possessiones Deo consecratæ in profanos cedant vsus; meritò Illustrissimus D. Archiepiscopus Gnesnensis modernus, exemplo maiorum suorum, Fulconis & Iacobi Archiepiscoporum Gnesnensium, à quibus violatores Ecclesiæ Vratislauiensis, grauissimâ censurâ notatos fuisse, suprà memorauimus, nunc quoque si ij, qui nunc impijs decretis in Silesiâ Ecclesiam Catholicam oppugnant, Hæretici non essent, gladium spiritualem in eos stringeret, dirisque omnibus deuoueret: sed cùm illi excusso semel obedientiæ freno, sacra diuinaque omnia contemnant; quod Turcis vel quibusuis barbaris Ecclesiam Vratislauiensem occupantibus faceret, Principis, cui ad tuenda iura Ecclesiarum gladius datus est, & qui magnorum quondam in Poloniâ Regum, Episcopatus Vratislauiensis fundatorum & patronorum, sedem tenet, quique vel eo ipso nomine quòd Catholicus sit, tutelam & patrocinium Ecclesiæ debet, opem implorat. Nec Serenissimo Principi Carolo Archiduci Austriæ, Episcopo Vratislauiensi, vitio quisquam vertere debet, quòd in literis (quas tu nescio vnde, & quâ fraude surreptas, ad concitãdam optimo Principi inuidiam, publici iuris fecisti) ad Illustrissimum Archiepiscopum Gnesnensem datis, ingenuè profiteatur, Ecclesiam Vratislauiensem filiam esse Gnesnensis Metropolitanæ, à Regibus Poloniæ fundationes accepisse: vtrumque enim adeò verum est, vt qui id negare voluerit, idem proprium esse asini rudere negauerit. Illud fortasse tibi displicet, quòd idem Princeps feuda caduca rebellium in Silesiâ vasallorum, nostris hominibus offerre videatur; & quanquàm ille per modum consilij id proponat, tamen ego te hac vice isto libero metu. Non ita appetentes sumus alieni, vt inuitante occasione ad prædam præcipites ruamus. Sed vt his omissis ad alia veniamus; interrogo te, quo autore fretus asserere audes, Serenissimum Regem nostrum, patrium & hæreditarium Regnum Sueciæ iam olim ob religionis persecutionem amisisse? quem ille persecutus est? Recense, in quem Suecum, eò quòd non Catholicus esset, mucro Regius desæuijt? Audeo affirmare nullum esse, quem non eodem, quo Catholicos complecteretur fauore, modò fidem datam seruaret. Possum enumerare complures illustres viros Suecos, lumina nobilitatis illius Regni, quamuis non idem cum optimo Principe de religione sentientes Regi tamen addictissimos & fidelissimos esse & fuisse; Ericum Sparrum Regni Cancellarium, columen Suetici Senatus, à Carolo Sudermano

no ob ſeruatam Regi fidem, ſqualore carceris diu maceratum, poſtremò cæſum. Hanc eandem ſortem ſubierunt alij Senatores fideles Regi, &, quod mireris, Abrahamus Archiepiſcopus Vpſalienſis, quamuis Lutheranus. Non religionis cauſa in Sueciâ agebatur: regnandi libido Carolum eò impulit, vt legitimi Principis imperio abrogato, nefariè patruus nepotis, ſubditus Domini, fractâ fide, violato ſacramento, Regnum inuaderet, & ius alienum contra omne fas vſurparet: quod vt ille, ita & filius ipſius, non fauore populi, non amore ciuium, ſed, vt tyranni ſolent, ſtricto tuetur enſe. Sed tu patronus rebellium Bohemorum, hoc quoque argumento vti voluiſti, quo illi, prout & Sueci nonnulli ſuam perfidiam excuſant. Crudelis, vt ais, Ferdinandus in Bohemos, acerrimus Proteſtantium hoſtis, cùm tamen neminem proferas quem occiderit; quem bonis in Bohemiâ ſpoliauerit; quem in exilium egerit. Veſtra ſunt iſta, & veſtri ſimilium. An non ab authoribus ſeditionis Bohemicæ, iiſque priuatis hominibus, armis Pragæ obſeſſa curia, violati & è feneſtris præcipitati concilij Regij Præſides, exuti & ſpoliati bonis Catholici, expilata templa, profanata monaſteria? Hoc iure vos potiores eſtis, ſi fraus, periurium, & vis, alicuius iuris nomen meretur. Pergis, & Sereniſſimo Regi inuidiam apud tui ſimiles conciliare vis, quòd ille Ieſuitarum conſilio nitatur, quòd Aurei velleris Princeps ſit, quòd fama ſit eum nouæ militiæ nomen daturum, & hæc quorſum? Ad extirpationem, inquit, Hæreticorum iſta omnia collimant. Quis vnquam Chriſtianorum id in votis non habuit, vt extirpatis hæreſibus vna in vniuerſo orbe ſit fides, idem omnium de religione ſenſus? Tibi, vt video, ſchiſmata, tibi hæreſes placent; placent igitur diſſenſiones, placent bella, quę hoc fonte oriri ipſa docet experientia. Sed Ieſuitæ ab alijs luculenter defenſi, quorum officium non aliud, niſi vt aliarum religioſarum perſonarum, quæ ornamenta ſunt Eccleſiæ Catholicæ, doctrinâ & exemplo propagare pietatem, ac cultum diuinum, hæreſes impugnare, & monſtrare iter rectum ijs, qui errore ſeducti à veritate Catholicâ aberrarunt: in quo munere cùm ij ſedulò verſentur, offendunt aduerſarios, vt eos æquis oculis intueri nequeant, & eodem quo lupi canes ouium cuſtodes amore proſequantur. Habet Rex Conſiliarios ex ſacro & profano ordine lectos, habet Magiſtratus Aulæ: horum, non Ieſuitarum, conſilijs negotia publica tractantur, & expediuntur. Sed hæc non noua calumnia, & ſæpius, vt dixi, refutata. Aurei velleris inſigne Sereniſſimus Rex volentibus omnibus Ordinibus Regni in Comitijs Varſauienſibus ritè & legitimè ſuſcepit, exemplo Diui Sigiſmundi Primi, Aui ſui, qui eumdem honorem non eſt aſpernatus. Sed tu fruſtrà ſuſpicaris, eum hoc nomine magis addictum & obſtrictum ad tuendam rem Catholicam exiſtimari poſſe. Iam inde ab ineunte ætate ita ille animatus, vt pro fide Catholicâ, quam materno ſuxit ex vbere, vitam & ſanguinem profun-

Carolus Sudermanus regnandi cupiditate Sueciæ regnum inuaſit.

Aurei velleris inſigne detulit Sigiſmundus Primus Poloniæ Rex & Sigiſmundus Tertius.

profundere, si id necessitas popoścerit, non indignum Maiestate suâ censeat. Quæ res vt ad adipiscendum regnum Poloniæ illi potissimùm suffragata est, ita nunc quoque Maiestatem ipsius tuetur, & amorem subditorum conciliat. Quod quidem te acerrimè, vt video, torquet, torquebitque malos omnes, eò magis, quò illustriorem coronam pietati Regiæ fata destinant.

Filios Regios ingentium terrarum Dominos, delectabili opinione constitui, tu primus interpres mentis maleuolæ stultè iocaris: sunt eruntque illi tales, vt quiuis Reipublicæ Christianæ benè cupiens, eos publicæ saluti natos libenter fateatur. Sciunt omnes eâ felicitate à Regibus Poloniæ suscipi liberos, vt eos tuendæ rei Christianæ impendant. Nec plura quæsieris; Vladislaus Iagiello reliquit filium sui nominis, qui pluribus de Turcis partis victorijs, ad extremum memorabili ad Varnam pugnâ, gloriosè occubuit. Pronepotem Ludouicum Hungariæ & Bohemiæ Regem, qui ad Mohacium contra perpetuam Solimani felicitatem decertans pari fato occubuit. Casimirum Sanctum ob virtutes Christiano Principe dignas, inter Diuos relatum. Sigismundum Primum, sui æui Regem Regum, Patriæ Patrem: nec vllum è gente Iagiellonicâ nominare licet, qui non propriâ eâque præclarâ laude floruerit. His maioribus, eo sanguine Serenissimi Principes nostri orti crescunt, (rumpantur vt ilia Codro) eâ spe vt Christiana Respublica, non minimum subsidij ab ijs expectare possit. Tuus iste nouus Carolus Magnus, quid Reipublicæ Christianæ causâ præstiterit, an vel semel contra Turcas & Tartaros aliosue barbaros in acie steterit, nusquam audiui. Serenissimo Principi Vladislao nostro non nouum iam æstates & hyemes continuare bello, pati incommoda militiæ, versari in acie, lacessere hostem, pugnam conserere. His virtutibus Magni nomen Carolum primum sibi peperisse, non nego: Poloniam ab illo fuisse subiugatam, nemo verè dixerit; idem enim ostendere deberet, quo tempore Polonia iugum imperij excusserit. Sed de antiquitatis memoriâ, & quæ in hoc genere in vtramque partem dici credique possunt, tecum non contendam: tu intereà tuo isto nouo Carolo ne nos terreas, nec tantos nobis finge metus, vt nouas istas contra legitimum Magistratum conspirationes, vel Turcas ipsos, quos à seditiosis Bohemis & Hungaris in perniciem Reipublicæ Christianæ euocari fama est, veriti, non nisi ex tuâ proditoris sententiâ dignitati & saluti nostræ consulamus. Non ita accisæ nostrę vires sunt, & quamuis non adeò florente Reipublicæ statu, qualem Platonis finxit sententia, gloriemur; habemus tamen rationes tuendi iuris nostri; neque hactenùs quisquam (absit dicto inuidia) impunè nos lacessiuit. Sed Poloni tuo iudicio horrendæ idololatriæ obnoxij commouere nos non debemus. Scio quid tu nomine idololatriæ cauilleris. Hæreticum est, & iam non nouum, Catholicos hoc nomine allatrare: sed vel ruptis licet inferni claustris ipse triceps prodeat Cerberus,

rus, latrare quidem poterit, Catholicam tamen Ecclesiam à Christo ita fundatam, vt ne portæ quidem Inferi quidquam in eam possint, erroris conuincere non poterit. Quæ de statuum Regni nostri, pacis interregni tempore tuendæ causâ, factâ confœderatione in medium adducis; ea perinde ad exteros quosuis pertinent, vt lyra ad asinum. Verborum, eæque leues, hactenùs inter Catholicos, & eos qui diuersum ab ijs sentiunt, intercesserunt concertationes, de vi, de cæde numquàm ne per somnium quidem cogitatum: verùm tui muneris est hæc ipsa inculcare, & consentientes optimè Ordines falsis suspicionibus, quasi dato belli signo, inter se committere. Sed nihil agis furialis Alecto, pacata sunt Polonorum ingenia, & licet interdum non idem sit omnium de religione sensus, omnibus tamen constant iura, amicitiæ, & fraternus amor. Id tu æquo animo pati non potes, ac vt & Regem & Senatores apud imperitum vulgus in suspicionem voces, multa clàm fieri, non omnes Senatores ad consilium adhiberi, paucorum eorumque seditiosorum sententias exquiri, scelerate fingis. Exemplum adfers superiori anno concessam facultatem Humanaio militis conscribendi, inscio, vt ais, Senatu; quem consultum fuisse, Regiæ literæ (quas te fraude surripuisse, cùm talia consilia maioribus tantùm Senatoribus communicari soleant, fatearis necesse est) à te typis excusæ testantur: nec est quòd cauilleris, non ad omnes datas fuisse, cùm nemo sit qui hoc nomine queratur. Quos autem seditiosos Senatores denotes nescio; eos fortè, qui, à tuis nefarijs consilijs cùm alienum gerant animum, saluti & dignitati patriæ optimè consulunt. Verùm non mirum à te Optimates nostros ita tractari, cùm nec Regiæ Maiestati parcas, cùm Regem officij sui lineas enormiter transilijsse, iura Nobilitatis, permissâ Iesuitis bonorum coëmptione, grauiter læsisse, ab eodem ob religionem ius inæquabiliter dici, impuro ore blateres, dignus qui læsæ Maiestatis pœnas exoluas, quas te Deo ipsi Regiæ dignitatis vindici exoluturum non dubites. Postremò dirum superiore anno arsisse cometam, Regum interitus & Regnorum mutationes portendentem; quiescendum igitur, & tantisper dum hostes communes nostri, maiores vires sumant, indormiendum ex astrorum signis mones. Alios ista terreant; nobis tu non persuaseris, vt tantoperè istis permoueamur, ac salutem publicam non à Dei potiùs voluntate, quàm ab astris dependere persuaderi nobis patiamur. Non cometa, sed regnandi libido seditionis facem in Bohemiâ accendit, cuius qui futurus sit exitus, incertum est, nisi quòd animus non temerè præsagit, optimæ causæ Deum perfidiæ vltorem non defuturum. Quis autem isthic primus induit arma? quis supremum Magistratum violauit? quis fidem datam rupit? quis denique alieni regni ius vsurpauit? Notum est orbi vniuerso: nec excusationes Bohemorum, Cęsarem Ferdinandum non legitimo iure adepti regni, vel crudelitatis accusantium, tales sunt quæ perfidiæ notam ab illis amoliantur. Non nouum hoc Bohemis oppugnare

Reges: & vt vetuſtiora taceamus, à ducentis annis vix vnum vel alterum Regem Bohemię fuiſſe Annales teſtantur, qui non vel à ſubditis captus, vt Venceſlaus Rex, vel non oppugnatus, vt Sigiſmundus Imperator, Ladiſlaus Alberti filius, Vladiſlaus Caſimirides, (cuius filius Ludouicus ob non miſſa à Boëmis ſubſidia ad Bohacium concidit) Ferdinandus Imperator, Rudolphus, Matthias, poſtremò Ferdinandus, ritè iam coronatus. Infelicitáſne ſit ea gentis vt tales Reges habeant, cum quibus ſemper decertare neceſſe ſit; an ij mores, vt facilè datæ fidei obliuiſci non ingloriosum nec turpe exiſtimetur, æquis cenſoribus iudicandum relinquo. Ad te finem ſcriptioni meæ impoſiturus redeo, quiſquis es; ſi Sileſius vel Bohemus, non miror quòd hoſtis noſter cùm ſis, pernicioſa conſilia nobis ſuppedites, ac malè de nobis, iuribus noſtris, & de domo Regiâ ſentias. Si Polonus (quanquàm dubito vllum adeò malâ mente eſſe, vt patria iura falſis argumentis conuellat) dignum cenſeo, qui proditionis conuictus, dignas pœnas ſcelere tuo luas.



DISSERTATIO

DE IVRE REGNI POLONIÆ

AD RVSSICAS MOSCHOVITICASQVE DITIONES.

Snentoslai Kijouiensium Ducis filij



VENTOSLAVS Kijouiensium Dux, Iori & Orgæ filius, è Piecingis eius oræ quà Danubius in Pontem influit populis, duos ex iustâ vxore Iaropelcum & Olgum, tertium Volodimirum ex concubinâ susceptum, reliquit filios. Hunc circa annum Domini noningentesimum septuagesimum primum Nouogrodensibus petentibus Principem dedit; Iaropelcum Kijouiensibus, Olgum Pereaslauiensibus præfecit. Sed Olgo à Iaropelco occiso, Volodimirus vir magni animi, cæso itidem Iaropelco, vtriusque fratris Principatum occupauit; ac vicinis populis Bulgaris, Croatis, Dulopijs, Iasigis, domitis, Corsonum Imperatori Constantinopolitano eripuit: mox Annâ Basilij & Constantini Imperatorum, qui anno Noningentesimo septuagesimo quinto regnare cœperunt, & per annos quinquaginta Constantinopolitanæ rei præfuerunt sorore, in matrimonium anno noningentesimo nonagesimo ductâ, simulque Christianâ religione susceptâ; reddidit. Is quoque Premysliam & Czeruenum arces Miecislao Regi Poloniæ eripuit. Cùm duodecem filios procreasset, viuens adhuc Principatum inter eas partitus est: fuerunt autem populi & vrbes, quæ in diuisionem cesserunt, Kijouia, Nouogrodum, Poloscum, Turouia, Rostauia, Maromum, Dereui, Vladimiria, Torocanum, Smolenscum, Plescouia, Volhinia. Cæterùm Patre mortuo, orto inter fratres bello, Suentopelcus Kijouiam, Glebo & Borisso fratribus dolo occisis, occupat: mox ab Iaroslao fratrum necem vlciscente superatus, & Kijouiensi Principatu eiectus, ad Boleslaum cognomento Chrobri Regem Poloniç confugit. Is eâ occasione ereptam Patri suo Premysliam recuperaturus, anno Millesimo Octauo, fines Russiæ ingressus, victo Iaroslao, Kijouiam fame adactam, in suam potestatem redigit, & Suentopelco restituit: ac Iaroslaum viribus recuperatis bellum inferentem, iterum profligat. In Kijouienses parum syncerâ fide Suentopelco ipso conniuente secum agentes, ac milites suos clàm trucidantes, animaduertit, vrbem ipsam diripit, arcem communit, obsidibus acceptis, ac tribus in Borysthene fixis columnis regreditur victor.

Quos Principatus gesserint?

Volodimirus cæsis fratribus vicinos populos domat, Corsonum Imperatori Constantinopolitano eripit.

Volodimirus duodecem filios reliquit.

Boleslaus Chobri Iaroslaum ad Bugum profligat anno 1018.

Anno Millesimo decimo octauo idem Boleslaus Iaroslaum occupatâ Kijouiâ, bellum Polonis inferentem, ad Bugum ingenti prælio superat: ac victor pacis fert conditiones, tributumque imponit. Boleslao mortuo, cùm Russi Iaroslao & Miecislao Ducibus rebellassent; Miecislaus

Rex

Rex Anno Millesimo vigesimo sexto, arma in eos sumpsit, ac interceptas quidem ab eis arces recuperauit; Iaroslaum tamen in ordinem non redegit, qui mortuo fratre, Monarchæ, seu Iedinowladec titulum primus vsurpauit, ac potentiam auxit. Id Miecislai Regis, Rixæ vxoris imperio obnoxij, ignauiâ factum. Pulso demum cum Rixâ matre Casimiro, Russis diuturno interregno adeò animi creuerunt, vt penitùs Polonicum Imperium excusserint. Casimiro deinde restituto, accisis Regni viribus., non armis, sed conditionibus cum Iaroslao rebelli transactum: ac vt pax firmior esset, Casimirus sororem illius matrimonio sibi iunxit, iusque auitum & paternum (auxilijs tantùm contra omnes hostes pactis, quæ Iaroslaus contra Maslaum rebellem Casimiro tulit) affini remisit. Iaroslaus vniuersæ Russiæ Monarcha quinque filios reliquit, qui cùm inter se de Principatu certarent, Isaslaus natu maior Kijouiensis Dux pulsus à fratribus, ad Boleslai Audacis, Casimiri Monachi filij, cognati sui opem confugit: qui auiti iuris asserendi causâ, vltro eam occasionem arripiens, magno exercitu Russiam ingressus, Visaslao Poloscum fugiente, Kijouiâ spontaneâ deditione potitur. Poloscum per legatos in suam potestatem redigit, ac Isaslaum regnare iubet; hæc anno Millesimo sexagesimo nono gesta fuisse scribuntur. Mox pulso iterum Isaslao, iterum clienti fert opem Boleslaus, cæsis Russis, Kijouiam diutiùs obsessam, postremò vi capit. Isaslaum, imposito ei non tantùm pecuniæ, sed rerum etiam omnium, ad victum cultumque corporis vectigali, Monarchiæ Russiæ præesse iussit. Is ex consilio Regis cognati inter filios, Regi fidem obstringentes, partitus Principatum, Stopelcum Polocensibus & Nouogrodensibus, Vladimirium Smolenscijs, Iaropelcum Vissogrodiensibus præficit: sibi summo Imperio, & cum adiacentibus Prouincijs Kijouiâ reseruatâ. Exacto ob cædem Diui Stanislai Boleslao Audace, Russi penitùs defecerunt; idque impunè ob quietum Vladislai Hermani ingenium. Anno demum Millesimo centesimo primo, Boleslaus iuuenis Criuousti Russos Poloniam hostiliter ingressos fudit: & cùm posteà Zbitislauam Suentopelci, siue Stopelci, Kijouiensis Ducis filiam in vxorem accepisset, fœdus cum Russis pepigit. Inuaserat Kijouiensem Principatum Vladimirus Iaroslai Vladimiriensis Ducis & Zbitislauiæ Reginæ Poloniæ patruus; cuius insidias veritus Iaroslaus anno Millesimo centesimo decimo octauo ad Boleslaum affinem fugit: quem cùm Boleslaus Vngaris in auxilium aduocatis restituere vellet, Anno Millesimo centesimo vigesimo tertio arma sumit: Iaroslaum cum septem millibus nostrorum præmittit: eoque minùs cautè hosti oblato cæso, Boleslaus Kijouiam obsidione cingit, & nonnisi donis & muneribus exoratus, pacem hosti dat, pactis contra quosuis hostes auxilijs; quæ cùm sæpiùs imperaret, Russi anno Millesimo centesimo trigesimo quarto auctore Iaropelco Vlodimiri filio Kijouiensi Duce rebellant: hunc Boleslaus alijs interim bellis occupatus, astu Petri Vlostouicij capit: & graui

Boleslao mortuo Russi rebellant, vnde bellum cum eis gessit Miecislaus anno 1026.

Iaroslaus Kijouiæ Dux Monarchæ, seu Iedinowladec titulum vsurpauit.

Russi Polonorum imperia excusserunt.

Casimirus Primus conditionibus cũ Iaroslao trãsegit, & sororem eius in vxorem accepit.

Iaroslaus Russiæ Monarcha quinque filios reliquit; qui cùm de Principatu certarent, Boleslaus Audax Isaslaum aliquoties iuuit, & ius regni in Russiâ asseruit Kijouiâ in potestatem redactâ.

Idem Boleslaus Isaslao tributum imposuit.

Isaslaus imperium inter filios partitus.

Pulso ob cædem S. Stanislai Boleslao Russi penitùs defecerunt.

Boleslaus Criuoustius Russos Poloniam hostiliter ingressos fundit, & pòst Stopelci Chiouiensis Ducis filiam in matrimoniũ accipit.

ære

Eiuſdem cum Ruſsis bella vſque ad annum 1138.

Boleslai Criſpi pro Iſaslao conatus.

Diſtracto diuiſionibus Chijouienſi Ducatu Halicienſium potentia creuit.

Caſimirus Iuſtus Mieciſlaum Halicienſium Ducem pulſum reſtituit.

Vlodimirus Halicienſium Dux fidem Polonis iurat 1185. & Caſimiro pugnanti ſuppetias fert 1190.

Idem fecit Romanus Vlodimirienſis Dux.

Victo & occiſo ad Zauichoſtum Vlodimiro Leſcus Poloniæ Monarcha Colomano Hungariæ Regis filio cum Salomeâ ſorore Halicienſe Regnum dotale dedit.

Pulſus Colomanus, & reſtitutus à Polonis, à Ruſsis veneno ſublatus.

Daniel fictè eiurans ſchiſma, à Legato Sedis Apoſtolicæ Regis titulum obtinuit, ſed rurſus in errorem relapſus hoſtis Polonorum fuit.

ære mulctatum, cùm is in fide & clientelâ Regum Poloniæ ſe fore iuraret, dimittit; ſed fœdifragus Vngaro quodam Viſliciam prodente, multis hominibus cæſis, vel captis diripit. Eum vlturus Boleſlaus infeſto agmine Ruſſiam petit, ac longè lateque populationem extendit, mox inde fraude Ruſſorum Halicienſium in inſidias præcipitatus, ignauiâ cuiuſdam Palatini malè pugnat: circa Annum Domini Milleſimum centeſimum trigeſimum octauum, Boleſlaus Criſpus, pulſum Kijouienſi Principatu Iſſlaum reſtituere conatus, ob eius ignauiam re infectâ redit, Anno Milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo. Paulò ante hæc tempora diſtracto Ducum diuiſionibus Kijouienſi Principatu, Halicienſium potentia creuit; quorum Dux Meciſlaus quaſi nothus à fratribus Wſeuoldo Betzenſi & Vlodimiro Halicienſi pulſus, ad Caſimirum Iuſtum confugit; qui magno prælio ad Haliciam Ruſſis ſuperatis, Meciſlaum fide ab eo acceptâ Halicienſibus præfecit, Anno Milleſimo centeſimo octuageſimo ſecundo, magnamque partem Ruſſiæ ſuæ poteſtatis fecit. Sed Meciſlao non multò pòſt veneno ſublato, Vlodimirus ope Polonorum eiectis Vngaris, qui Haliciam interceperant, Principatum adeptus, iurauit fidem & obſequium Polonis, atque Anno Milleſimo centeſimo nonageſimo ex fœdere Caſimiro pugnanti præſtò adfuit: quod & Romanus Vlodimirienſis Dux in Moſgauienſi prælio ex formulâ itidem fœderis præſtitit; ob quam cauſam Anno Milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo mortuo Vlodimiro, acceptâ priùs ab eo fide, Halicienſibus à Nicolao Palatino Cracouienſi Leſci curatore præficitur. Sed dum immemor beneficij bellum Poloniæ infert, ad Zauichoſtum victus & occiſus eſt. Inde cùm Leſcus Colomano, Andreæ Regis Vngariæ filio, cum Salomeâ ſorore Halicienſe Regnum dotale dediſſet, iſque ab Epiſcopo Cracouienſi coronatus eſſet; Ruſſi omnes externi Principatus & religionis odio in Colomanum conſpirant, ac eum pellunt, regnumque auxilio Polonorum & Hungarorum repetentem vincunt, iterumque reſtitutum veneno tollunt, Daniele Romani filio rem ſtrenuè gerente, qui poſteà quoque Halicienſe Regnum occupauit, ab Opiſone Legato Sedis Apoſtolicæ fictâ ſchiſmatis eiuratione obtento Regis titulo. Sed Græcâ fide in errorem relapſus, religionis Chriſtianæ hoſtes Lithuanos & Tartaros, quò Polonorum vires infringeret, ad infeſtandam Poloniam incitauit. Paulò antè Potoucij in Ruſſos Tartaros immiſerant, qui cæſis duodecim vno prælio Ruſſiæ Ducibus, totam pænè à ſtirpe gentem deleuerunt; eamque partem Ruſſiæ, quę in Septemtrionem & Orientem vergit, vectigalem fecerunt: quæ in eâ ſeruili conditione vſque ad Ioannem Moſchouiæ Ducem, qui circa annum Domini Milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum nonum primus barbaræ ſeruitutis iugum excuſſit, permanſit. Cæteri Ruſſiæ Duces, vel in noui Halicienſis Regni corpus coaluerunt, vel Lithuanis adhæſerunt: qui quondam Ruſſorum humiles & abiecti ſerui, dominorum ſuorum

clade elati, & breui partâ potentiâ, primò quidem cum Russis initâ societate, Suarnone & Mendaco (hic ille est qui mentitâ Christianâ fide Rex Lithuaniæ est renunciatus) ducibus, maxima damna nostris, contra quos (Russorum, in nomen & religionem Polonam capitali odio flagrãtium, persuasionibus) euocati erant, intulerunt. Zemouitum Ducem Masouiorum cum Conrado filio interfecerunt. Sed cùm à Polonis fortiter reprimerentur, Russorum paulò antè socij in eosdem arma vertunt; & partim spontaneâ concessione, partim vi, Kijouiensem, Nouogrodensem, in Seueriâ Kiernouiensem, Lucensem, Vladimiriensem, Branscensem, Polocensem, Vitepscensem, aliasque vicinas Russiæ prouincias subiugant. In eo rerum statu cùm florentissimum quondam Russiæ Imperium versaretur, Halicensium regnum, Leone Danielis filio steriliter è viuis sublato, ad Troidemi Masouiorum Ducis filios, Mariâ sorore Leonis genitos, deuenit: quorum maior natu Boleslaus aditâ secundùm auunculi mortem hæreditate, cùm fraude Russorum vno religionis nomine ipsis inuisus, dato veneno extinctus esset; frater ipsius similem veritus casum, in Casimirum Regem, acceptâ ab eo terrâ Belzensi, ius hereditarium transfudit: cuius prætextu ille vetustum ius Poloniæ asserturus, Anno millesimo trecentesimo quadragesimo, meridionalem Russiam totam armis subactam, in formam prouinciæ redegit. Et cùm reliquam Russiæ partem Lubartus Gedimini filius dotis prætextu vsurparet, idem Casimirus Anno millesimo trecentesimo quadragesimo nono, eiectis Lithuanis recuperauit; ac cum Rege Hungariæ, vt titulo Russiæ deinceps abstineret, transegit. Certatum deinceps vario euentu cum Lithuanis de Russiæ possessione, post mortem Ludouici Regis proditione Hungarorum, quos in præsidijs arcium Ludouicus reliquerat, ad Lithuaniæ Duces translatâ; donec adscitus in regnum Vladislaus Iagiello, in cuius coronatione feudales Rusiæ Duces, nimirùm Nouogrodensium, in Seueriâ Kiernouiensium, Lucensium, Vlodimiriensium, Branscensium, Kijouiensium, Regi, Reginæ Heduigi & coronæ Regni Poloniæ fidem & obsequium iurarunt. Id attestantur complura diplomata in Archiuo Cracouiensi, quorum indices infrà referentur. Mox à coronatione missus à Rege Vitoldus, Poloscum & Smolenscum in potestatem Regis redegit. Anno deinde millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, Theodoro Duci Vladimiriensi, Iagiello Rex Poloniæ Seueriensem Ducatum, acceptâ ab eo fide quòd in potestate Regum Poloniæ mansurus esset, attribuit; missoque Vitoldo, Orsam & Vitepscum recuperat, ac Odruscensem & Smolenscensem Ducem in fidem recipit. Postremò Glebum Ducem Smolenscensem, sæpiùs rebellem, Magistratu mouet, & cum Basilio Moschouiæ Duce amicitiam cõtrahit; cuius nomen circa hæc ferè tempora, obscurum anteà, innotescere cœpit. Nam non multò pòst, idem Vitoldus recepto priùs Anno millesimo quadringentesimo tertio Smolensco, Anno millesimo quadringente-

Lithuani magnâ parte Rußiæ potiuntur.

Halicienſium regnum ad Maſouiæ Duces deuolutũ, quorum vnus illud Caſimiro Poloniæ Regi conceßit.

Caſimirus Poloniæ Rex Rußiam in formam prouinciæ redegit.

Inter Polonos & Lithuanos de poſſeßione Rußiæ certatũ eam poſt mortem Ludouici Regis Hungari ad Lituanos transferunt.

Vladiſlao Iagielloni Rußiæ Duces fidem iurarunt.

Moſchouiæ Ducis nomen clareſcere cœpit.

dringentesimo sexto superato flumine Vgrâ, in Moschos vnà cum Zbigneo Brzezio Marschalco Regni, ac multis Polonis expeditionem suscepit: & abactâ prædâ, iterum anno sequenti vsque ad Occam fluuium populabundus peruenit, Rozanensemque ditionem populatus, conditiones pacis Basilio Moschouiæ Duci dedit. Eo tempore Branscum, & Starodubum arces in Seueriâ, Suidrigelo beneficio Regis Vladislai tenebat: neque enim eâ tempestate dubium erat Regis Poloniæ in illas gentes imperium; quòd Iagiello matre Mariâ Tuerensium Ducis filiâ genitus, ipse postmodùm Sophiâ, Kijouiensis Ducis filiâ & vnicâ reliquâ superstite, vxore ductâ, susceptis ex eâ filijs, tantò magis quæsitum dudum olim Boleslaorum labore Regno Poloniæ ius, sibi posterisque suis firmauerat. Vitoldus verò aliquoties infestis armis terrorem nominis sui in eas partes ita pertulit, vt ipsi Nouogrodenses, liber & immunis Russiæ populus, maximis viribus & opibus pollens, pacem mercari, ac ingentibus donis victorem placare coacti fuerint. Sed enim Vitoldo Duce & Vladislao Rege Poloniæ fatis concedentibus, neglecta admodùm res Russica fuit, dataque occasio nascenti tum primùm Moschouiæ Principum ambitioni, noui proferendi imperij. Nam Vladislaus Iagiellonides in ipso ætatis flore, felicissimis successibus Poloniæ & Vngariæ regnum adeptus, ad domandos Turcas animum adijciens, vt cætera alia, ita curam in Septemtrionem vel retinendi vel proferendi imperij intermisit. Casimirus item frater ipsius dum pænè eodem consilio, Hungaricum & Bohemicum regnum, hæreditario vxoris suæ iure asserere, illudque in filios suos transferre nititur; magnâ auitæ ditionis iacturâ fecit. Nam Ioannes Moschouiæ Dux, eo potissimùm imperante, Anno 1471. excusso iugo Tartarico, occupato inprimis & omnibus thesauris spoliato Magno Nouogrodo, partisque ingentibus opibus, Vladimiriensem, Ioroslauiensem, Tuerensem, Mosaiscensem, Sudalscensem, Pscouiensem, Rosanensem, ac magnam partem Seueriensis Ducatus, partim dolo, partim vi, nonnulla etiam falso successionis nomine, interuertit; & patrimonium quondam Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, maiorum sanguine partum, ad se transtulit. Idem quoque posteà Alexandro Rege (cui filiam suam matrimonio iunxerat) rerum potiente, immemor affinitatis, Anno millesimo quingentesimo Drohobusum, Toropecum, Biallam, Branscum genero abstulit; agrumque Smolenscensem populatus est, Seuerienses que Duces leui de causâ Regi offensos, & iam anteà suis ditionibus à Moscho exutos, in suam fidem (cui mox illi sanguine litarunt) recepit. Cuius filius Basilius Anno millesimo quingentesimo decimo tertio, Smolenscensem arcem longâ obsidione fatigatam (proditionem Glirscio proditore, Russis qui in præsidio arcis erant suadente, fraude dedentibus) cum præsidiarijs intercepit: & proculdubio vlteriùs promouisset arma, nisi Sigismundus Primus, felicissimo ad Orsam prœlio, tot millibus Moschorum cæsis, incensum regnandi libidine ambitiosi hominis animum

Vitoldi contra Russos progressus.

Vladislao Iagellonide ad domandos Turcas & Casimiro fratre eius ad asserendum regnum Hungariæ & Bohemiæ intento noui Moschouiæ Duces magnam Russiæ partem ademerunt.

animum compreſſiſſet; atque ad petendam deinceps pacem coëgiſſet.

Et ex his quiuis facilè colligere poteſt, quàm vetuſto iure regnum Poloniæ Ruſſiæ terras ſibi ſubiectas habuerit, & quibus viciſſitudinibus legitima poſſeſſio interrupta fuerit. Quæ omnia abolita fuiſſe, Ruſſiamque vniuerſam iterum in ius poteſtatemque regni, deditione eorum, qui Iagiellone Rege Regiâ dignitate aucto coronæ Regni Poloniæ ſe adiunxerunt veniſſe, infrà adſcripta diplomata ſufficienter conuincunt. Cùm enim probè noſſent maiores noſtri, Patrimonium Reipublicæ Ruſſiæ Ducatus, qui olim bello & ſucceſſionibus parti, imperio Regum Poloniæ ſubiecti fideque & obſequio obſtricti erant: partim Ducum quorundam ſeceſſione, partim Lithuanorum, qui excuſſo iugo ſeruitutis, eos, quibus olim tributum pendebant, in ſuam poteſtatem redegerant, vi & potentiâ, iniquiſsimis Reipublicæ noſtræ temporibus à reliquo Regni corpore auulſos, & abſtractos fuiſſe, eâ conditione Vladiſlaum Iagiellonem Heduigis hæredis Poloniæ regium connubium, & regnum ambientem votis potiri permiſerunt, vt ea quæ tũ in poteſtate ipſius fuerunt, regno reſtitueret, ac ſuas inſuper ditiones in vnum Reipublicæ corpus coaleſcere pateretur. Hinc Octo Duces Lithuaniæ in ipſo Coronationis Regiæ actu Regi, Reginæ, regno, fidelitatem iurant: hinc ea rata fore vades dati Duces Vitoldus, Skirgello, Fieodor, Luchardi Dux Lucenſis, cuius rei teſtimonia extant, literæ eorundem Ducum, qui hoc, vt vocant, obſtagium in ſe recepiſſe agnoſcunt.

Vladiſlaus Iagiello eâ conditione in Regem Poloniæ aſſumptus, vt ea quæ ipſius in poteſtate erant Regno Poloniæ reſtitueret.

Octo Duces Lithuaniæ in coronatione Regis Vladiſlai Iagellonis fidelitatem Regno Poloniæ iurant.

Ac præterea Demetrius Koributh Vladiſlao Regi, & Heduigi Reginæ, & Coronæ Regni fidelitatem pollicetur, & ſe regno vnit. Datum in Lucko die B. Seuerini Anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſexto. Idem alio diplomate hoc idem ſpondet Anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo octauo.

Skirgello Dux Lithuaniæ Vladiſlao Regi & Heduigi Reginæ ac Coronæ regni Poloniæ homagium præſtat, fidem & obedientiam pollicetur; ſemper ſe adhæſurum regno cum caſtris & poſſeſsionibus, & ſi ſine prole deceſſerit, ditiones ſuæ ad Coronam regni pertinebunt, ita tamen vt liceat ſibi Eccleſiæ contribuere. Datum in Lida feriâ tertiâ poſt feſtum B. Viti, Anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſeptimo.

Alexander, aliàs Wigmunt, Dux Kijouienſis, Vladiſlao Regi & Heduigi Reginæ, ac Coronæ Regni fidelitatem promittit, ſe & terras ſuas, regno Poloniæ perpetuò ſubijcit. Die Inuentionis ſanctæ Crucis Anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo octauo.

Simeon Laguni, poſt commiſſam ſibi à Rege Vladiſlao magnam Nouogardiam, promittit Regi, ac regno cum omnibus ſubditis ſuis fidelitatem, Anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo nono.

Simeon Iurgiewiez Dux Vladiſlao & Heduigi ac Coronæ regni Poloniæ homagium fidelitatis præſtat, ac ſe regno incorporat. Datum Sen-

domiriæ in octauâ Resurrectionis Domini Anno millesimo trecentesimo octuagesimo nono.

Idem datus hominibus de magnâ Nouogrod in Tutorem & Gubernatorem, Vladislao Regi & Heduigi Reginæ, ac Coronæ regni Poloniæ se adhæsurum perpetuò pollicetur. Sendomiriæ die Dominico Conductus Paschæ Anno millesimo trecentesimo octuagesimo nono.

Vitoldus Dux Lithuaniæ, indultâ sibi à Rege culpâ rebellionis, ac restituto sibi patrimonio per Vladislaum Regem, conformat se voluntati ipsius, Heduigi Reginæ, & Coronæ regni Poloniæ se cum omnibus bonis suis subijcit. Datum in Ostrowo die Sancti Dominici Anno millesimo trecentesimo nonagesimo tertio.

Anna Ducissa Lithuaniæ pro Alexandro Vitoldo marito suo, Reginæ Heduigi cauet, eum omnia impleturum, quęcunque Vladislao Regi & regno promisit. Datum in Ostrowo die. vt suprà.

Theodorus Dux Vlodimiriensis, fatetur se terram Seueriensem à Vladislao Rege & Heduigi Reginâ & Regno Poloniæ ac Principatu Lithuaniæ ad gubernandum suscepisse; promittitque se Regi & regno adhæsurum. Datum Visliciæ feriâ sextâ post octauam Ascensionis Anno millesimo trecentesimo nonagesimo tertio.

Est prætereà diploma Ruthenico idiomate scriptum cum hac annotatione: Quinque Duces Russiæ Regno Poloniæ fidem suam obstringunt.



STANISLAI ZOLKIEVII

GENERALIS EXERCITVVM REGNI POLONIÆ DVCIS

De bello Turcico Epistola deliberatoria, ab Auctore in Latinum versa.



IGILLVM Regni monile à Regiâ Maiestate Vestrâ fidei meæ concreditum, nolui committere huic periculo; ad quod subeundum non inuitus accingor. Explicaui alijs literis causas, cur omissis tutioribus fortiora consilia amplectar. In hoc Reipublicæ statu plerisque omnia in deterius interpretantibus, & obstinato animo recta consilia damnantibus, aliter fieri non potest. Priuati quoque mei respectus eam mihi necessitatem imposuerunt, opprobria, detractiones (ad ferendum vel magnis animis molestissimæ) passim citra meam culpam in me iactatæ. Nunc etiam nisi Valachis petentibus suppetias ferrem, daretur occasio sermonibus maleuolorum quibus ego potissimùm peterer. Eò res deuenit; vt aut (quod Deus largiatur) vincemus hostes, vel (quod auertat) ille nos vincet. si (quod absit) aduersa Reipublicæ sors ceciderit, nolo superstes esse: diu id iam in votis mihi fuit, & volens extremum subibo fatum, pro fide sanctâ Catholicâ, pro Maiestate Vestrâ, pro Republicâ, licet ab hac laborum & periculorum eius causâ susceptorum gratitudinis loco opprobria retulerim; non possum tamen nisi optimè cupere Patriæ meæ. Eorum quæ optimo animo à me facta sunt, præmium in cælis me consecuturum confido. Quòd si, vt spero, Deus nostris contra hostem conatibus fauerit, ad minus mordaces peritiorum linguæ conticescent. Hæ sunt præter alias causæ, cur hoc consilium secutus sim, vniuerso consentiente exercitu: reliqua quæ euentura sunt, secreto Dei arcano continentur. Habes, Serenissime Rex, Domine mi, magnum negotium. Bellum cum Turcis non est ludus. Vel Turcarum conatus, qui ad nostrę Reipublicæ & totius orbis imperium adspirant, refrenandi sunt, vel tibi, si (quod absit) Respublica perierit, regnum amittendum. Hîc, Serenissimè Rex, oportet intendas vires animi & ingenij tui. Non desunt, fauente Deo, in hoc amplissimo regno rationes, modò eas amplecti velimus, his periculis obuiàm eundi; sunt facultates tanto bello sustinendo pares. Argumento sint superioribus annis in vno pænè momento tot milliones pecuniæ coaceruati, quibus à milite fœderato Rempublicam eliberauimus: præter extortam

ab ijs annonæ & victus nomine à ſubditis magnam pecuniæ partem. Huius tamen tam ingentis exactionis nulla in Ruſſiâ ſigna apparerent, niſi in locum eius perpetuæ Tartarorum illius prouinciæ populationes ſucceſſiſſent. Tantò magis nunc cùm agitur de extirpatione cultus Dei noſtri, id quod barbari intendunt, agitur de incolumitate & ſalute Reipublicæ, de libertate; denique cùm omnia quæ vnicuique cara ſunt in diſcrimen vocantur, non eſt parcendum fortunis & facultatibus. De modo & ratione huius belli gerendi iure meo dicere poſſum, me diuturnâ experientiâ aliquid aſſecutum eſſe: legi multa, in promptu habeo exempla plurima: poſſem aliquid conſilij adferre, ſed res non eſt eius epiſtolæ, tantæ molis minimè capacis, præſertim cùm in conſpectu ſit hoſtis, & ego in ipſo diſcrimine plura ſcribere non poſſim. Dico ſimpliciter, ſi Reſpublica Patria mea cariſſima, defenſiuo bello intra fines Regni, idque viritim imperatâ publicâ expeditione, eâque legibus in Comitijs Electionis Henrici Regis circumſcriptâ, Turcicum bellum ſuſtinere decreuerit; actum eſt de nobis, perijmus. Quòd ſi hoſtem, ditiones eius ingreſſi, adoriemur, & infeſtabimus; non eſt deſperandum de victoriâ. Et quis ſcit an non is modus ſit, quo Deus decreuit de hac barbarâ & abominandâ gente, pœnas ſumere, & Chriſtianos è turpi liberare ſeruitute? Mentionem fecit Illuſtris Dominus Palatinus Poſnanienſis, in ſcripto typis euulgato, me viuente Rege Stephano conſcium fuiſſe ſecreti conſilij, de bello, quod ille Rex contra Turcas meditabatur, communicatis cum Sixto Quinto Pontifice Maximo, & Philippo Hiſpaniarum Rege conſilijs; Moſchos quoque per Ioannem Petri Suyſcium, arcanis practicis pleroſque ſuis conatibus fauentes effecerat. Poloni (quantum mihi ſcire licuit) quatuor tantùm eius conſilij conſcij fuimus. Nondum ea deſtinata ita maturuerant, vt Regni Ordinibus communicari & proponi poſſent; mors deinde Regis Stephani omnia hæc diſſoluit. Ita tamen inter ſocios belli conuenerat: Rex Stephanus cum Terreſtribus, Dux Parmenſis cum naualibus copijs in Græciâ ad Helleſpontum, ſiue Archipelagus, conuenirent, vireſque coniungerent ac ſimul terrâ marique hoſtem oppugnarent. Per Valachiam noſtris finibus vicinam propterea Rex Stephanus exercitum ducere nolebat, quòd vereretur ne ab hoſte, ripam Danubij tenente, tranſitu prohiberetur: quod nobis nunc minimè timendum; cùm tot Coſacos naualis rei peritos, qui Danubio cymbis conſtrato exercitum traducere poſſint, habeamus; quorum illo tempore vix centeſima pars erat. In ſummâ is belli gerendi modus, ea vnica via ſalutis. Concludo hanc epiſtolam, tibique Sereniſsime Rex, Domine mi, valedico. Conſcius mihi ſum, idque ad Tribunal Dei mox compariturus, confirmo, me fideliter & ſyncerè Maieſtati Veſtræ ſeruiuiſſe: ſi quâ in re (homo enim ſum) id quod debui non præſtiti, veniam det mihi Maieſtas Veſtra, & filium meum, ſi fortuna belli ei pepercerit, Regio patrocinio complectatur. Deus Optimus Maximus Maieſtatem Veſtram

Sixti V. Pontificis Maximi de inferendo Turcis bello cum Stephano Poloniæ Rege conſilium.

Vestram seruet in longæuum tempus, ad propagandam gloriam nominis sui, & Rempublicam hanc augendam; denique Maiestatem Vestram functam vitâ, participem faciat æternæ beatitudinis, vbi ipse viuit & regnat cum Filio & Spiritu sancto verus & æternus Deus. Bari in ipsâ ad ipsum exercitum profectione, die vigesimâ quintâ Augusti Millesimo sexcentesimo vigesimo.

Maiestatis Vestræ fidelis consiliarius, & humillimus seruitor, Stanislaus Zolkiewski Cancellarius & Supremus exercituum Regni Capitaneus.

EPISTOLA,

Narrationem belli Turcici ad Chocimum gesti continens, ad GREGORIVM XV. *Summum Pontificem, nomine* SIGISMVNDI III. *Polon. & Sueciæ Regis scripta.*

CVM dubijs & aduersis rebus meis regnorumque meorum periculis, quæ ob illatum mihi à communi Christiani nominis hoste Turcâ bellum imminebant, Sanctitatem Vestram summoperè de me fuisse solicitam satis compertum habeam; ad illam etiam imprimis de præsenti rerum mearum statu referre volui: Magnum id equidem fuisse periculum, & maius reliquis omnibus, quæ vnquam Respublica Christiana sustinuit, facilè quiuis ex eo collegerit, quòd in perniciem meam, vel potiùs totius Europæ, duo potentissimi hostes Turca & Tartarus, ambo ingentium exercituum Imperatores, & debellati orbis terrores, vno eodemque tempore conspirauerint, vires coniunxerint, copias omni apparatu bellico ac eâ militum multitudine, quam nunquàm hactenùs Europa vidit, instructas, finibus ditionum mearum admouerint; eo animo, vt vno impetu, quasi nemo illis esset repugnaturus, omnia sub suam potestatem redigerent. Fateor, Beatissime Pater, me expensâ periculi magnitudine, meritò initio addubitasse, an solius regni mei viribus, vel primum hostis impetum sustinere possem. Videbam tot Reges, tot Imperatores ab eo hoste longè minoribus copijs cæsos, victosque, vel certè turpi conditione pace redemptâ acerbissimum barbaricæ seruitutis iugum subijsse. Cæterùm cùm semper eâ voluntate fuerim, vt optarem, vel capitis mei periculo, omne Catholicæ religionis & communis salutis discrimen excipere; eo animo venienti inimico obuiàm eundum decreui, vt ille intelligeret rem sibi esse cum eo Principe, qui & superbi hostis minas contemneret, & armati potentiam non reformidaret. Exercitu itaque comparato, Ducibus ijs, quorum præclaram sæpiùs in re militari virtutem expertus fueram, mandaui vt in hostem ducerent: filium etiam meum Principem Sigismundum Vladislaum, summo cum imperio ad exercitum misi: ipse denique aduocato

Procerum regni consilio, comitijsque eius rei causâ indictis, vniuersis regni ordinibus adnitentibus, bellum totis viribus gerendum decreui. Maturauerat hostis aduentum suum, eâ vsus celeritate, vt non modò vsurpatæ à Turcis profectionis morem non obseruauerit; verùm etiam famam ipsam, nuntiosque omnes præuenerit. Id ita fore suspicati Duces mei, inuocato Dei nomine, exercitum Catholico more lustratum expiatumque, transmisso fluuio Tyrâ, qui meas hostilesque ditiones dirimit, in hostico collocarũt, castra, loco ad arcendum hostem peropportuno posuerunt, eaque vallo & aggere munierunt. Vix crediderat hostis suis nostrorumque viribus expensis, nostros vel comparere ausos, falsoque sibi renunciari existimabat, eos vltro obuiàm processisse: cæterùm cùm in conspectu vterque esset exercitus, quasi destinatam sibi prædam conspicati barbari, ita clamore excitato in exercitum meum impetum fecerunt, vt non nisi victoriâ potiti pedem relaturi viderentur. Sed enim ea fides, constantia, & virtus meorum militum fuit; vt non solùm vanam barbarorum vociferationem contempserint, verùm patefactis portis temerè subeuntes, pecudum instar ceciderint, longè à vallo submotos, fugientesque in castra compulerint, cadaueribus hostium campos interiacentes strauerint. Irritauit ea res barbari iuuenis bilem, vt in eos quidem qui loco cesserant acerbissimis sæuiret pœnis, alios verò propositis ingentibus præmijs ad capessendam pugnam alliceret: sed facto sæpiùs eius rei experimento, totiesque magnâ strage repulsis, & toto campo palatis Turcis cùm appareret copijs tantùm eos superiores esse, cæterùm vbi ad arma ventum fuerit, & virum viro contuleris, non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis parem Polono esse Turcam; ad alias conuersus artes barbarus, atque quò nostros eâ quâ abundabat multitudine circumueniret, longiùs à castris protrahere conabatur. Sed is quoque patuit dolus, nostri enim gnari quò hostiles tenderent conatus, explicatis sub vallo copijs, pugnæ aleam se subire paratos esse ostenderunt. Ita cùm hostes sæpiùs fusi fugatique propiùs accedere nollent; & nostri vicissim non nisi sub ipsis castris armatam explicatamque aciem tenerent, leui deinceps certamine res acta. Ad extremum fessi hostes, & spe deiecti, cùm quotidie suos non in acie modò cadere, sed ex diuturno castrorum situ vulgatis passim morbis absumi, meque vniuersâ Nobilitate excitâ in itinere esse cernerent, primi per internuntios pacis mentionem fecere; superbis primò, vt barbarorum mos est, propositis conditionibus; mox ijs acceptis, quas eius rei causâ ab Ordinibus Regni destinati bellici Consiliarij tulerunt. Is exitus fuit tantorum conatuum, quibus barbaries vniuersa in perniciem meam, regnorumque meorum hoc anno incubuerat. Recepit se Turcarum Imperator priorque ex campo (hæc enim vna ex conditionibus latis erat) suas subduxit copias; amissis præcipuis quibusque militibus, & belli Ducibus, amisso aut corrupto belli apparatu, victo similis. Sed ego Diuinum

recolo

recolo & agnoſco patrocinium, Deo ſalutē partam me debere profiteor. Scio me plenam non conſecutum victoriam, ſed tamen id adeptũ quod hactenùs Principibus Chriſtianis in votis fuit: vt tantus hoſtilis apparatus fruſtra eſſet, & ambitioſis inflatus victorijs, tandem vincere dediſceret, atque ne palmo etiam terræ è meis ditionibus adempto arma deponeret. Neque ſcio an in præſenti rerum Chriſtianarum ſtatu magis id optabile non fuerit, quàm ipsâ potiri victoriâ: non enim is eſt Turca, qui ſemel victus vires reſumere non poſſit: non armis, ſed ſæculis vincendus eſt. Eius rei documento eſſe poſſunt vel Romani Imperatores, de Hungariâ cum illo ambiguo ſemper marte certantes, vel potentiſſimi Perſarum Reges tot iam ſæculis dubio euentu bella cum eo hoſte gerentes. Deſcendiſſem ego in certamen ſocialium virium fiduciâ, ſed quàm eæ dubiæ, quàm incertæ ſint, quàm periculosè ijs credi poſſit, animaduertit Sanctitas Veſtra. Ardet internecino bello Germania vniuerſa, ac Hungariç Bohemiæque vicina regna. Sereniſſimus Imperator Romanorum, cognatus & affinis meus, ita domeſticis diſtinetur armis, magis vt ipſe auxilio egeat, quàm vt alteri opitulari poſſit. Cæteri Principes Chriſtiani, vel à nobis imminentique ditionibus noſtris periculo remoti, vel priuatis bellis occupati, nihil certi pollicebantur. Sanctitas Veſtra ipſamet tot periclitantis & penè labentis Reipublicæ Chriſtianæ diſtracta curis, quantum præſtare poſſet, iam anteà mihi declarauerat. Continuis præterea bellis, & acceptâ ſuperiori anno clade, vires regni mei acciſæ; in comparando quoque nouo exercitu, bellicoque apparatu ita exhauſtæ erant, vt maioribus ijſque diuturnis expenſis minimè ſuffeciſſent. Ab alterâ parte Suecus perduellis meus, Hæreticus, idemque Turcarum iuratus ſocius, traductis per mare copijs, Liuoniam iuris Polonici prouinciam hoc ipſo tempore infeſtabat: demum à rebellibus Cæſareis, ijſdemque Catholici nominis hoſtibus, Hungaris, & Bohemis, omnia ſuſpecta erant. Pacem itaque paciſque conditiones à meis prçſcriptas, & à Turcâ acceptatas probaui. Factum meum is reprehēderit, qui à periculo remotus, alieno diſcrimine famam fortitudinis captare vellet. Sanctitatem Veſtram non dubito in optimam partem accepturā pro publicâ ſalute ſolicitudinem meam, & eam quam ſecutus ſum conſeruandi mei regnorumque meorum ſtatus, conſiliorum rationem. Filius meus Princeps Vladiſlaus, ita in hoc bello verſatus eſt, vt eius virtus hoſtibus ipſis admirationi fuerit: hæc ſunt Regiæ eius indolis rudimenta, hæc heroici animi facinora; quæ ille tot iam bellis exercitatus, & ad virtutem formatus, Reipublicæ Chriſtianæ & imprimis Catholicæ religioni iuuandæ, deinceps deuouet. Hunc ego ex me natum, ijs eruditum monitis, quæ ad ſalutem publicam curandam pertinent, præceptis paternis obſequentem, & nomini Catholico deuotum, Sanctitati Veſtræ tanquàm communi parenti filium commendo. Viuat in ſinu Eccleſiæ ſanctiſſimiſque Sanctitatis Veſtræ benedictionibus cumulatus, totum ſe

publicæ

publicæ vtilitati impendat. In eam ſpem & reliqua mea ſuccreſcit ſoboles, & ego ipſe quâ mente iuuenis fui, & nunc prouectâ ætate idem ſentio; dulce, decorum, & optabile eſſe pro religione Eccleſiâque Catholicâ mori. Eâ voluntate vt reliqui quoque Principes Chriſtiani ſint, conſentientibuſque ſtudijs ad ſalutem communem tuendam incumbant, ego & opto inprimis, & me, quotieſcunque res popoſcerit, & ſecuræ ſacri fœderis proponentur conditiones, ſi non ducem, ſocium certè rei gerendæ fore polliceor. Quod reliquum eſt me, regnaque mea gratiæ Sanctitatis Veſtræ diligentiſſimè commendo.

Imperatori Romanorum FERDINANDO II. *de eodem bello relatio, facta à* SIGISMVNDO III. *Poloniæ & Sueciæ Rege.*

GRAVIS quædam perículoſiſſimi belli tempeſtas, & proximè ſuperiori & hoc anno incubuerat regnis ditionibuſque noſtris, vniuersâ propè barbarie ad inferendum nobis bellum conſpirante. Iam anteà certiorem feceramus Maieſtatem Veſtram, quantum ex eo nobis, quantum deinceps vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ impenderet periculum, cuius etiam admonueramus præcipuos quoque Chriſtianos Principes. Atque vtinam noſtra ad exſtinguendum commune incendium, apud omnes, eum quem deberet habuiſſet locum cohortatio, iam dudum ij qui Maieſtati Veſtræ rebelles ſunt, poſitis armis ad officium rediſſent: & ſi cæteri Principes ad animum reuocaſſent, dum nos bello petimur, ijs quoque par mox imminere ſupremi exitij & barbaricæ ſeruitutis diſcrimen, Turcicæ res temeritate huius, qui nunc iſthic rerum potitur, ſi maturè & ſeriò id à reliquis Principibus Chriſtianis animaduerſum fuiſſet, fatali periodo ſuccubuiſſent. Scimus Maieſtatem Veſtram toto hoc tempore fraterno affectu ſolicitam fuiſſe de ſtatu noſtro: nam hoc coram eo qui legationis munere noſtro nomine apud Maieſtatem Veſtram nuper functus eſt, & ſæpè per internuntios literaſque declarauit: & procul dubio omnia quę à ſupremo rei Catholicæ Præſide in tali rerum ſtatu expectari poterant, auxilia Maieſtas Veſtra præſtitiſſet, niſi ob domeſticorum perduellium arma, eam curam quam publicæ ſaluti debet ad priuatum ſtatum dignitatemque tuendam referre coacta fuiſſet. Nos itaque deſerti ab omnibus, ſolius huius regni viribus, ingentis huius & perículoſi belli molem ſuſtinendam ſuſcepimus, & Deo nobis opem ferente ſuſtinuimus. Quantis viribus iuratus Chriſtiani nominis hoſtis nos aggreſſus fuerit, quàm ingentes exercitus finibus noſtris admouerit, vix ij credent qui remotiores ſunt: Maieſtati Veſtræ ea res ignota eſſe non poteſt, cùm internuncius Maieſtatis Veſtræ, qui in aulâ Cōſtantinopolitanâ verſatur, magnam partem earum copiarum ac bellici apparatus viderit. Tantus certè fuit exercitus quantum hactenùs trecentis iſtis annis, ex quo Ottomanica potentia Chriſtianis innoteſcere cœpit, vix vnquam Europa viderit,

derit, idque vel ex eo conijci poteſt, quòd duo terrores orbis Turcarum & Tartarorum Imperatores in vnum coierint, exercitus coniunxerint, & ampliſſimas ex totâ barbariâ collectas vires, Valachicis Moldauiciſque auctas copijs in vnum contulerint. Contra tantam vim & truculentos immanium hoſtium conatus, nos viciſſim primo vere comparatum exercitum, maturè expediuimus, viribus quidem & numero longè minorem, ſed ad omnem ſubeundum caſum animo parem. Ac vt & ſubditis noſtris & vniuerſo orbi conſtaret, nobis in tali caſu nihil antiquius fuiſſe publicâ ſalute; filium noſtrum Sereniſſimum Principem Sigiſmundum Vladiſlaum, Maieſtatis Veſtræ ſororium, ad ſubeundum primum diſcrimen belli morandoſque hoſtiles ſucceſſus, & vt noſtro nomine exercitui præeſſet miſimus, ipſi ſubinde vniuersâ Regni Nobilitate viritim euocatâ ſubſecuturi. Cùm verò ij quibus ſecundùm filium noſtrum cura exercitus à nobis mandata erat animaduertiſſent, hoſtem celeriùs quàm quiuis ſuſpicari potuiſſet traiecto pontibus Danubio Valachiam exercitibus ſuis, vt in fines noſtros erumperet, impleuiſſe, ipſi quoque Tyrâ fluuio, qui noſtras, Turcicaſque ditiones dirimit ſuperato, loco ſatis tuto & opportuno caſtra, quâ hoſti Cameneciam oppugnaturo tranſeundum erat, poſuerunt, eaque vallo modico foſsâque cinxerunt: eo animo vt vel pro caſtris explicatis copijs pugnæ copiam hoſti facerent, vel ſi maior vis ingrueret intra munitionem, (intra quam etiam Chocimum, arcem exiguam illam quidem, ſed naturâ propè inexpugnabilem, quæ anteà iuris Turcici fuit, receperant) ſe continerent. Et hoſtis nihil moratus vltimis Augusti Menſis diebus, caſtra ſua noſtris admouit, victoriæque & prædæ certus, vniuerſis copijs ea oppugnare adorſus, tantâ mox acceptâ calamitate à noſtris reiectus, & in ſua caſtra repulſus eſt; vt promptiſſimo quoquo è ſuis amiſſo animaduerteret, cũ viris fortibus rem ſibi eſſe. Cumque iterum & deinceps ſæpiùs, vt mos barbaris eſt, aſſultibus terreret noſtros, neque tamen iuſtâ acie decertare vellet; poſtremò quadraginta & aliquot dierum continuis, ijſque non leuibus, velitationibus fatigatus, plurimis & in oppugnatione caſtrorum campeſtribuſque congreſſionibus, & fœdâ quæ exercitum barbarorum inuaſerat lue amiſſis, ſpeque eâ, quâ & exercitum noſtrum vno impetu ſe deleturum, & finitimas regni noſtri munitiones expugnaturum ſuperbè crediderat, deiectus, primus per internuntium vt vtrimque ſuſpenſis armis de pace ageretur popoſcit. Audiuerat iam nos in itinere eſſe, & eum quem vniuersâ Regni Nobilitate excitâ paraueramus ducere exercitum; quæ res ne à noſtris qui in Caſtris erant ſciri poſſet, interclusis omnibus itineribus curauerat. Itaque ij qui neque de aduentu noſtro certi aliquid compertum habebant, & licet iam in itinere nos eſſe ſuſpicabantur, ſeriùs tamẽ nos venturos ſciebant, cùm hoſtis eas quas noſtri ferebant, & quibus hactenùs inter Poloniæ Reges Turcarumque Imperatores pax ſtetit, acceptaret conditiones; & cùm denique à nobis & vniuerſis Regni Ordi-
nibus

nibus id ij quibus ſumma rei commiſſa erat, in mandatis haberent, ne in præſenti rerum ſtatu oblatam pacem aſpernarentur; fecerunt id nobis quidem inconſultis, vt ſatis æquis conditionibus cum hoſte tranſigerent: ea inter alias adiecta, vt hoſtis, ne pax extorta videretur, prior caſtra moueret, exercitumque abduceret. Itaque die nonâ Octobris ambo Turcarum & Tartarorum Imperatores, pactis iureiurando confirmatis, abducto exercitu è conſpectu noſtrorum abierunt. Neque ſanè nos exiſtimamus quenquam benè ſenſatum, & præſentis ſtatus totius Chriſtianitatis gnarum improbaturum hoc conſilium à noſtris ſuſceptum, & per nos comprobatum: id enim reliquum erat, vt etiamſi noſter exercitus diutius ſuſtinuiſſet hoſtes, ad extremum irritatis animis diſcederetur, noſque bellum haberemus: & vel exercitum magnis, & ijs quibus acciſæ continuis bellis regni noſtri copiæ pares non eſſent impenſis, in hibernis retinere, vel certè Tartaris maiorem ditionum noſtrarum partem vaſtandã relinquere coacti fuiſſemus. Paranda iterum erant alia arma, noui in æſtatem ſcribendi exercitus, niſi fortè quis inani ſocialium armorum & ſubſidiorum ſpe nos lactare voluiſſet. Sed enim & Maieſtas Veſtra imprimis ita domeſticis diſtinetur bellis, ita impijs perduellium ſubditorum oppugnatur armis, vt ſuo arbitrio rem gerere integrum illi non ſit: & reliqui Principes Chriſtiani non ſatis intelligere videntur, quantum periculum ijs, ſi (quod abſit) nos ſuccubuerimus, ſi is Sarmaticus paries qui hactenùs immani barbariei ne ſe totis in perniciem Europæ effundat agminibus obſtitit, corruerit, immineat. Quanquàm non tantoperè iſtam pacem fœduſque ictum efferimus, vt ei plurimùm confidamus: ſcimus à barbaris pacta, etiam iurata, temporibus accommodari; ſcimus fluxam & dubiam eorum eſſe fidem. Interim tamen dum vniuerſus Chriſtianus orbis bello ciuili & domeſtico diſtinetur: dum nuſquàm auxilia conſpicimus, dum à pleriſque inuidis, & noſtræ cum Maieſtate Veſtrâ coniunctionis, & imprimis Catholicæ religionis oſoribus, nos aperto bello peti, & in perniciem noſtram, regnorumque noſtrorum conſilia cum barbaris, ſocietatemque belli nefarij iniri animaduertimus; dum denique & alijs & hoc bello feſſi, & exhauſti, ad reſumendas vires aliquantiſper quieſcendum nobis ducimus, pars conſilij fuerit, honeſtæ pacis prætextu ita cum barbaris tranſegiſſe, vt ij tamen iam experti quid nos armis poſſimus, non ita promptè inpoſterum ſuo arbitratu nos bello petant. Erit aliud tempus, alia occaſio, quam dudum vniuerſus orbis Chriſtianus expectat, eamque dari votis deſiderijſque exoptat, quam barbaricâ ſeruitute fratres noſtri preſſi præſtolantur; cùm Principes Chriſtiani, poſitis ciuilibus armis, ſeriam cogitationem de extirpandâ hac nefariâ impiorum hominum peſte ſuſcipient. Imprimis autem Maieſtatem Veſtram ea cura & ſolicitudo maximè condecet, tum quòd pro eo loco quem in Republicâ Chriſtianâ tenet ſaluti publicæ præcipuam debeat tutelam, tum verò quòd ipſa, regnaque ipſius hæreditaria,

ditaria, æquè ac noſtra, ſerpenti latè incendio, barbaricæque immani regnandi cupiditati maximè obnoxia ſint. Nos ſibi is hoſtis deſtinat, non prædæ modò & proferendi imperij causâ, verùm quòd ſatis exploratum habeat, ſi vel Poloniam (quod Deus auertat) ſubiugauerit, ſe in penetralia Germaniæ & tranſmarina etiam regna facilem aditum habiturum; vel ſi reliquias Hungarici regni ſui iuris fecerit, non magno negotio reliqua adiecturum. Ad nos quod attinet, ſi ita acciderit, vt nos primos impetus hoſtis excipere neceſſe fuerit; non recuſabimus ſupremum ſubire diſcrimen, noſtroque periculo publicæ ſalutis fortunam experiri. Quod quidem in eo quo proximè perfuncti ſumus periculo, promptè & nos præſtitimus, & Sereniſſimus Princeps Vladiſlaus filius noſter, qui impetum hoſtilem primus ſuſtinuit, & qui in acie ipsâ contra barbaros ſtans Orbi vniuerſo teſtatum fecit, ſibi vitâ ipsâ cariorem eſſe ſalutem & dignitatem Reipublicæ Chriſtianæ.

De Statu rerum Polonicarum ac militari confœderatione, quæ Anno MDCXXII. *accidit, Diſſertatio, & querela.*

INTEMPERANTIS iudicij fuerit, profiteri ſe ſcire omnes cauſas præſentium calamitatum, quibus Sarmaticus noſter orbis iactatur: latent illæ in arcano Dei ſecretario; nos ignari pœnas pendimus, vel, vt Chriſtianè loquar, patientiæ rudimentis imbuimur, & exercemur. Cæterùm nemo vitio verterit, ſi quis priuato ſtudio & patriæ afflictæ amore inquirere velit, non illa arcana quæ noſtram fugiunt notitiam, ſed hæc quæ cuiuis nota & obuia ſunt: ſcitum eſt enim Deum ipſum hæc immittere flagella arbitratu ſuo, fine optimo. Quid enim aliud à ſummo bono proficiſci poteſt? Ita tamen eundem hęc ipſa moderari, vt ratione & diſcurſu quiuis indagare poſſit: fontem & originem malorum, quæ ſemper emanare ſolent vel ex publicis, quibus impunè Diuina Maieſtas læditur, ſceleribus, vel ex eorum qui Reipublicę præſunt erroribus. Ac regnum quidem vel Reſpublica nulla adeò felix fuit, vt omnino careret ijs, qui priuatis in Diuinas humanaſque leges actionibus committerent: ne illa quidem Hebræa gens à Deo electa, ſanctificata, & legibus diuinitus datis erudita, immunis fuit ab hoc hominum genere, illo etiam tempore, cùm penè præſentem quotidiè cerneret Deum, cùm cæleſti cibo paſceretur, cùm paternè ab eo foueretur. Sed enim nihil deterius fieri poteſt, quàm ſi cuiuis impunè peccare liceat, ſi ſoluta frænis legum auaritia, in fortunas, ſæuitia & libido in corpora palàm graſſetur; ſi deterrimus quiſque tantum audeat, quantum ei libitum fuerit. Id verò eſt quod omnis execratur barbaries, viuere ferarum more, vt illi priſci, qui paſſim culta incultaque loca peruagantes vnguibus & pugnis, dein

fustibus , atque ita porrò *pugnabant armis , quæ pòst fabricauerat vsus.* Expendamus paululùm statum Reipublicæ nostræ. Inconsultus libertatis amor, dum ijdem leges ferunt, qui pœnis obnoxij sunt, & impunitatis desiderio, iuris, quo tot seculis patria stetit, conuellunt fundamenta, nos eò redigit, vt liberi pessimo cuique seruiamus. Nulla legum, nulla magistratus reuerentia, nulla posteritatis verecundia: tantum quisque audet quantum habet virium. Dudum iam agricolas miseros aspero seruitutis iugo pressimus, nunc ijs orti vicem nobis rependunt, armati & militiæ adscripti lixæ calonesque in nos sæuiunt: egentiores hactenùs potentiorum erant obnoxij iniuriæ, hi dum frustrà implorant tarda legum subsidia, nunc agmine facto graues sunt omnibus, nec iure sed vi rem repetunt. Quanquàm ferendum esset, si læsi tantùm suas vltum irent iniurias: non ij qui innoxij sunt, tantas darent pœnas: non plebs culpæ omnis expers, fortunis ante alios exueretur, ad supplicium deposceretur, rapereturque. Sed perturbato statu legibus quondam firmatæ Reipublicæ, non mirum si nullo ordine fiant omnia, si non sontes, sed ij qui magis iniuriæ obnoxij sunt, potissimùm petantur; si scelerata manus sacra priùs quàm profana impio ausu contaminet. Dico & prædico ijs, qui nunc alienas calamitates securi intuentur, fore mox tempus cùm eædem in illos redundabunt. Omnium rerum vicissitudo est; nunc hi, nunc illi sub incudem tribulationis mittuntur: nec sinet æquus rerum arbiter, vt parte vnâ saluâ altera exitio detur. Peccauimus omnes, omnes etiam subituri sumus pœnas: nunc fluunt egentiorum lacrymæ, squalidi Sacerdotes visuntur & gementes: à domo Dei exoritur Diuini iudicij vindicta: sed istæ lacrymæ vnum petunt fontem, ex quo bibent omnes peccatores terræ: ac ij potissimùm qui dum possent his malis obuiàm ire, non iuerunt. In nullius iniuriam dictum velim, dicendum est tamen, malè à plerisque accusari leges nostras; quanquàm enim perniciosis (vt ita loquar) rogationibus & scitis vigor earum eneruatus sit; cæterùm tenenti imperij habenas & prudenter eas moderanti, haud arduum fuerit his ipsis legibus, addo & libertate saluâ, nauis Reipublicæ cursum salubriter moderari. Sedenim dum placidi regiminis normam vsurpamus, nec timemur, nec amamur: hisque sublatis licentiæ retinaculis, toto impetu fertur rapidus torrens improbitatis. Olim resecanda erant hæc vlcera, nec malo fauore blandiendum improbis: spectauimus adulteria, periuria impunè fieri: fuitne quisquam nostrum qui hæc crimina lege & pœnis coërceri peteret? Iam nundinationes iudiciorum & corruptelas, Senatorum artibus tractari, publicas in fauorem vnius ad perniciem priuatæ personæ leges publicâ comitiorum auctoritate ferri, bonis omnibus gementibus vidimus. Casta fortè & integra sunt Comitij iudicia: sed vbi apertior fauor, vbi perniciosior dissimulatio inualuerit, publica scelera an

ex præscripto legum punienda sint deliberatur: non quòd res non liqueat; sed vt pertæsi moræ iudicialis ij qui ius implorant deterreantur. Inter tot lumina Regni lecti Senatus, fauor apertus, si amici causa inciderit, si de facto consanguinei quæritur, gratia imprimis locum habet: nec pudet supremæ potestatis iuratos Iudices, dispendio existimationis palàm alienæ culpæ inuidiam vltro subire, deprecari crimen, excusare scelus; denique vt manifesti flagitij conuicti rei videantur innocentes, fiunt nocentes Iudices. Illud ipsum sanctius Regni Tribunal quàm incestum, quàm perniciosum sit, nemo non videt. Imprimis ambitio in legendis Iudicibus manifesta; priuatarum causarum patroni & priusquàm iudicijs præsunt iam empti & corrupti iudices destinantur. Vidimus non pecuniâ modò, sed illecebris etiam, ne dicam stupris nobilium matronarum sententias addici; adolescentes imperitos, iuris ignaros, impetuosos, suo lucro, suæ libidini addictam habere vitam, honorem, fortunas optimi cuiusque, & annuo illo regno ita innoxijs graues esse; vt vel iniquissimâ conditione transigere potius expediat, quàm iustissimam etiam rem iudicio eorum permittere. Regiæ Curiæ iudicia si modò expedita essent, si istic quoque lites ob Principis occupationes faciliùs ad iudicium admitterentur, longè reliquis integriora censeri possent. Quanquàm & ea nimiâ Præsidum iuris vsurpatione, & arrogantiâ exasperari nonnemo queritur: sed cùm peruersâ iudiciorum normâ, omni iniustitiæ, omni iniuriæ aditus pateat, cùm passim innocentium fama & fortunæ calumnijs obnoxiæ sint, cùm impunè grassetur libido, dominetur licentia, ij qui curam salutis publicæ se gerere iactant, omnia alia accusant, & hæc quæ cuiuis nota sunt dissimulant: at certè si rem certè expenderis perniciosi morbi originem, quo patria nostra laborat, ad vnum corruptelæ iudiciorum fontem facilè reduxeris. De Rege eiusque munere non est meum disquirere; sacrum id nomen & venerandum, nec temerè in suspicionem vel inuidiam vocandum. Errant qui mutatione Principis statum Reipublicæ corrigi posse existimant: quem enim alium reperient omnis prorsus expertem culpæ? arma feliciùs & expeditiùs tractabit, sed ab armato periculum libertati imminebit: liberalior erit, sed patrimonium Reipublicæ profundet: in explicandis consilijs cunctationem non adhibebit; sed idem mox, temeritate pessundabit: denique blanditijs & speciosis munusculis, verborumque illecebris dementatis animis subditorum, crudelitate Neronem, impietate Copronymum, flagitijs Heliogabalum, referet. Postremò illud menti infixum sit, Reges diuinitus dari, nec depelli posse, nisi Deo annuente, errores eorum ferendos esse, vt reliqua quæ fortuitò euenire solent. Sed profectò frustrà queri videmur, in plerisque deesse muneri suo Regem; cùm ille in omnibus à Senatus arbitrio dependeat; nihilque suscipiat, nihil nisi ex communi omnium sententiâ decernat. Cæterùm in consilijs suscipiendis tractandisque, non quid Reipublicæ expediat, sed quid priuatim commo-

Causa præcipua malorum in Poloniâ, corrupta iudicia;

priuati commodi studiu.

dum ſit, ab alijs ſpectari manifeſtum eſt. Illud vinculum, quo ſalus rectè gubernatarum ciuitatum nititur, nimirùm amor publici boni, procul exulat, nec in Patriâ noſtrâ locum habet. Nemo gratis eſſe probus vult, nemo niſi emptus nauare Patriæ operam: omnes præmium expetunt, nullus laborem: auctorati ciues ære, non amore, Rempublicam ſuam perinde curant, vt alienum, ſcilicet mercenariâ fide & animo. Equeſtris & militaris ordo in obeundo munere, in bellis gerendis, non militare decus, non ex victo hoſte ſpolia, non inſignia gloriæ, ſed domeſticam cogitat prædam: hac ſaginatus prodit in aciem, hanc in caſtris tacitâ conſpiratione ſibi ante omnia deuouet, & antequàm mereatur, in immenſum aucta ſtipendia numerat. His rudimentis tiro imbuitur, idem veteranus audaci temeritate vſurpat, lixæ denique & calones cæteræque caſtrenſes ſordes id impijs votis præſumunt, vt bello quoquo modo finito, conſpiratione factâ, alienas fortunas prætextu hybernæ ſtationis abligurire, & ciuium facultatibus diteſcere liceat. Vidimus noſtro ſeculo ditiſſimum Moſchouiæ imperium expilatum à milite noſtro, tot ſeculis congeſtos theſauros in prædam ei ceſſiſſe; nihil tamen eorum in Patriam relatum; egentes & nudos exceſſiſſe homines noſtros, & quâ facilitate opes quæſierant, eadem illas ipſas prodegiſſe. Nuper quoque Hungaria, Bohemia, Sileſia, Auſtria, etiam prædæ noſtris fuerunt: ijdem tamen mox longè egentiores, quàm eò profecti erant, domum inde redierunt, inopes ac famelici. Proximâ æſtate miles noſter ſeptem circiter menſes in cogendâ annonâ exegit, mox non niſi per vnum menſem in caſtris parum caſtis habitus adeò acrem ſenſit famem, vt maior pars exercitus eâ interierit: non quòd id quod opus erat, & eo amplius, non habuerit, ſed aſſuetus rapto viuere, & corrumpere annonam, eadem ratione corruptâ caſtrenſi diſciplinâ quæſita prodegit, vt iterum auidiùs aliena rapiat prodigatque. En nunc tot menſibus reparat vires, haurit & deglutit Reipublicæ patrimonium, ſacræ profanæque opes ei in prædam ceſſerunt, pecunia omnis eò congeſta publicè & priuatim imperata, tributaque exacta. Voraginem potiùs & immenſam Charybdim dixeris, quàm homines; nam hi iam dudum tot rapinis expleti ſatiatique fuiſſent, & vel communis humanitatis reputatione, calamitatibus aliorum hominum eiuſdem linguæ, eiuſdem gentis, conciuium ſuorum indoluiſſent: hi acerbiores indies crudelioreſque cædibus, flagitijs, expilationibus, graſſantur; nec iam quærunt an ſit quod rapiant; extorquent potiùs & abradunt, non quæ in vſum cedant, ſed vt calamitatem calamitati accumulent, idque præcipuè ſpectare videntur, vt quàm peſſimè de genere ſuo & de patriâ mereantur. Vnde iſti nati? quâ gente? quo ſanguine? quibus imbuti diſciplinis? facinora expende, animumque immani crudelitate ferocientem, dices barbarorum eſſe progeniem, nam maiores noſtri longè aliter animati arma tractabant. Experimento compertum eſt, quoties ij vicinis externiſque vel Hungaris, vel Germanis miſceren-

Militaris auaritia.

miſcerentur, benigniores, mitioreſque cæteris ſe præbuiſſe: vt præ aliis ſoli exutâ omni barbarie Chriſtianis moribus imbuti eſſe viderentur. Et tunc nullæ leges erant quæ modeſtiam militi imperarent, nunc poſtquàm ex tanto numero in publica monumenta relatæ ſunt, cùm plena legum militarem diſciplinam iubentium & præſcribentium volumina habeamus, omnia in peius ruunt, & immanis creſcit licentia. Mores nempe alios induimus, & externâ feritate imbuti, à priſcâ humanitate receſsimus: & cùm anteà non tam diſciplinâ, quàm ingenij & naturæ bonitate præclarè nos gereremus, nunc iis quæ in noſtros feruntur mores legibus efferamur, & cùm contra eas nitimur, immanitate omnem barbariem ſuperamus. Neque eſt cur id crimen parentibus imputemus, quaſi nos vitioſiores genuerint: aliunde & alio fonte hæc deriuata pernicies animos gentis noſtræ infecit: quamdiu apud nos viguit auctoritas Principum, legitimique Magiſtratus poteſtas, erat quoque vel inter ipſos milites certamen virtutis, ſtudium pietatis, amor Patriæ, adipiſcendi per rectè facta honoris deſiderium, animus nobilis, & ingenua quædam benè de ſalute publicâ merendi cupiditas. Sed qui primus militi maius ſtipendium numerauit, eum corruptorem bellicæ diſciplinæ dicere fas fuerit. Neceſſitas eò impulit pleroſque dum poſt exceſſum primum Sigiſmundi Auguſti, deinde Stephani Regum res ad interregnum rediit: ſed prius illud ſine armis ſolâ diſceptatione ciuili tranſactum eſt, & citra belli diſcrimen ſtetit; in hoc poſteriori ita partium æmulatione, vel potiùs ambitione certatum eſt, vt ne ipſa quidem Regis electio, niſi ab armatis & infeſtis inſtitui tranſigique potuerit. Sic dum vtraque factio vires copiaſque quibus ſe muniat, auget, licitationi occaſionem dedit milite ad incrementum ſtipendij flagitiosè ſigna transferente, maximè quòd ij qui Auſtriacum Archiducem fouebant Germanicis opibus abundare exiſtimarentur. Hoc ineſcatus lucello miles, ne in aliis quidem bellis augendi ſtipendij cogitationem depoſuit, hincque ortum habuit prima illa conſpiratio; præſertim quòd plerique (quia eis non benè cum Rege conueniebat) ambitioſiùs quàm par fuit fouiſſe militares conatus exiſtimati ſunt, patiente & ferente Principe. Creſcebat interim militaris audacia; maximè poſteaquàm primæ conſpirationis auctori id impunè ceſſit: dixerat is cauſam in Comitiis, ſed dum alius in alium confert culpam, & nonnullis non ingratum eſſet, Ioannis Zamoſcij Regni Cancellarij, eâ ratione infringi potentiam, non tam abſolutus quàm iniudicatus diſceſſit, peſſimo & pernicioſo ad poſteritatem exemplo. Mortuo deinde Zamoſcio, per occaſionem Rocoſſiani tumultus plurima militi indulta, id etiam permiſſum, vt publicis conſultationibus miſceretur: id verò incitamentum fuit ſeditioſis animis ad augendam audaciam, adeò vt cùm Rege præſente ad Varcam pugnandum eſſet, palàm flagitauerint rem controuerſam ſuo iudicio permitti, Regiumque & Senatorum capita ſui iuris & arbitrij vt eſſent. In tantum certè ea ſeditio creuerat, vt niſi ſtatim

Quo tempore & quare maius ſtipendium militi conceſſum.

petentibus id conceſſum fuiſſet, Regem & Senatores contrariæ factioni prodituri viderentur; ſed prudenter, quamuis inania poſtulantibus indulgendo eluſa ſunt militaria ſtudia, ac ſequenti die aliquot ſeditionis auctoribus ſupplicio affectis corruptæ diſciplinæ conſultum. Secundùm prælij ad Guſouiam commiſſi euentum, cùm varia ſpectaret miles, eâ ſpe aliquantiſper hæſit, quòd crederet bona aduerſæ factionis prædæ ceſſura. Interim nata Moſchouitici belli occaſio diſtraxit coaleſcentes occaſiones. Pars magna, Ducum priuatorum ſuaſu, ad ficti Demetrij famam militiæ nomen dedit: quò inconditâ multitudine, & quidquid maximè turbidum & ſeditioſum in vtroque exercitu fuit, concedente, Reſpublica veluti ſentinâ leuata aliquantiſper reſpirare potuiſſet; niſi mox publico quoque regni nomine bellum Moſchis inferri placuiſſet, non anteà legitimè ad calculum deductis impenſis, quibus tantæ molis res perficienda foret. Hinc ſæpè importunè flagitatum ſtipendium dilatumque: ſpe etiam ſtipendiorum illecti illi qui Demetrio militauerant: denique tot promiſſis largè militi factis, onerata Regia & Reipublicæ fides, vt modum omnem excederet. Et quamuis ij qui Regi Smolenſcum obſidenti à conſiliis erant, cùm ab illis ratio promiſſorum peteretur, dicerent, ita Regiam fidem obligatam eſſe, vt præcipua ſtipendiorum pars ex ærario Moſchouitico peteretur; tamen miles æmulatione & diſcordiâ Ducum exacerbatus, conſpiratione factâ ſigna infeſta Patriæ intulit, promiſſaque ſtipendia per vim ſolidè exegit, ac impunitatem ſceleratæ coniurationis pari ratione extorſit. Nec poſteà cùm ij qui capita factionis erant in ius vocarentur, eâ quâ oportuit ſeueritate in illos animaduerſum; nonnullis contendentibus fidem datam ſeruari oportere: aliquorum tamen famæ nota inuſta, magis noxij appellati quidem, vt facti pernicioſi rationem redderent, ſed vel in ipſo Senatu non deerant, qui tanti criminis reis patrocinarentur. Aliquot deinceps interceſſerunt anni, cùm ſemper miles memor rapinarum idem ſpectaret, idem affectaret, vt conſpiratione factâ ius faſque omne exueret. Sed dum viueret Zolkieuius, idem acerrimus talium factionum oſor & impugnator, idemque vltor metuebatur; hinc peſſimi cuiuſque ortum in eum odium, cauſam quoque exitio tanti viri præbuiſſe exiſtimari poteſt. Eo cæſo cùm primùm bello Turcico vrgente miles ad ſigna vocari cœpit, nulla alia vox magis frequens fuit, quàm confœderatio: eam non infimus quiſque tantùm, ſed præcipui in ore habebant; illi etiam qui eam horrebant, vel ſe horrere ſimulabant. Nondum exactè putatæ erant rationes, quantus exercitus eſſet futurus, quibus impenſis colligeretur, quanto tempore bellum eſſet duraturum, & tamen conſpiraturos milites, vix aliquis erat qui non auguraretur. Sed ecce opinione omnium celeriùs confecto bello multum ſupereſſe patuit collectæ ad impenſas eius belli pecuniæ. Magna ea erat communis lætitiæ acceſſio,

acceſſio, quòd & duo nominis Chriſtiani hoſtes, vel terrores potiùs, incaſſum, nec ſine ſuo damno nos laceſſierint: & Reſpublica ſoluta omni aliâ curâ nihil militi deberet, imò ad alias etiam expenſas ſatis prouiſum eſſet. Verùm inſederat animis multorum expedire, vt miles conſpiratione factâ nouum aliquid flagitaret: poſſe eadem ratione Regem in ordinem redigi, & interim tale aliquid euenire, quod res nouas cupientibus commodum eſſet. Senſit id miles, & in caſtris adhuc non obſcurè præſetulit, quid animo volueret: nec deerant rationes impediendæ tam nefariæ conſpirationis, ſi vel vnus fuiſſet, qui curam ei rei impenderet. Præerat exercitui Staniſlaus Lubomirſcius Pocillator Regni: ſecundâ famâ, & vera reputantibus conſeruati exercitus & rei geſtæ illi palma debebatur; nam Chodkieuicio cùm ſumma rei commiſſa fuit, ſocium laboris Rex ei addiderat Lubomirſcium: mortuo verò Chodkieuicio, in illum omnis cura incubuit, qui Turcis pacem vel poſcentibus vel offerentibus, Caſtrenſis conſilij ſententiam ſecutus, acceptauerat. Quæ res cùm Regi & pleriſque aliis parum grata eſſet, vulgoque iactaretur, ſi res ſeriò acta fuiſſet, debellari potuiſſe; factum eſt vt curâ exercitus in alios tranſlatâ, coiret nefaria conſpiratio, cui pauci imprimis maximè ſeditioſi nomina dederunt: & in iis qui à Rege ad ſoluenda ſtipendia, exauctorandumque militem miſſi fuerant, non erat ea auctoritas, vt gliſcentem coniurationem cohibere poſſent. Tum verò vniuerſus exercitus, poſtquàm primis coniurationis auctoribus cunctà impunè ceſſiſſe, pleroſque è proceribus fautores adeſſe, multos è Nobilitate res nouas poſcere animaduertit; ſpretâ Regis & legum maieſtate, ſpecioſo nomine quaſi Reipublicæ ſtatum reformaturus, nefariam conſpirationem init; Alexandrum Kouenecium, iam anteà priori conſpiratione prædis publicis ineſcatum & iiſdem inhiantem, ducem legit; Magiſtratus item nouos, conſiliarios bellicos, iudices, è corpore ſuo conſtituit, armatas cohortes per prouincias ſpargit, Regiis Eccleſiaſticiſque colonis vt quiſque iugeratim decem florenos ſoluat, imperat, imperatumque tam immenſum tributum, ad amuſſim cum incremento duorum florenorum, quos impij exactores victûs nomine ſibi deberi confinxerunt, per vim extorquet: grauiſſimis præthereà exactionibus, concuſſionibus innoxiam plebem mulctat: denique iam ſecuritatis certus leges Regi & Reipublicæ præſcribit, ſe non quieturos, niſi quina ſtipendia trimeſtria ſibi ſoluta fuerint; ea ſibi deberi, quòd vallum caſtrenſe præter morem Equeſtris militiæ tutatus fuerit, multa paſſus, multis damnis affectus: poſtulare præthereà vt Comitia indicantur, in quibus & impunitas conſpirationis ſanciatur caueaturque, & leges ad diſciplinam militarem conſeruandam olim latæ abrogentur, Reſpublica & Nobilitas maioribus libertatibus augeatur, rationes exactorum tributorum à publicis Quæſtoribus reddantur, Regis Senatuſque pote-

Staniſlao Lubomirſcio rei ad Chocimum contra Turcas geſtæ gloria debetur.

Militaris conſpiratio quomodo coaluerit.

ſtas circumſcribatur. Cum eiuſmodi denunciatoriis mandatis miſſi ad Regem Nuntij permouerunt demum aulicum conſilium ad ſeriam de publicâ ſalute ſuſcipiendam cogitationem. Sed circumſpicientibus cuncta, deerant aliæ rationes ſedandæ multitudinis, niſi vt præcipuos quoſque eorum promiſſis allicerent, Staniſlaum Lubomirſcium alioſque huic turbulento negotio componendo adhiberent: ita per Nuntios Regios gratioſis diplomatibus largitionibuſque delinito animo peſſimi cuiuſque id impetratum, ne miles Regios reditus, quemadmodùm iam deſtinauerat, interciperet: & vt non alienum animum à concordiâ ineundâ ſe gerere oſtenderet. Lecti Senatus Principes qui eius rei curam ſuſciperent, ſed plerique detrectauêre negotium, quòd deſperarent aliquid effici poſſe: & fortaſſe erat nonnemo, qui non ingratum haberet eam conſpirationem, grauem Regi, pernicioſam Eccleſiaſtico ordini. Kiiouienſis & Lublinenſis Palatini, aliquot prætereà ex aſſignatis à Rege, venerunt Leopolim, cum militibus acturi: ſed præcipua in Lubomirſcio vis, qui & partâ proximo bello auctoritate, & priuatis largitionibus peruicit vt miles certis conditionibus ſe in poteſtate Regis futurum polliceretur. Conditionum hæ præcipuæ: ternum trimeſtre ſtipendium exercitui vt vltra id quod promeruerat ſolueretur; impune id fore quòd exercitus conſpiraſſet Principes Senatus vt cauerent, Rexque ipſe id ita fore Regio verbo polliceretur: in proximis Comitiis publicâ auctoritate vt ea ſecuritatis cautio comprobaretur: militum deinceps vt maior ratio haberetur, eſſentque certi menſes, in quibus vacantia beneficia ſolis militibus conferrentur. His aliiſque ſimilibus mandatis inſtructi militares Nuntij, vnà cum Senatoribus aliiſque, qui Regio nomine cum militibus tranſigebant, iuerunt ad Regem Varſauiam. Intereâ tamen nulla miſeris agricolis requies, graſſante vbique milite, & ſigna circumferente. Annus eſt is, in quo præter ſolitum, pretium annonæ excreuit; nam & ſegetes malè prouenerunt, & pleraque ſata meſſemque iam paratam exundantes fluminum aquæ abſtulerunt. Hinc grauior acerbiorque ea exactio accidit, vt paſſim homines fame enecentur, rapiente milite ſi quid vſpiam parati eſt, ſæuiente etiam in corpora, vbi rapinæ non eſt materia. Seruilem patientiam mirari vel deteſtari potiùs libet: flagitiosè imperantibus turpiter paretur ab omnibus: pauci Principes Senatus precariam immunitatem obtinuerunt: nemo vnus reperitur qui palàm hæc militiæ dedecora aſpernetur: regij conſilij moderatores penes ſupplices ſui rationem haberi ab inconditâ multitudine petierunt: reliqui omnes (heu turpem noſtrorum temporum notam!) ſaluis legibus, ſaluo Reipublicæ ſtatu, fœdiſſimi cuiuſque libidini & auaritiæ obnoxij ſumus; lixæ caloneſque in nos ius exercent. Quamuis enim Rex indulſerit omnia ferè ea quæ ab illo petebantur, promiſiſſentque ſeditionis Duces intereà militem à prædis extorquendâque annonâ ceſſaturum; nihil tamen ea res auxilij tulit, reputante peſſimo quoque leges & magiſtratus timidorum repagu-

Quomodo finita.

la

la esse, perpetratum admissumque scelus facilius veniam habere. Sed libet paucis perstringere summam responsi à Rege confœderatis militibus dati. Imprimis ostenditur, etsi miles præter ius & consuetudinem ea sibi arroget quę ad illum non pertinent, tamen Regem id temporum iniuriæ tribuere. Causæ exponuntur cur Comitia, quæ miles indici flagitauerat, non fuissent indicta, nempe quòd annona carior solito sit, & opes Regni exhaustæ; memoraturum tamen Regem nec dilaturum comitia, quamprimùm commoditas eorum celebrandorum venerit, atque satisfacturum desiderio hac in re exercitus, quò publicâ auctoritate in Comitijs securitati militum caueatur: intereà acturum Regem effecturumque vt ij Senatores, quos miles nominatim vt securitatis datæ cautioni subscriberent, poposcerat, id faciant, cùm id & ipsemet Rex, & qui præsentes aderant Senatores iam fecissent. Neminem ad Comitia militum citatum iri, id Regem prohibiturum, neque literas mandati ex Cancellariâ suâ edi siturum; postulatum terni trimestris stipendium militi vt ad diem nonam Iulij ex integro repræsentetur, Regem curaturum: cautio securitatis data à Rege, & manu eius subscripta, quamuis à nemine in dubium vocari possit, id ipsum tamen ratum fore Regem sponsione manus, & verbi publicè professum esse, & fidem suam nominatim Stanislao Lubomirscio eo nomine obstrinxisse. Legibus, quibus militaris ordo se coarctatum queritur, non nisi in Comitijs derogari posse; daturum operam Regem vt eiusmodi leges in proximis Comitijs abrogentur, reliqua quoque quæ non nisi in Comitijs præstari possunt, eò reijci, vt ea quæ de præmijs militum, mensiumque in quibus beneficia vacua solis tantùm militibus conferrentur assignatione, & cætera huius generis quæ à militibus postulabantur. Intereà iniuriam à confœderato milite passi, arbitrio præsidū factionis militaris vt damna sibi resarciri petant, curaturosq; eosdē vt quisq; tutò adire militare illud iudicium queat: curæ hactenùs fuisse & deinceps fore Regi, incrementa libertatum Equestris ordinis, quibus nihil esse derogatum vult. In redimendis ab hoste captiuis, Regem nunquàm priuatis facultatibus quantum eæ permitterent pepercisse, idque eum deinceps facturum, & Ecclesiasticos viros hac piâ liberalitate se à nemine vinci situros. Arcibus ad fines Tartarorum Turcarumque positis, deinceps Regem eos præfecturum, qui præsentes istic excubias obeant. Responsum hoc actis Cancellariæ Regiæ insertum iri; vnde sigillo Regni signata exempla & transcripta, cunctis poscentibus authenticè extradentur: eorum quorum exercitus rationem à Rege haberi petit, non irritas preces fore; gratificaturum ijs Regem per occasiones quæ intereà se offerrent. Eos denique qui ob priorem Moschouiticam conspirationem in ius vocati sunt, non ampliùs eo nomine appellatos iri, nominatim Cieklinscio & Iaykouio (ambo erant conspirationis Moschouiticæ antesignani, & ob id famosis decretis notati) Regem in Comitijs indulgentiam facti impetraturum. Nolo meum

inter-

interponere iudicium;sed dispiciet posteritas,an ex vsu Reipublicæ fuerit tam demisse, tam indulgenter omnia permittere militibus. Sim vtinam fallus vates, cæterùm euentus docebit irritamentum id fore pessimo cuique ad similes ausus. Frustrà ab hoste externo pericula metuimus, cùm domi flagiosâ indulgentiâ, & indignâ viris fortibus patientiâ seditionis semina fouemus: erumpent hæc mox in perniciem Patriæ, nisi maturè prospicimus.

Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo secundo prodierat in lucem nomine Dignitariorum, Officialium, & Nobilitatis Palatinatuum Posnaniensis & Calissiensis, acris quadam & libertates status spiritualis conuellens protestatio: ad eam tum hortatu Illustrissimi Archiepiscopi Gnesnensis Laurentij Gembicij, Auctor respondit, & posteà, cùm Polonica esset, in Latinum traduxit.

NON est nouum regna & imperia Catholica, mutuis inter se dissidijs agitari, & sæpè vnum contra alium statum, potissimum cùm aliquid ab illis poscitur, insurgere, oneraque alterum in alterius humeros deriuare. Iam olim apud nos idem accidit; sed modò sub titulo & nomine Dignitariorum, Officialium & totius Equestris Ordinis, Palatinatuum Posnaniensis & Calissiensis, nescio quis dedit in publicum, contra Catholicam Ecclesiam, contra ordinem Ecclesiasticum, acre quoddam & inuidiosum satis, & ad tollendas ac cassandas leges, & libertates, huic sacro ordini non solùm in hoc inclyto Regno, verùm etiam in alijs vicinis Christianis imperijs à tempore cuius memoria non extat irrogatas & liberaliter donatas, scriptum, illudque Actis ijsdem publicis insinuauit. Hunc ego nunquàm Catholicum esse crediderim, nec agniturum eiusmodi figmenta ex suo prodijsse cerebro. Sciunt illi qui verè sunt Catholici, quid Ecclesiæ, quid Ordini spirituali debeant, vt iura vetusta tueri teneantur: vident furore Hæreticorum noua condita statuta, quæ in seriem legum irrepserunt, nusquam vim legitimam tenuisse, & semper illis obnuntiatum fuisse; nec denique vsu forensi approbata esse. Non ad Catholicos igitur verto sermonem meum, sed ad istos qui ob diuersos de religione sensus à cæteris Catholicis se seiunxerunt, qui in diuersas scissi sectas, in variasque distracti opiniones, planè nihil credunt, nihil in vnũ sentiunt, nisi si quæ occasio offertur nocendi Ecclesiæ, à stirpe euellendi spiritualem ordinem, qui non solùm in Republicâ, sed & in Ecclesiâ oderunt Clerum, & frustrà ali existimant. Ad Catholicos hoc tantùm dixerim, si quis inter istos Schismaticos reperitur, (quamquàm ego neminem ibi reperiri existimo) quòd non sit Catholicus; ijs enim assentitur, quibus status spiritualis odio est, altare sacrum abominationi; sacro-

crosanctum Sacrificium & cæteri Christiani ritus, dum donationes vetustas adimunt, & sub potestatem legum secularium spirituales redigũt, contemptui. Sed hæc, vt dixi, non faciunt veri & synceri Catholici, sed alij hostes nostri. Non est mirum quòd impugnent sacerdotes, qui olim contra ipsum cœlum pugnare ausi fuerant, ipsumque solio deturbare Iouem. Fœtida & abominanda proles Gigantea, iam dudum quatit cœlum, & infernalibus aucta viribus, quidquid veneni in se habet, illud totum vomit contra Ecclesiam, contra fideles; neque vnquam vllum tempus fuit, quo Ecclesia Dei ab illis non infestaretur. Quid, Deus bone, vtrúmne ita semper vexabimur? Respondet præclarè Apostolus: Oportet hæreses esse. Equidem regnum hoc inclytum propè per sexcentos annos ab hoc infelici lolio immune fuit; cauit semper ne fęce abominandę hæresis inficeretur: quod piæ eiusdem leges & Priuilegia sanè diuinitus scripta testantur. Priscis illis temporibus non videbatur angusta maioribus nostris Polonia, & quamuis arctioribus circumscriptæ terminis, abundè suppetebãt contra hostes vires, nomenque eius cunctis circumiectis nationibus formidabile fuit. Simul atque arctissima legum claustra, quibus regnum hoc fuit septum Hæreticorum audacia perfregit, & fœdam religionem huc intulit, hoc quod hactenùs nos exercet malùm creuit etiamsi ne cresceret omnibus legibus Regni prohiberetur. Illæ solennes statuum & Ordinum vnanimi consensu factæ confœderationes, hæreticum omnem pro hoste habituros, vitam & bona ipsorum confiscaturos, nec vllum ciuem non Catholicum viuere passuros, huc spectabant, ne quenquam vel clàm vel palàm esse Hæreticum sinerent. Sed ego in memoriam reuocare constitui nonnullas conciuium meorum contra statum Ecclesiasticum flagitationes, quæ potissimùm vltimis Imperij Sigismundi Primi annis, & multò magis tempore Augusti, Stephani, & modernæ Regiæ Maiestatis exortæ sunt. Cætera deinceps ad hoc genus pertinentia non dissimulanter tangam.

Grandis & horribilis erat illa coorta contra Ecclesiam tempestas, cùm Martinus Lutherus monachus libidinis priuatæ explendæ causâ signum contra eam extulit, bellumque aperto marte gerendum indixit: citò deinceps huius peruersæ doctrinæ venti ad nos penetrarunt, ac animos pios impio veneno infecerunt. Primo impetu contra Ecclesiam facto, præcipuum illud hæreticorum studium fuit, vt legibus iniquis Status Ecclesiasticus circumscriberetur, vt iurisdictioni seculari subijceretur, & ad onera personalia ferenda cogeretur. Nec deerat occasio cùm Solimanus Turcarum Imperator inauditâ felicitate elatus, contra Christianos vertit vires: à quo capto anno millesimo quingentesimo vigesimo primo Castro albo in Hungariâ, dein Anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo Rhodo insulâ, demum Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto Ludouico Hungariæ & Bohemiæ Rege, Sigismundi Primi ex fratre nepote, ad Mohatium cæso, vniuersi Principes Christiani, sed inprimis

primis Regnum Poloniæ meritò ob tam vicini parietis caſum contremuit. Et quamuis Solimanus calente adhuc victoriâ, è caſtris miſiſſet literas ad Sigiſmundum Primum Poloniæ Regem, quibus cæſum eſſe in acie Ludouicum magno ſuo dolore ſignificabat, cæterùm ne de amicitiâ ſuâ addubitaret Sigiſmundus, rogabat; inſuperque ſeſquimille Hungaris captiuis ſe ſpectante decollatis, Pilecium & Macieiouium Polonos in gratiam eius ſignumque conſtantis amicitiæ vitâ donaſſet; tamen prudens & bellicoſus Princeps nequaquàm fidendum ſibi exiſtimauit: verùm de bello & defenſione Reipublicæ cogitare cœpit. Inter alias defendendæ Patriæ rationes ea imprimis fuit inita, vt publica bonorum æſtimatio fieret, atque ſecundùm eam quiſque ſumptum ad bellum conferret. Hæc bonorum æſtimatio Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo conſenſu omnium permiſſa fuit, & ſpirituales bona ſua taxari permiſerunt: ſed vide quàm cautè, & citra præiudicium iuris eorum; verba legis ſunt: Licet bona Eccleſiaſtica nunquàm aliàs ſubiecta erant oneri bellicæ ſeruitutis, vt quæ per Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros Poloniæ Reges & Duces ſunt ab initio fundationis Eccleſiarum ad vſum duntaxat & onera Eccleſiæ collata, &c. Lege hæc vberiùs in ipſo Legum contextu. Hæc igitur taxatio ita cautè perſcripta eſt, vt ius noſtrum minimè lædere videatur; nam & perſonæ ſpirituales quæ huic taxationi præeſſent, ex ſpiritualibus lectæ, & Nobilitas, pręter hanc ſubditorum ſuorum taxationem, etiam onere publicæ expeditionis tenebatur. Summa neceſſitas id à nobis, vel potiùs maioribus Noſtris exegit, quæ omnem frangit legem: ſed cùm Equeſter ordo eiuſque ſubditi idem tunc onus ferrent, non querimur hanc legem eſſe perſcriptam, ſicut nec aliam Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto, vbi luſtratio bonorum omnium tam Regiorum & Spiritualium quàm Nobilium decreta fuit: quia, vt ſuprà dixi, æquè Nobilitatis ſubditos ac noſtros ſtringebat. Cæterùm ſi his etiam temporibus vrgente ſummâ neceſſitate fraternè talia à nobis peterentur, qui ſanguinem ipſum Nos Patriæ debere profitemur, non eſſemus alieni, quin vel bona Eccleſiæ taxarentur, vel ſubditi noſtri par obſequium Reipublicæ atque ſubditi Nobilium præſtarent. Verùm poſteriori tempore alterius generis & longè ab illis diuerſæ conſtitutiones iniquæ & ſpiritualibus graues in volumen legum irrepſerunt, videlicet, Anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, ne Spirituales Notarij ſint. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio ſtatutum de Corteſanis, & quid ad iudicium Spirituale pertineat, de Annatis. Deinde Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, de alendis per Abbates filijs Nobilium, de foro Spiritualium in actionibus tam ciuilibus quàm criminalibus, cùm perſonis Spiritualibus intentantur, de excommunicationibus & iuriſdictione ſpirituali, de Decimis. Et vt cæteras legum conſtitutiones, quas meritò exleges dixeris, ſilentio prætereamus, Anno demum milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, & milleſimo

Bonorum Eccleſiaſticorum taxatio tempore Sigiſmundi Primi quam cautè facta.

Quæ præiudicioſæ Eccleſiæ leges.

millesimo sexcentesimo nono, dum illa fatalis rerum in Poloniâ commotio subsecuta est, omnem furorem hostes nostri in nos effuderunt, ferentes leges plenas iniquitatis, plenas iniustitiæ ab odio Hæreticorum profectas contra omnia iura spiritualia & temporalia, statum ipsum Reipublicæ vniuersalem conuellentia, nobis contradicentibus & publicè reclamantibus. Vis illa omnino fuit, & in seditione potiùs quàm in fraternâ concordiâ latæ leges: in Sacerdotes Christi & in ipsum summum caput Ecclesiæ concepta rabies ab his qui nouas doctrinas nouamque religionem secuti, nihil aliud spirant, nisi vt statum spiritualem nouis legibus circumscribant, pulsaque & in exilium actâ vetustâ religione & pietate, nouos spargant errores. Ex hoc fonte prodijt hæc ipsa contra ordinem nostrum iniquissima & impia protestatio, quæ quia velut vno tractu omnes Ecclesiarum immunitates à radice ipsa exscindit, paucis ad eam respondere conabimur. Inprimis id quasi certum & indubitatum asseritur ab ijs qui hanc protestationem concinnarunt, solos spirituales liberos esse à bello gerendo, subditos eorum eodem quo secularium hominum onere teneri. Deinde aiunt in præteriti anni expeditionem, dum ipse Turcarum Imperator ad Chocimum bellum nobiscum gereret, nihil omnino à statu spirituali collatum impensumque fuisse; non ex bonis in vsum Ecclesiarum coëmptis expeditionem vllam factam, non Scultetos eò missos: denique quòd longè maiorem partem bonorum spirituales in Regno habeant, & nulla ferè onera sustineant. Sed nos à primo puncto ordiamur. Apparet eos, qui hanc protestationem condiderunt, aliud quidpiam quàm leges cogitasse, odio mero ductos. Aliter certè eâ de re iura disponũt. Repetamus animo illud tempus, quo maiores nostri Euangelium & lumen Catholicæ veritatis Româ missum receperunt: quis credet quòd viros Apostolicos conscientiarum suarum rectores ita admiserint; vt eos, quos tanquàm cęlo missos venerabantur, seruitute tam personali, quàm reali, ac bellicis denique oneribus obstringerent? Exstant tot Priuilegia Regum & Principum, quibus Archiuia & Metricæ Ecclesiasticæ refertæ sunt; Spirituales & Spiritualium subditos à bello & belli obsequijs immunes esse. Illud ipsum Statutum Sigismundi Primi, cuius proximè mentionẽ fecimus, sub nomine Taxatio fundorum, latè & sufficienter hoc idem explicat his verbis: Bona Ecclesiastica nunquàm subiecta erant oneri bellicæ seruitutis. Et paulò inferiùs: Domini spirituales permiserunt non grauatim bona sua Ecclesiastica, hactenùs semper libera, cum his quæ ad defensionem obligata sunt, in præsens taxari: ita vt Dominorum secularium taxabuntur. Quid clariùs? quidúe illustriùs dici potest? vnde maior differentia bonorum Nobilium à Spiritualibus declarari? hæc ab illis gubernantur, qui altari Diuino addicti sunt, cætera omnia ij gubernant, quorum professio & munus ipsum bellum est, qui vltro hoc onus in se susceperunt, vt suis suorumque impensis Patriam vniuersam tueantur, vt statum Spiritualem

& Ecclesias armis suis propugnent: res quidem hæc clara apertaque est, nec magnâ indiget explicatione.

Alterum punctum est spirituales in anni præteriti contra Turcarum Imperatorem vniuersali expeditione nihil omnino præstitisse, nihil in sumptus belli impendisse. Dici equidem potest liberè & ingenuè, nullum vnquam tempus fuisse, nullum Reipublicæ periculum, nullum motum priuatum, quin spirituales ad eum componendum, vbi necesse erat, quà pecunijs conferendis, quà alijs subsidijs præstandis, concurrerint; quod & leges ipsæ & publicè actæ illis gratiæ testantur. Sed hæc ab ingratis filijs perinde accipiuntur, ac si Patres isti petentibus ingratis filijs ouum porrigerent scorpionem. Non considerat Nobilitas spiritualium subditos in militare stipendium tot contulisse tributa, inusitato antiquis temporibus exemplo, nam is contribuendi modus tum primùm institutus est, cùm Nobilitatem domesticæ quietis dulcedo, & bella viritim gerendi tædium subijt. Oblita est, quàm insignem pecuniæ summam subsidij nomine status Ecclesiasticus Reipublicæ donauerit. Ignorare videtur hac eadem expeditione bona Ecclesiæ, cùm in eius ciuitatibus, oppidis, villis collectus miles commeatum contraheret, seque reficeret, ad extremam penè vastitatem redacta esse, totamque huius expeditionis molem maiori ex parte solos Ecclesiæ & Regios subditos tulisse. Ad extremũ quis nescit spiritualium Principes magnam istius belli partem capessiuisse? Archiepiscopus Gnesnensis cum Cuiauiensi & Plocensi Episcopis, toto huius expeditionis tempore in aulâ Reginalis Maiestatis versati sunt: Episcopus Cracouiensis, vt Cracouiæ præesset & fines Hungariæ tueretur, ibidem iusta præsidia tenuit. Quid dicam de Illustrissimo Episcopo Cuiauiensi? qui sumptu maximo supra tercentum homines cum Serenissimo Principe Vladislao ad castra misit? Eorum tamen iuuandę Reipublicæ studium potiùs vituperatur quàm laudatur. Erant in ipsomet exercitu supra centum Sacerdotes, qui sine pręmio seruierunt, gratuitamque operam saluti animarum impenderunt. Sed Ecclesiasticæ possessiones in oculos multorum potissimùm incurrunt: hæ profectò sunt pretia peccatorum, sunt vota fidelium: quorum pars Academijs, Vniuersitatibus, ad fouendos Magistros & Præceptores, qui instituendæ & erudiendæ iuuentuti dent operam; pars Monasterijs, in quibus magnus numerus Equestris ordinis hominum religiosa instituta sequentium continetur; pars Xenodochijs, Nosocomijs, egentibus, ægris, & quauis calamitate pressis sustentandis cessit. Quidquid hoc nomine ad Ecclesiam venit, Deo sacrum est, neque Polonico, neque vnquam vllo iure vetitum. Nouæ istæ sunt, nec maioribus nostris vnquam vsitatæ querelæ, grauem esse sacrum ordinem seculari statui, plus iusto & nimiùm Ecclesiam possidere, eiusque possessionum amplitudinem in publicæ defensionis iacturam vergere. At vellem hi qui ita queruntur considerarent, quantoperè antiquæ Ecclesiarum, Monasteriorum,

Quid semper Reipublicæ causa præstiterint Ecclesiastici?

rum, fundationes diminutæ ſint : quantæ poſſeſſiones ab ijs alienatæ: quot bonis nunc potitur Nobilitas quæ olim Eccleſiæ addicta fuêre: cuius quidem rei vel ſola Tinecenſis Abbatia, vt alias Eccleſias taceam, teſtimonio eſſe poteſt, quæ ex ampliſſimis Regum liberalitate primitus habitis poſſeſſionibus, vix tertiam portionem duabus amiſſis, & in ius Equeſtris ordinis iniquitate temporum & diuerſis calamitatibus traductis retinet.

Verùm iniuſtæ contra Eccleſiaſticos querelæ caput eſt, de Sculteris, ſiue Aduocatis bonorum Eccleſiæ bellum non militantibus vti debent, cùm iuxta legem à Rege Caſimiro latam, tum eremocidium (aſtitum terminum Iuriſconſulti Polonici vocant) quo Eccleſiaſtici, rerum potiente in Poloniâ Sigiſmundo Auguſto, damnati ſunt, quòd ad diem producendis immunitatum & libertatum Priuilegijs conſtitutam indictamque non adfuerint. Riſum mihi mouet ille velut aſtitus terminus, vel vt Latini loquuntur eremocidium, in quod Eccleſiaſtici Rege Sigiſmundo Auguſto inciderint. Quaſi verò maiores noſtri ad eiuſmodi concertationes iuridicas deſcenderint; eoque ſe ij qui Principem locum in Regno tenent demiſerint, vt more priuatorum hominum lite cum Nobilitate contenderint. Quare omiſſis his quæ vana & inania ſunt, potiùs ad explicanda Caſimiri Magni Statuta ac ediſſerendum, vnde & quando ſint orti in Poloniâ Aduocati, ſiue Sculteti, quod illorum fuit officium, quo tempore cæteris Regni Nobilibus eos in bonis proprijs inſtituere primùm licuit, & quomodò deinceps illorum conditio mutata.

Ingens error eſt quorundam, qui exiſtimant fuiſſe aliquando in Regno Poloniæ talem militarem ordinem, qui militiam ferret, qui equum conſcenderet, ad bellum iret, & cætera officia præſtaret. Prima & antiquiſſima Scultetorum ſeu Aduocatorum initia, ſub Boleſlao Pudico Poloniæ Principe fuerunt, circa annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum. Id patet ex plurimis Priuilegijs circa ea tempora datis, quæ ego non ſolùm apud Nobiles, verùm etiam in Regio, & aliquarum Eccleſiarum archiuis vidi. Non abſimile vero videtur Henricum Barbatum Ducem Vratiſlauiæ, cùm pro Boleſlao Pudico iuuene adhuc tutorio nomine Poloniam adminiſtraret, & deinceps quoque Poſnanienſem & Caliſſienſem Ducatus in ſuam poteſtatem redegiſſet, veluti Teutonici iuris & peritum & ſcientem, huc ſecum ius Teutonicum & Scultetos ac Aduocatos intuliſſe. Id pro comperto ferè habetur, Cracouiam Vrbem Poloniæ nobilem à Boleſlao Pudico fuiſſe ornatam iuris Teutonici prærogatiuâ, eamque auctam à Leſco Nigro, Anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo quinto, totumque Vrbis eiuſdem regimen ciuibus nationis Germanicæ commiſſum, eò quòd contra Conradum Maſouiæ Ducem, arcem & fidem illi ſeruaſſent, multiſque alijs modis de eo præclarè meriti eſſent. Quod genus regiminis Teutonici in alia oppida villaſque Regias introductum, deinceps etiam ſenſim à ſpiritualibus, & ſecularibus, qui tali

Quæ origo Scultetorum in Poloniâ.

tali iure desiderabant gubernari villas suas, fuit expetitum, moxque à Ducibus & Regibus benignè concessum: cuius quidem concessionis ea forma fuit, vt Princeps diceret se transferre hanc vel illam villam ex iure Polonico in ius Teutonicum. Quale autem quondam fuerit ius Polonicum ita habe: Olim illâ pietate vixerunt Maiores nostri vt dominus cum subdito in ius veniret, Iudicem Regium adiret, ius posceret: eius rei extat exemplum in praxi iuris nostri Polonici etiam his temporibus. Introducto verò iam iure Magdeburgensi, cùm aliquis ius suum petebat, illud quilibet, siue villanus, siue vrbanus aduocatus, Regiâ auctoritate datus Iudex, reddebat. Sed cùm id tandem læsis graue visum esset; lata lex est de iure Polonico locando, in causâ cædis & vulnerum: Ius autem Polonicum tale est, vt ciuitas vel dominus subditi inculpati in fundo bonorũ suorum tres nobiles sistat, quorum vnus Iudicis, alter subiudicis, tertius Notarij vices obeat, qui in fundo seu loco delicti iustitiam in causis cædis & sanguinis administrent. Habetur hac de re Statutum Casimiri in Nieszoua Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, & Sigismundi Petricouiæ Anno millesimo quingentesimo trigesimo octauo. Patet itaque iam olim sub Casimiro Magno Scultetos fuisse introductos, potissimùm ad præsidium rusticorum contra Nobiles, qui in plebem rusticam nimiùm sibi vsurpabant: origo nominis illorum vel ex Latino sermone Auscultatores, vel ex Italico simpliciter Scultatores. Afflixerat prætereà supra modum vniuersam ferè Poloniam ingens illa & fatalis incursio Tartarorum, qui sub Annum Christi millesimum ducentesimum duodecimum se in Europam effuderunt, lateque ferro & igne multos per annos in Christianos sæuientes, vniuersam Poloniam, Vngariam, Bohemiam, & cæteras prouincias Germanicas deuastarunt; ad extremum impunè per Poloniam grassati, cùm Anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo ad Legniciam Henricus Pius S. Heduigis filius, ingenti ex reliquijs Polonicis, qui adhuc supererant, fortium virorum quos poterat collecto exercitu, se illis opposuisset, ingenti terrore fumiferæ imaginis afflatu nostris iniecto, fraudè diabolicâ victoriam obtinuerunt, ipsumque imprimis Henricum Ducem crudelissimè necauerunt, promiscuum denique vulgus donec supererat passim interemerũt. Tanta Poloniæ per Tartaros deuastatio, causa fuit, vt huc Germani euocarentur: nam cùm illi Polonis in agro colendo sagaciores & multò diligentiores sint, eos Maiores nostri ad rem agrariam constituendam euocarunt, tribuendo etiam ijsdem villarum & agrorum locatoribus iurisdictionem, quò rem familiarem curando, agros colonis diuiderent, censum ab eis exigerent, iustitiam cooptatis sibi ex villarum incolis Scabinis administrarent. Fiebat id auctoritate Principis; nam tam Ecclesiastici, quàm etiam seculares viri inde legebant, inde deducebant homines certos, qui partem aliquam etiam ingentem fundi apud Nobilem emebant, sed decima v. g. pars fundi emptori iure perpetuo cedebat,

ille

ille verò vniuersum agrum domini colendum suscipiebat, in eo ædificabat, rusticos alios locabat, & tanquàm paterfamilias suæ domi agebat: nisi quòd census domino debitos ad diem certam reddebat. Ijdem, vt suprà diximus, læsis iustitiam implorantibus, accitis duobus ad se Scabinis, administrabant: hic est verus & genuinus Sculteorum seu Aduocatorum fons & origo. Prodeat nunc aliquis & dicat vtrùm Sculteti aliquando in bello fuerint? vtrùm peditatum suppleuerint? vtrùm aliquando in acie steterint? & sunt nonnullæ descriptiones vniuersi exercitus tempore expeditionis publicæ quas vnicuique videre licet. Intelligere inde quiuis poterit, quali quis equo sederit, vt in acie steterit, denique quis & alterius latus custodire debuerit. Maiores nostri selectam quandam militiam habuerunt, nec eam rusticæ genti vnquam communicare voluerunt: equite non pedite in bellis vtebantur: ipsa Nobilitas arma insigne militare tenebat, rei agrariæ curâ aduocatis Sculteis & rusticis relictâ. Idque non sine causâ Maiores nostri faciebant, nam si Nobilitati rustici mixti fuissent, Nobilis desertæ stationis accusatus, parem sibi genere non habuisset, quem testem adhiberet se in bello eum locum qui ei obtigerat tenuisse: quæ quidem causa etsi nobis valdè leuis videtur, cæterùm illis temporibus, quibus alius bellandi modus erat, valuit. Primùm sub Casimiro Magno vltimâ domus Piastanæ progenie, ea auctorandi militis ratio mutata est: dispersas etenim reliquias regni cùm persequeretur, & intra angustos terminos hostibus resisteret, Russicaque imperia, quondam suum labore Boleslaorum, Vladislaorum, Casimirorum conquisitum patrimonium, recuperaret & Coronæ Polonicæ iungeret, ex hominibus conditionis plebeiæ, colendis agris tam Regijs quàm spiritualium & secularium adscriptis, exercitum collegit. Atque inde illud statutum de subditis tam spiritualium quàm secularium creuit, quod æquè Nobilitatem ac statum Ecclesiasticum affecit. Idque testatur eiusdem Casimiri factum ad ciuitatem Pyzdry: nam cùm ibi ingentem Cruciferorum exercitum sustinere non posset, rusticos vndequaque ad se aduocauit & vallo inclusit. Denique idem eò tandem progressus est, vt successu temporis subditos spirituales & seculares ad locanda castra, struenda valla, & quæuis similia opera adhiberet. Quæ quidem seruitus necessitate & vi (fatendum enim est) sub Casimiro primùm inducta, posteà desijt. Inter cæteras Equestris ordinis prærogatiuas & libertates, quas idem status à Ludouico dicto Lois accepit, hæc erat vna eaque præcipua, quòd sublatis omnibus oneribus, quæ hunc ordinem & eorum subditos grauabant, solam duorum grossorum contributionem de quolibet manso agri pendere tenerentur, fumalia ista dicebantur: vice versâ militaris ordo spopondit se onus militiæ contra omnes hostes sponte sine omni exceptione laturum. Hinc nullus Historicorum, tam frequentibus generalibus sub Vladislao Iagiellone Rege bellicis expeditionibus, mentionem facit Sculteorum spiritualium & secularium; iuraque

Vera Sculteorum origo.

Qualis olim militia in Poloniâ fuerit.

Quando Plebeij ad militiam admissi.

que omnia silent, de tali ad bellum rustico apparatu. Sed potissimùm ad Gruneualdum, vbi ordinatissima fuit publica expeditio, ac optimè qualis species exercitus, quis & quo loco pugnauerit, qui fugerint, qui substiterint, quis & à quo captus fuerit descriptum est, mentio aliqua rusticorum vel Sculteterorum facta fuisset; quam tamen nullam vsquam reperiri certissimum est. Rectè expendit Matthias Smogolecius in eo libro quem de exorbitantijs Spiritualium prudenter scripsit, vnde ille qui passim obijcitur paragraphus in Casimiri tertij statutum irrepserit? Przytuscius hæreticus id imprimis telum protulit non ex statuto, vt posteà ipse & Herbortus fatetur, sed ex regestris Cancellariæ. Erat fortasse aliquis qui futura belli cum Turcâ pericula expenderet, eaque conciperet scripto, quod posteà in Cancellariâ inter alia reliquit. Metus ingens post cædem Vladislai ad Varnam omnes inuaserat, nec deerant, qui quà priuatim, quà publicè de bello eo loquerentur; sed aliquid certi hac de re statutum fuisse haud scio. Denique etiamsi hac de re in aliquo consilio publico actum fuisset, certi nihil statui poterat, nisi id quod publico assensu comprobatum fuisset: præsertim in re tam incongruâ & absurdâ, vt Sacerdotes & eorum subditi ad militandum cogerentur. Plena sunt Archiuia Ecclesiarum clarissimis munimentis, quæ nos bonaque nostra hac seruitute eximunt; & res in vniuersum absurda est, Clericum vestiri armis, vel curare ea quæ ad arma pertinent. Sciuisset olim Sigismundus Primus vtrùm Sculteti Patre suo regnante bellum gesserint; sciuissent & adhuc memoriâ tenuissent eo tempore Maiores nostri, qui sub Casimiro totum penè imperij tempus publicis expeditionibus exegerunt, nec vnquam in volumen legum inseri passi fuissent hæc verba. Bona Spiritualium Ecclesiastica numquàm subiecta erant oneri bellicæ seruitutis, vt quæ per Serenissimos Prædecessores Nostros Reges Poloniæ & Duces sunt ab initio fundationis Ecclesiarum ad vnum duntaxat, hoc est ad onera Ecclesiæ, collata, multisque immunitatibus donata. Id vt vides non ex regestris Cancellariæ, sed ex legum statutorumque medullâ depromptum, satis magno præsidio Spiritualibus esse potest, nec alio egent munimento. Quòd si quispiam statutum illud Casimiri Magni producat, quo omnes tam Spiritualium quàm Secularium Sculteti ad labores militiæ coguntur, an non videt eodem suos subditos, quo & Spiritualium cogi, & ipsummet Equestrem ordinem quasi in laqueum seruitutis præcipitari? Excitate igitur, si vobis placet, à mortuis vestros Scultetos, eosdemque in antiquum statum restituite, producite in aciem, pugnate; tum demum nos Spirituales cum nostris Aduocatis subsequemur: quæ res quàm absurda quamque grauis esset nemo non videt. Vetus iuris est regula; neminem antiquum & præscriptum possessorem iura sua exhibere teneri: aduocati & Sculteti semper fuerunt & existimati sunt subditi dominorum suorum, & res ipsa loquitur Scultetum esse alicuius domini & villæ scultetum, vt relatiuè sibi cohæreant. Ita disponit

Statu-

Statutum Casimiri Magni his verbis: Cùm officium Sculteторum semper existat seruile, & ad officium dominorum suorum stare & facere iure teneantur. Et Vladislaus Iagiello eos æquiparat colonis, quos nostri Emetones vocant. Cùm Scultetus, inquit, vel emeto de agro seu hæreditate suâ absque culpâ domini fugerit, &c. Vides apertè quo nomine vel eo ipso tempore, cùm nascerentur & cùm in Colonias deducerentur, appellarentur: vili planè & ignobili tanquàm gens solo addicta & bello inepta, & præterquàm parandæ annonæ vt emetones cæteri idonea. Nec diu quidem inter eos & maiores nostros stetit concordia; nam cùm hi qui quodammodò gradum aliquem nobilitatis conscendisse sibi videbantur, altiùs se erigerent, iniurias & molestias inferrent, interdum Aduocatias potentioribus inuitis dominis venderent, & nõ pro subditis sed pro vicinis se gererẽt, publicè supplicauit Nobilitas in Comitijs Anni millesimi quadringentesimi vigesimi tertij Vladislao Iagielloni Regi Nobilitati impensè fauenti, vt statutum de inutili & rebelli Sculteto conderet, scultetumque siue Aduocatum rebellem ad domini potestatem redigeret. Quamobrem is eam sanxit legem, vt deinceps Scultetus inutilis ad ius terrestre vocatus summam quam in Scultetiâ inscriptam haberet tolleret; domino bonis cederet. Hoc iure freti maiores nostri, tam Seculares quàm Spirituales, incontinenti repetierunt à suis subditis bona sua, idque tanquàm directi domini, & iure communi adiuti. Quòd si quis obiecerit, videri Nobilium quidem Scultetias ad eximendum propositas, de Spiritualibus sileri; Respondeo, Ne hos quidem exceptos esse, & vbi lex non distinguit nec nos distinguere debemus: & præsertim in verbis legis generalis de materiâ rei in quâ nulla est differentia vel distinctio loquentis; cùm præsertim ex iure nostro antiquissimo, pari iure Spirituales & Nobiles bona sua regant, iurisdictioneque & dominio eodem planè vtantur. Diuturnâ proinde consuetudine firmatum fuit, vt Spirituales æquè ac Nobiles restitutâ pecuniâ bona sua ab aduocatis seu Scultetis redimerent. Officia eorum, vt ex præscriptis prærogatiuis & priuilegijs patet, erant vel sementem agri dum seminatur custodire, vel census à subditis exigere, vel siluarum curam gerere, vel itinera expedire, vel (idque rarò & in abundantioribus fundationibus) cum domino, ad fines regundos aut etiam ad bellum proficisci; sed hæc posteà in alios vsus, in quos dominis visum fuit conuersa sunt. Pleræque Aduocatiæ restant adhuc in bonis Regiæ Maiestatis, & nonnullorum Spiritualium; Regiæ quidem in præmia benè meritorum cesserunt, præsertim ditiores: hæ quæ in bonis Spiritualium inueniuntur, quis alius tenet, nisi fratres nostri viri nobiles & benè meriti, qui cum alio nomine expeditionem ad bellum faciunt, quid plura ab eis exiguntur? Cæterùm libenter status Spiritualis benè meritis de Ecclesiâ elargitur eiusmodi agri portiones: quòd si quis intemperantiùs se gesserit vel domino molestus fuerit, vocatur in

Vnde statutum de inutili Sculteto.

ius, & velut indignus beneficio priuatur, id quod rariùs fit, ſed hac de re ſatis. Habet adextremum hæc ipſa proteſtatio, mentionem proximè præteritæ bellicæ expeditionis, nec ego de eâ ſilebo. Fruſtrà de eâ incuſant Sacram Regiam Maieſtatem: fecit plus quàm potuit, certè plus quàm debuit; miſit filium ſuum eximiæ planè indolis iuuenem, miſit, inquam, cariſſimum pignus in ipſam belli flammam, miſit ad exercitum iam vndique ab hoſtibus cinctum. Quid iſtic egerit? quàm ſedulò rem geſſerit? vt hoſti ipſi terrori fuerit? narrent alij qui præſentes erant. Quàm pauci, quæſo, reperti ſunt, qui Regio filio, & Patriæ vitam fortunaſque in eo periculo deuouerint? non inficior quidem, fuiſſe inuentos aliquos æternâ memoriâ dignos, qui eo animo Principem ſecuti ſunt, vt pro eo & patriâ vitam & quidquid fortunarum habebant amitterent: cæterùm ex tam numeroſâ Nobilitate pauciſſimi ij fuerunt. Non defuit tamen Patriæ Eccleſiaſticus ordo; nam & Sereniſſimum Principem ſtipendio Pauli Wolucij Epiſcopi Cuiauienſis auctoratum militum robur ad caſtra euntem ſecutum eſt, & ex contributione aliorum Spiritualium auctior iſtic numero ſtetit exercitus: reliqui in præſidijs non inermes manſerunt. Rex poſteà, non eo quo decuit apparatu inſtructus, inter hoſticos exercitus iter fecit: alij ſunt ſubſecuti, ſed non eo numero, non eo ordine, quo tenebantur. Ditiores Nobiles paſſim coëmerunt bona pauperiorum, neque erubeſcunt ſine debito comitatu expeditionem publicam exequi, immemores olim Caſimirum Magnum ſtatuiſſe. Tenetur igitur quilibet miles ſecundùm quantitatem & poſſeſſionem bonorum ſuorum & redituum ad Rempublicam certis armatus hominibus ire. Nunc aliter omnia fiunt, is qui decem villas habet, & qui vnam tantùm vel dimidiam pari numero comitatus it ad bellum, ordo nullus, neceſſitas nulla, quæ intra ſepta cogat diſſolutos. Inde prouenientes iacturas ſacerdotali militiâ ſarcire impium & abominandum. Fungantur potiùs Sacerdotes intra Eccleſiæ ſepta officio ſuo, Deumque nobis impetrent propitium: Ruſtici & omne Emetonum genus agrum aret, & excolat; miles bella tractet: bella gerant fortes, ita conſtabunt & cohærebunt omnes Reipublicę partes: Spirituales interim non deſeret Patriam: ſed id faciant rogati non coacti, nec legibus pernicioſis, reclamante & contradicente ordine Spirituali promulgatis, circumſcripti, iuribus immunitatibuſque ſuis ſemper ſaluis. Sed illud imprimis mirum eſt, hos Patriæ amatores, qui hac proteſtatione ſtatum Eccleſiaſticum accuſandum cenſuerunt, ſolius Ordinis ſacri errores notaſſe; ea quæ ante omnia cenſuram poſcebant, ſilentio præterijſſe. Belli quidem expeditio proximè præterita exacta & ordinata haud eſſe potuit: nam inſolitâ hoſtis vrgente celeritate, properè excita ſedibus ſuis tarda & bellorum oblita Nobilitas, non ita armata, non ita inſtructa, non ita in ordinem redacta & compoſita, vt olim Maiores noſtri, bellum actura ibat. Cæterùm non Sacerdotes tantùm, quibus ſolis vacatio belli iure

iure competit, ſed integræ etiam Prouinciæ cùm bellandum eſſet ſua priuilegia, ſuas prærogatiuas obiecerunt; & tamen iſti magnifici cenſores, Sacerdotes tarditatis accuſant; alios ne nominant quidem. Vbi illa tandem decoris bellici æmulatio? vbi illud certamen? cùm integri Palatinatus contenderunt vt ipſi primi in acie confligerent, vt pro Patriâ, pro Rege, pro Republicâ, ſanguinem profunderent? Nunc quantùm degenerauimus! Vellemus vt in primâ acie ſtarent Sacerdotes, ruſtici, Sculteti, ipſæ denique mulieres. Opto equidem Patriæ meæ & fratribus meis aliam mentem, eoſque animos, quibus olim Maiores noſtri formidabiles erant cunctis gentibus. De eo cogitandum, de eo conſulendum eſſet: Proteſtationes diſcordiarum ſemina, perniciem patriæ allatura ſerunt, quare illas iuriſconſultis relinquamus; conſilia verò noſtra eò vertamus, vt omnes vnanimes, omnes omnium Ordinum ſtatus Rempublicam capeſſant, Patriamque labentem fulciant: ſtet Sacerdos ante altare Dei, & incruentum ſacrificium offerat; laboret arator, & victum competentem ſuppeditet; Ordo militaris armis & fortitudine Patriam tueatur.



AMICA

AMICA PARÆNESIS

THOMÆ ZAMOSCIO,

Dum Regni Vice-Cancellarius renunciaretur, data.



SCIO ego magnos & industrios viros, quos præclaræ virtutes magis quàm fauor vel aura popularis, summis admouent magistratibus, non egere alienis monitis, sed per se satis sufficere & esse perspicaces, ad exploranda omnia muneris sui officia : neque tamen ignoro, sæpè eosdem intra modestiæ fines ita animum continere, vt non ægrè admodùm ferant, se moneri, præsertim ab ijs, qui proximè eodem magistratu functi, recenti memoriâ tenent, quibus potissimùm ex causis, in tractandis maioris momenti negotijs, soleant minùs præuisæ exoriri difficultates; vt interdum etiam vel oculatissimos rerum ministros grauiter offendere, & in suspicionem non rectè gesti muneris venire contingat. Ego iure me id vsurpare posse mihi videor, quod ij qui nuper procellosum emensi pelagus, varijsque iactati tempestatibus, interdum ad scopulos leuiter allisâ naui, eâ tamen saluâ, portum iam tenent: tales enim sine reprehensione cuiusquam, cæteros è portu in altum vela dantes suo iure non solùm monere, sed etiam summo studio ijs præcipere debent, & tempestatum rationem, & prædonum & locorum: quòd naturæ ipsius ductu, ijs faueamus, qui eadem pericula ingrediuntur, quibus nos perfuncti sumus; eosque nostro periculo doceri cupiamus, quid cauendum, quid fugiendum, quidúe sequendum illis sit; quâ arte tumescentes frangendi fluctus, vela vt ventis accommodanda, vt vel eminentes, vel cæci scopuli euitandi; quali velificatione, dum minùs secundi spirant venti, vtendum. Possem & ego te, Thoma Zamosci, dum delatum tibi Regio & Senatus iudicio in his Comitijs munus Vice-Cancellarij cæteri gratulantur, paucis admonere eorum, quæ mihi eundem magistratum gerenti in considerationem ex vsu rerum venerunt. Id vt faciam & obseruantia, quâ te mihi ob heroicas tuas virtutes colendum venerandumque iam pridem desumpsi, & multò magis amor impellit. Nec tamen à me expectes, vt tanti officij omnes partes complectar, nec enim eæ sunt meæ vires, vt tantum mihi assumam; & procul dubio ea res longiorem & acuratiorem posceret lucubrationem, euagandum enim esset per omnes Reipublicæ recessus, explicandæ publicorum consiliariorum rationes, leges Patriæ, mores & instituta maiorum, indaganda, sed tu hæc omnia vel ex te petes, vel ex illo omnibus numeris absoluto, rectè & magistratus & Reipublicæ gerendæ exemplari,

Illustri

Illuſtri Ioanne Zamoſcio Patre tuo. Ego ea tantùm commemorare inſtitui, quæ quotidiani vſus ſunt, & quæ magis te ipſum munus hoc gerentem, quàm Reipublicæ ſtatum concernunt.

Inprimis igitur enitendum tibi erit, vt te talem in hoc magiſtratu exhibeas, qualem te vota publica iam pridem animis deſignarunt, ſalutem publicam plus quàm priuatam curantem, Regiæ dignitatis ſtudioſum, ad omnes Reſpublicæ partes intentum, imminentia pericula è longinquo indagantem, remedia malis publicis maturè prouidentem, aſſiduâ curâ ne quid Reſpublica detrimenti capiat proſpicientem. Hæc quotidiana tua meditatio ſit, Vice-Cancellarius Regni ſum; Reſpublica, ſalus, dignitas Regis & Patriæ, cuſtodia legum, pax & tranquillitas publica, curæ meæ commiſſa eſt. Ego arbiter & æſtimator meritorum ac virtutis optimi cuiuſque: per me Regi innoteſcere debet induſtria eorum, qui Patriæ operam nauare & poſſunt & cupiunt, qui præmijs ornandi, qui magiſtratibus gerendis idonei: per me preces omnium Regijs auribus inſinuandæ, & quaſi oſtium liberalitatis aperiendum: ego calamitate & iniuriâ preſſis præſidium, pupillis & viduis patrocinium debeo: à me Rex, qui me in tanti magiſtratus faſtigio collocauit, à me Senatus, cuius concordi ſuffragio locum hunc conſcendi, ſummam rei depoſcit; me ciues, me ſocij intuentur; de me meiſque actionibus hoſtes & inuidi ſententiam ferunt; meæ omnes actiones cunctorum cenſuræ obnoxiæ ſunt. Ita expenſis minimis officij tui momentis, eò omnes tuos intendes conatus, vt muneris tui partes impleas. Omnibus quidem, qui te negotiorum ſuorum causâ conuenire voluerint, domus & porta tua pateat, ſed præcipuè ijs qui aliorum iniurijs preſſi tuo patrocinio eguerint, quique per te ſua deſideria ad Regem deferri petierint; quæ iuſta ne ſint an verò minùs æqua non tantoperè tibi expendendum cenſuerim, habeant hoc ſanè miſeri, & ij qui in publicis, & præcipuè bellicis obſequijs, adeſis opibus, nonnumquàm minùs opportunè ſatisfieri ſibi flagitant, ſolatium, vt non repulſi, ſed in meliorem ſpem erecti à te & ab aulâ recedant. Neque enim mihi eorum probantur mores, qui primo aditu ſpem petentibus præcidunt, & non ſatis meriti vniuſcuiuſque ratione expenſâ, ferunt ſententiam, repulſamque, quæ per ſe ſatis grauis eſt, acerbiorem ipsâ vultus auſteritate faciunt. De quo genere multa dici poſſent, ſed ego haud ignarus eximiæ humanitatis tuæ, quâ dum ſingulos complecteris, ſummum omnium amorem hactenùs tibi conciliaſti, parciùs de his ad te. Collega tuus Iacobus Zadzik Epiſcopus Culmenſis, nuper ſupremus Regni Cancellarius renunciatus, vir clariſſimus, tibique (quis enim te, niſi qui ipſe amari indignus ſit, non amet?) ſyncero animi affectu coniunctus, eam omnium conſenſu exiſtimationem ſibi peperit, vt nemo illo conciliandarum amicitiarum peritior eſſe cenſeatur, quibus quàm multos in toto hoc Regno complectatur, & viciſſim quantoperè ipſe ambiatur, nemo non videt. Pares quidem ſunt veſtræ & eiuſdem poteſtatis

Quid curandum Cancellario & Vicecancellario.

ſtatis functiones, ſed ille iudicijs imprimis præeſt, eaque ita moderatur, vt dum præſens in aulâ verſatur, omnia decreta Regia ſub eius cenſurâ & nomine prodeant. Ad eum pertinet externorum Principum miſſas ad Regem legationes excipere, reſponſa dare, legatis Regijs mandata legationum præſcribere, rationes obitæ legationis ab eis repoſcere, conſilia publica in Senatu auſpicari, quæque in conſilium veniunt, Regiô nomine proponere, Comitiorum apparatum omnem expedire. Hęc illo abſente omnia quoque ad te pertinebunt, ſed & illo præſente, ſi aliqua pars huius oneris exceptis iudicijs (neque enim ea communicari ſolent) Regiâ voluntate tibi deferetur, per te ſuſtinenda erit. Neque ego metuo, ne quod ſæpè fieri videmus, ex æmulatione aliquâ inter vos voluntatum diſſociatio oriatur. Scies tu pro tuâ prudentiâ & animi moderatione, tantum deferre prærogatiuâ honoris & ætatis maiori Collegæ, quantum & mos antiquus expoſcit, & tua dignitas patietur: ille viciſſim, tanquàm accuratiſſimus amoris parandi magiſter, & conſtanti ſynceritate ab omni ſimulatione alienus, quique nullo magis detrimẽto, quàm amicorum, quos penè in ſinu fouere ac tanquàm auri talenta cuſtodire conſueuit, iacturâ commoueri ſolet; & qui aliquando magno cuidam viro querenti per eum amicos à ſe abduci, Fateor, inquit, id fieri, cùm à te eos facilè & temerè deſeri videam, reſponderit; talem ſe tibi præſtabit, vt nullum vnquam alium deſiderare poſſis tanti magiſtratus ſocium. Et quidem non ita te aulæ addiximus, non eo fine togati magiſtratus dignitate auctum ornatumque voluimus, vt diſcinctum gladio, exarmatum & rude donatum cenſere quiſquam poſſet. Sæpiùs ab aulâ recedendum, & arma tibi tractanda ac bella gerenda erunt, quibus ab ineunte ætate aſſueuiſti, quæque ſummâ cum tuâ laude, & eorum quorum ductu res geſta fuit commendatione geſſiſti: prædicant omnes, vel in ipſis periculis tuam animi magnitudinem, & periculorum contemptum, dum morte venale decus heroicâ æmulatione ſectaris. Sed & illa non minùs præclara, &, vt veriùs dicam, propria tua laus, quòd licet opibus & copijs pleriſque par fueris, plures etiam ſuperaueris, ſemper tamen modeſtiæ tuæ memor, ad parendum magis, quàm aliquid plus tibi arrogandum te comparaueris; palamque non magis verbis, quàm re profeſſus fueris, te vel tuo Clienti, ſi eum Rex exercitui præfecerit, pariturum, & ſub eius ſignis militaturum. Nemo ſanè exiſtimauerit eam vocem humilis aut abiecti animi eſſe; enimuerò magnifica ea profeſſio eſt, & militari Patriæque amante viro digna, non multum ſibi arrogare, vbi ſalus publica poſcit; ſubmittere faſces magnitudinis ſuæ; nec æmulatione gloriæ corrumpere publicam vtilitatem; fouere aliorum induſtriam; pati vt minores per virtutem ad præclaras actiones enitantur. Audiſti ipſe & meritò execratus es, impiam ambitionis vocem, cùm nonnemo diceret, non ſe ſiturum, vt alter militaris gloriæ decus, quaſi ſibi vni debitum, ſuffuretur, vt in conſortium famæ rerum præclarè geſtarum veniat. Deteſtabilis eſt hæc & perniciosa

niciosa admodùm Patriæ inuidia, tu vt facis fouebis beneficentiâ tuâ apta idoneaque & ad præclaros pro Patriâ & religione conatus suscipiendos nata ingenia, eosque qui de Republicâ optimè mereri possunt, non solùm non deprimes, sed ab ipsâ tolles humo, & in theatro rei benè gerendæ collocabis. Hoc heroës, hoc maximè vel magnos decet, hoc dum tu facis parem te ijs exhibes, quos ob æquanimitatem vtilem Reipublicæ, gratissimam bonis omnibus, mirata & venerata est prisca ætas. Ibis deinceps & tu pari animi æquitate, per hunc virtutis tramitem, ad summum illud gloriæ decus, quod Pater tuus vir verè magnus totius orbis testimonio consecutus fuit. Sed hæc non huius temporis. Pietas syncera semper tibi cordi fuit: hæc vel vna effecit, vt omnium bonorum consensu magistratu hoc dignus censereris; hac tibi vniuersi status Ecclesiastici & piorum omnium studia conciliasti: igitur & dum hunc magistratum geris, omni studio enitendum tibi censebis, vt piorum & pietatis sis promotor, vt iura & immunitates Ecclesiasticæ, quæ legibus Regni cōtinentur, tuo patrocinio tutæ sint, vt vniuersus ordo spiritualis, quæ prima & præcipua Reipublicæ pars est salutis & dignitatis suæ assertorem & propugnatorem te habeat, & tibi defensorum iurium prærogatiuarumque suarum debeat beneficium. Caue autem ne in hac re imiteris eos, qui vt populo se venditent, nō seriam, sed quodammodò ambiguam suscipiunt sacri ordinis defensionem, ac vtrique parti se venditant; quasi verò dubitandum veniat, vtri parti fauendum sit. Nam si rem benè expenderis, sacrasque illas maiorum nostrorū leges, ex ipsis pietatis & religionis Christianæ fontibus propagatas, accuratè inspexeris, facilè animaduertes, nunc delicta maiorum à nobis lui; & nisi templa refecerimus, iurisdictionem sacram sacro ordini restituerimus, belli exactionumque militarium bonis Ecclesiæ adscriptis immunitatem, quæ pridem legibus nostris indulta est, tribuerimus, Rempublicam nostram violatę pietatis, oppressionis iurium Ecclesiasticorum argui posse, nec facilè felices belli pacisque tempore successus habituram, & delicta maiorum luituram, nisi hæc vulnera, quæ libertatibus Ecclesiasticis illata videmus, legitimâ satisfactione consolidet; debeat, inquam, inter alios tibi hunc magistratum gerenti Ecclesia hoc beneficium, quod tibi vicissim sacris comprecationibus & sanctissimis sacrificijs rependat. Magnum hoc erit rerum gerendarum subsidium, te dum vel arma tractas, vel publica geris negotia, piorum votis ambiri, ad tuam intentionem & desiderium preces sacras fundi, sacrificia offerri. In gerendo magistratu præter pari potestate Collegam, alios muneris tui socios & ministros habes, inprimis in iudicijs, quæ tibi absente Collegâ exercenda erunt, ad ea iure & instituto maiorum adhibebis ante alios Regni Referendarios, vel alterum eorum. Ita sanè anteà in vsu fuit, vt Referendarius accitus ad iudicia à Cancellario statim veniret, & in hac parte voluntati illius simul & muneri suo ex præscripto legum satisfaceret, nec integrum iudicium assessoriale censeretur,

Qui socij sunt laborum & ministri Cancellariorum.

retur, nisi præsente Referendario. In quo quidem iudicio eius officium est, non solùm vt interrogatus dicat sententiam, verùm etiam vt ex indiculo, in quo causæ iudicandorum inscribuntur, eosdem seruato ordine per præconem acciri iubeat, ac denique decretum quale Cancellarius ex sententiâ consiliariorum, quam tamen, si aliter illi visum fuerit, sequi non tenetur, pronuntiauerit, partibus referat. Iudicia quidem Cancellariorũ summæ olim potestatis erant, neque enim illi, quemadmodùm alij magistratus qui delegatâ potestate iudicant, per citationem compelli possunt, vt sententiæ latæ rationem reddant; vltro tamen appellanti Regem parti, ob reuerentiam Principis, interdum deferunt, nisi vel causa similis iudicata fuerit, vel binæ conformes inferiorum subselliorum sententiæ præcesserint, vel denique res de quâ lis est minoris pretij & æstimationis fuerit. De iudicijs pauca hęc innuisse sufficerit; hoc vnum addam: omnia Referendariorum rescripta, quæ nonnisi in causis colonorum & glebæ in bonis Regalibus adscriptorum sub eorum subscriptione emanare debẽt, censurę Cancellarij aut Vice-Cancellarij obnoxia esse, & in illorum errores iustâ liturâ animaduerti posse. Regentem Cancellariæ opto vt talem sortiaris (quem iure tuo tuâque voluntate sortiri tibi fas est) qui omnes in scribendo tuos sciat & possit leuare labores: penes te sit censura illius scriptorum, quæ vt tersa & Latina, nec tamen affectatæ elegantiæ, quam scholis delegare solemus, sint, curæ semper fuit maioribus nostris, passimque Cancellaria Polonica apud exteros Principes iam inde à temporibus Petri Tomicij, quem Cancellariorum normam & quasi Patrem veteres dicebant, satis elegans & erudita censebatur. In omnibus quidem rescriptis, quæ sub nomine Regio prodeunt, ne legibus contraria sint seriò animaduertendum est. In ijs autem quæ ad exteros Principes, siue officij causâ, siue in Reipublicæ aut priuatorum etiam negotijs, scribuntur literis, tum in formandis legationum præscriptis, dignitatis Regiæ & Reipublicæ habenda est ante omnia ratio. Regens autem Cancellariæ tuę vellem vt à te vno dependeat, à te promotionem expectet, nec sine te aliorum affectet suffragia, semper ad nutum tuum paratus exequi quidquid mandaueris, nihil ad scribendum Regi offerat, nisi quod tu anteà videris & probaueris; neminem Regi, idque nomine tuo tantùm, commendet, nisi quem tu commendandum iusseris; in omni ad Regem accessu reuerentiali timore illum perfundi velim, vt qui non suo sed tuo iure cum Rege agendi potestatem habeat, tibique vni rationem reddere teneatur. Quâ de re non te ego commonefaciendum putarem, qui omnis elegantiæ, quę magnum & eruditum virum decet, affectator es; sed quia publicam causam agimus, hoc quoque intermittendum non censui. Quantum in te erit enitere, vt omnia quæ tuo nomine, & ex tuâ Cancellariâ prodibunt, graui & accurato iudicio, tersa & vsu receptâ elocutione scripta, siue Latinâ siue Polonicâ, prodeant: & vt talia sint, etsi Regentis id munus sit, illiusque censura sufficere videatur, tu tamen ipse, quantum

Rescripta Referendariorum censuræ Cancellarij vel Vicecancellarij subsunt.

Latinitatis studium in Cancellariâ Regiâ, & qualis.

tum fieri poterit, censebis & corriges, existimabisque etiam in minimis rescriptis existimationis ac dignitatis tuæ causam agi. Sigillum Regium ex priscâ Cancellariæ disciplinâ nulli vnquam ita concredebatur, vt absente Cancellario eo signare posset: præsente itaque te idque solo, & omnes signandas literas ex indice quotidie conscribendo recensente, vir spectatæ fidei ceræ signum Regium imprimat, officio suo functus, sigillum tibi à te solo seruandum restituat. Nullas autem omnino literas, nisi à certis Notarijs anteà subscriptas, ad signandum recipiat; tales autem qui subscribant ipse deliges, quorum & industriæ & fidei tutò tuam dignitatem credere possis. Velim eos elegantiâ scriptionis (nam in omnibus etiam priuatis, quamuis patrij idiomatis, rescriptis eius rationem esse habendam censeo) cæteris præstare, iuris patrij notitiâ non vulgari præditos esse, nullo omnino priuato commodo à recto iudicio & officio abduci: sed tu quotidianus eorum censor, si quem eorum inscitiâ labi compereris, admonebis; si aliqua fraudis suspicio apparuerit, iure subscribendi priuabis; quâ in re serio & seuero iudicio te vti volo, vt in vnum animaduersio cæteros metu contineat, sciantque omnes te & officij & dignitatis tuæ esse curiosum. Tribus id munus aut ad summum quatuor committere suffecerit; alij omnino, etiamsi sibi sapere videantur, ab subscribendi audaciâ arceantur. Metricæ Regiæ (vsitatis enim vtendum est verbis) talem præficies, qui ex præscripto legum, contractuum omnium scribendorum plenam notitiam habeat: is quoque fide emineat, eamque tibi sacramento obstringat; omnia Priuilegia, Regiorum beneficiorum rescripta, etiam & mandata maioris momenti ad acta referat, eaque singulari curâ conseruet, & tu nempe iubebis, vt is qui Regio sigillo signat literas, nullum omnino Priuilegium nisi actis Metricæ insertum extradat. Iudiciali Notario eodem, si sors iudicandi tibi contigerit, vteris, quē Collega tuus huic negotio adhibet: est is sanè vir probus, & eius artis peritus, dignus qui tuâ benignitate foueatur. Magna quoque pars laboris tui erit in subscribendis manu tuâ ijs rescriptis, quæ more institutoque maiorum signata è Cancellariâ Regiâ prodeunt. Longum esset percensere omnia, neque certis finibus ea continētur, & persæpè arbitrio Cācellariorū vel errore officialium hæc mutātur, vt interdum Regi ad subscribendum ea obtrudantur, quæ à Cancellarijs subscribi debuerant. Mandatorum quidem omnium, quibus magistratus ciuitatum & Oppidorum Regia decreta exequi iubentur, subscriptione nunquàm olim Regia manus fatigabatur. Ex eodem genere censeri meritò possent, mandata ad iurisdictionem vrgendam exercendamque iustitiam pertinentia. Eius generis & formæ omnia rescripta, ne Regi ad subscribendum porrigerentur, & olim ita fiebat, & ego dum hoc Magistratu fungerer, ordinaueram. Tu faciliùs, quòd Collegam habeas prisci instituti gnarum, & tecum consentientem, statues hac de re quod expedire magis vtrique vestrûm visum fuerit. Tutoris dandi ius arbitrio Cancellariorum

In tutoribus dandis quid aduertendum.

permiſſum. Magnâ hîc quoque cautelâ vtendum eſt: nam plerique vt pupillum expilent, vt puellam ſuæ poteſtatis factam venali & conditionali deſponſatione bonis paternis & maternis ſpolient, hoc onus ambiunt, vt inter cætera publicæ iniuſtitiæ (quam totius Patriæ exitio vereor ne aliquando expiare cogamur) argumenta, hæc tutelaris fraus cenſeri debeat. Additur quidem ſemper clauſula, vt is qui tutelam petit eius geſtæ rationem reddere teneatur, ſed quàm multas vias malitia hominum & iniquiſſimorum legum interpretum audacia reperit, ad omnes iuris & æquitatis rationes infringendas, ita vt ſæpè etiam ij quibus iure proximæ cognationis tutela debetur, (quæ clauſula ſemper in reſcripto tutoriæ adijcienda eſt) prætextu dati à Rege tutoris, vel potiùs eius potentiâ excludantur? Vix quidem caueri ſatis poteſt, vt hac in re non erretur: illud vnum cenſuerim, vt vbi ſuſpicio nimis affectatæ tutelæ apparuerit, aliquis ex eodem diſtrictu vir bonus adiungatur. Vitrico & Nouercæ (odioſa ſunt hæc & defunctis parentibus & ſuperſtitibus liberis nomina) ne vnquam hoc munus demandetur. In ciuitatibus & oppidis tam Culmenſis quàm Mariæburgenſis iuris tutorem dat magiſtratus; qui ſi ſegnior fuerit, iubetur id facere mandato Regio interdum & decreto. Reſcripta quæ vocamus Subleuantia diuerſi generis ſunt: ea quidem quæ in cauſis ciuilibus eduntur, ſubleuationis nomen propriè ſibi vendicant; ciuilem proſcriptionem ob contemptum decretorum iudicialium vel Caſtrenſi vel Supremi Regni Tribunalis decreto factam ſuſpendunt; partique proſcriptæ & condemnatis in iudicio comparendi, & contumaciam ſuam vel ignorantiâ editarum citationum, vel malè & per errorem obtento proceſſu excuſandi poteſtatem faciunt. Eadem vis eſt ſaluorum conductuum quibus ij releuantur, qui ex cauſis in iure expreſſis, interdum etiam fraude aduerſariorum, infamiâ quæ apud nos capitalis pœna eſt, iudiciali decreto notantur. Sed intereſt an decreto Comitiali, quis infamis pronuncietur; tali enim, niſi ex conſenſu omnium ordinum in alijs Comitijs beneficium ſalui conductus dari non poteſt. Caſtrenſes & Tribunalitiæ infamiæ cenſuræ Cancellariorum aliquâ ex parte ſubſunt, vt ſi quis per fraudem & in ius legitimè non vocatus circumuentus ſit, beneficio Regij ſalui conductus comparendi coram iudicio & illegitimè ſe condemnatum fuiſſe, allegandi facultatem habeat: ſed neceſſe eſt, vt merè, & vt vocant in contumaciam iuris proceſſus obtentus ſit; nam ſi vel per procuratorem à ſe conſtitutum, vel per ſe in aliquo iuris termino comparuiſſe reus conuictus fuerit, terminus ille rei iudicatæ vim habet, nec ſubleuatione vel ſaluo conductu ſiſti infringíue poteſt. Itaque talia beneficia legitimè conuictis ampliùs concedi non poſſunt, quamuis vltimus bannitionis vel infamiæ terminus abſente reo exierit, ſi fortè is in anterioribus iudicijs perſonaliter vel per procuratorem comparuerit, ac de termino conſeruato ita ei conſtiterit, vt eius ignorantiam legitimè opponere non poſſit. Habet quoque iure victus

Reſcripta ſubleuantia quotuplicia & quibus concedenda & quæ in omnibus reſcriptis diligentia adhibenda.

ius querelæ contra Procuratorem, si is sine mandato, &, vt præsumitur, fraude & cum parte aduersâ factâ conspiratione, tuendum sibi eum susceperit, & per collusionem vinci se passus fuerit; & quamuis vix vnquam talis insimulatio vera esse reperiatur, subuenitur tamen eo modo iure victo Regij rescripti subleuatione, vel in causâ criminali saluo conductu. Obseruari tamẽ vidi, & ipse quoque secutus sum, vt si in causâ cædis Procurator rei scrutinium in iudicio produxerit, illoque lecto reus condemnatus fuerit, perinde sit, ac si per procuratorem inscriptum comparuerit, beneficiumque salui conductus illi ampliùs concedi non debeat. Itaque diligenter & accuratè euoluenda & exploranda sunt munimenta processuum iuridicorum, indagandumq; num aliquid in ijs lateat, ne error aliquis subrepat: nam nullâ in re sagaciores sunt iudices supremorum Tribunalium, quàm in notandis Cancellariæ Regiæ erroribus, obliti quidquid auctoritatis habent hinc ad illos deriuatum fuisse. Dantur & salui conductus Regijs subditis contra possessores Regiorum fundorum, ciuibus & oppidanis contra magistratum (quâ in re peculiare ius habent ciuitates maiores Prussiæ) dantur & in Ducali Prussiâ Nobilitati, ne Princeps vel eius vicaria potestas facto, sed iure contra eos procedat. Subditis verò Nobilium & Ecclesiasticorum, tam oppidanis, quàm glebæ adscriptis, contra dominos ne dentur salui conductus, legibus vetitum est. Interdum etiam si pars iure victa satisfactione, & tam rei principalis, quàm mulctarum legalium solutione in integrum restitui velit, huic quoque, etiamsi vetustior & præscripta bannitio fuerit, non negandum videtur subleuationis beneficium; cùm veteri iure cautum sit, & quotidianâ praxi idem confirmetur, bona in perlucris obligata præscriptione amitti non posse. Abolitis vel per decretum, vel factâ inter partes compositione (quę authenticè exhibenda & videnda est) bannitionibus, restituitur in regnũ Regio rescripto bannitus, similiter & infamis, nisi cædis perpetratæ reus fuerit & proinde publicæ pœnæ obnoxius, de quâ transigere legibus prohibitum est. Priuilegia item faciendi præconis publici, quem Ministerialem vocamus, ex Cancellariâ Regia indiscriminatim dantur, non inserto eius qui creandus est nomine, & absque connotatione diei quo tale diploma editur. Vsu antiquo id inductum, cùm aliàs nullæ omnino literæ ex Cancellariâ emanare debeant, nisi integris lineis & absque lacunis, in quibus deinceps aliquid inscribi possit, denique mense, die & anno quo scriptæ sunt adiecto. Ad commoditatem celerioremque cursum eorum qui vel in priuatis Regijs negotijs, vel in publicis mittuntur, institutæ sunt subuectiones, quas Regia & nonnulla etiam Spiritualium oppida magno cum onere præstant ij qui tali vecturâ vtuntur, necesse est vt exhibeant mandatum Regium, Cancellarij aut Vice-cancellarij manu subscriptum, quale te nunquàm nisi iussu Regio concessurum persuasum mihi est. Vix ad alia quàm quæ commemoraui Cancellarij manum suam admouent, oculis tamen omnia lustrare debent: ipsas etiam cita-

tiones, quamuis ab alijs visas & probatas, Comitiales quoque, ne talis error obrepat, qualem nuper accidisse vidimus, cùm Episcopus criminis vis perpetratæ accusatus, tanquàm aliquis è plebe contra sacri ordinis dignitatem & libertatem, dicaci & probrosâ dicâ proscinderetur. Scio & alia exempla. Itaque meritò Petrus Tilicius, dum Vice-Cācellariatum deponeret, gloriatus fuit, nullam vnquam etiam citationem signatam fuisse quam non viderit legeritque. De me idem confirmare possum, nunquàm me redargutum fuisse, quòd aliquid me inscio Regio sigillo signatum fuerit, & certè nunquàm me puduit mei iudicij, nec sedulitatis & diligentiæ pœnituit: semperque in promptu mihi erant rationes, si quis fortè quereretur, (neque enim qui immeritò querantur, deesse possunt,) quas opponerem, meque iure fecisse ostenderem. Magnus is labor, sed vt existimatio tuta sit, quæ etiam fidelissimis vix tutò vnquam concreditur, enitendum est, vt ei par esse possis. Commissiones ad fines inter bona tam Nobilium quàm Ecclesiasticorum & Regia, regundos; Reuisiones quibus bonorum ab vtrinque Regiorum fines statuuntur; mandata item, quibus Capitanei ex lege animaduertere in bannitos iubentur, itemque ad cognoscendas appellationes, quæ à Magistratu vrbis Cracouiensis interponi solent, (quas Rex nisi Cracouiæ sit præsens iudicare non potest) deputatio Iudicum, hæc & his similia manu alicuius Secretarij aut Notarij subscripta, & sigillo Regio signata è Cancellariâ eduntur; sed commissiones ad regundos fines, vt non nisi interrogato Rege extradantur, vsu receptum est. Prolixus essem, si omnia persequi vellem: puto me tamen magis notiora, quæ in vsu sunt, attigisse. Ipse vsus tibi reliqua ob oculos ponet, quæ omnia referes ad normam iuris & legum, non solùm nostrarum, sed quæ ipsis pandectis Codicibusque Imperatorijs continentur, & quæ Saxonici, quæ Culmensis iuris auctores condiderunt. Denique ad ipsos Sacrorum Canonum fontes interdum recurrendum, & ex ipsis salutaris consilij principijs consilia petenda. Id maiores nostri fecerunt, qui talibus institutis volumina legum Patriarum constare voluerunt. Riserunt hæc corrupti æui nostri tempora: sed prudentiores intelligunt, prudentissimè à maioribus nostris publicæ saluti prouisum fuisse. Illud prætereà nec sine causâ adijciendum putaui, præter Senatorium munus incumbere Cancellarijs necessitatem quandam tuendæ Maiestatis Regiæ, & eorum iurium, quæ ad eandem Maiestatem conseruandam pertinent: si quis ea infringere voluerit, publicè & priuatim enitendum tibi censeas, vt Regiæ dignitatis defensor sis & habearis. Bonorum prætereà Regiorum iuriumque contra eos, qui peruersâ legum interpretatione ea interuertere nituntur, accuratum custodem & defensorem. Liceat alijs Senatoribus, quanquàm nemini id licere existimandum sit, vel auræ popularis captandæ causâ, vel certè quia nonnunquàm ignorant, quantum Reipublicæ intersit Regiam conseruari dignitatem, & possessiones redituśque Regios non diminui, interdum sententiam suam flectere ad fauorem

Commissiones ad fines regundos & similes quomodo extradendæ.

Cancellarij Regiæ dignitatis defensores esse debent.

rem priuatorum, & leuitate iudicij labi; Tu in eiusmodi Regijs causis, quæ maioris momenti fuerint, quæque patrocinio magistratus tui defendi debent, publicam sustinebis personam, ac paratus meditatusque dices sententiam. Cuius rei gratiâ si quid tale vel in iudicium vel in disceptationem Comitialem adducendum erit, tu te ab iurium Regiorum defensore, quem Instigatorem appellamus, maturè admoneri curabis; ne si incautus talia negotia tractanda susceperis, vel ignorantiæ vel erroris argui possis, & serò te pœniteat, quod magnis & præcocibus ingenijs sæpè accidere videmus, dictæ sententiæ, cùm Cancellariorum dicta tanquàm oracula quædam excipi, & in vtramque partem notâ censoriâ signari soleant. Id verò facies magnorum Cancellariorum exemplo, quibus curæ fuit eximiæ cuiusdam prudentiæ opinionem tueri, & non solùm ea quæ voluminibus legum continentur complecti, sed illa etiam quæ diuturno vsu, quem legum optimum interpretem meritò dicimus, introducta & quasi per manus ab ijs qui olim hunc magistratum gesserunt tradita sunt, constanter defendere. Pater tuus laudator semper fuit priscorum institutorum, quæ diuturno Cancellariæ vsu, dum adhuc iuuenis esset, hauserat. Errabimus & nos, si ab ijs recesserimus. Tu ea tueberis, semperque existimabis legibus antiquis virisque Rempublicam nostram seruatum iri. Tueri autem potes pręsentem Reipublicę statum, cùm & illustri loco natus sis, & inter multos non sis inferior opibus, & si omnia circumspexerimus, non admodùm inuidiâ præualente graueris, nihilque in præteritum reprehendendũ, multa laudanda habeas. Quòd si maiores respexeris, si vetera Zamoiscianæ Tarnouianæque familiæ decora intuitus fueris, magnam tibi necessitatem imponi senties, in hoc magistratu sedulò capessendæ Reipublicæ: illa trophæa & triumphi, quos tui paterni materniquе sanguinis maiores, victis Reipublicæ hostibus, gloriosè ad æternam posteritatis memoriam fixerunt gesseruntque, te ad pares pro patriâ ausus suscipiendos incitabunt, tibique addent calcar ne vllâ excusatione, dum Regis & Patriæ salus tuam poscet opem, te tuearis, ne priuatorum negotiorum moles, ne vel ipsius vitæ discrimina te auocent à curâ & custodiâ Reipublicæ. Vides quantis viris debeas ortus & sanguinis tui initia: patrem habuisti & Cancellarij & Supremi exercituum Ducis summâ cum laude munere functum, nunquàm victum, semper victorem, ad extremum vsque vitæ spatium rerum præclarè gestarum prosperitate fruentem; eundem non magis in armis, quàm in togâ, ad quam natus esse videbatur, egregium ciuem. Quanta in vno homine notitia antiquitatis; quantæ literæ; quanta legum non magis Patriarum quàm exterarum scientia? idem miles acerrimus, belli dux prudentissimus, Senator grauissimus, & ad quosuis magistratus capessendos maximè idoneus. Quid de Tarnouiâ, quæ mater tua, speculumque sanctitatis muliebris fuit, dicam? hæc eâ familiâ orta est, quę fœcunda fuit magnorum virorum, qui per omnia quę monumentis maiorum

nostrorum continentur tempora belli pacisque artibus floruerunt: sed vel vnius Ioannis Comitis à Tarnow supremi exercituum pro Regno Poloniæ Ducis, clarum & illustre nomen suffecerit, quod suo splendore ita domi forisque claruit, vt exteri quoque laudum ipsius celebritate adducti eum monumentis ingeniorum suorum ornandum existimarunt. Te talium familiarum illustrem surculum, quid agere, quo animo esse, quantâ contentione ad summum decus eniti oporteat, præclarè tu quidem per te ipse expendis, facisque vt nemo non fateatur, te maioribus tuis esse dignissimum, & mox celebrem eorum gloriam adæquaturum. Ea quidem tua est indoles, vt etiamsi in aliâ familiâ eluxisses, tuis viribus summum decus adepturus esse videreris: vixdum iuuenis & iam iudicio Regis maximi Senator, amplissimarumque prouinciarum Præses & Palatinus factus, ibi rudimenta ponebas futuræ tuæ magnitudinis, vbi alijs desiisse satisfuerit, vt non immeritò nos tum dixerimus celeriorem esse virtutis tuæ quàm ætatis cursum. Talis olim fuit Regis de tuâ industriâ existimatio, tale nunc postremò eiusdem accessit iudicium, & quidem omnium bonorum calculo approbatum. Quis non libenter vidit te Vice-Cancellarium renunciari? admoueri tuas opes, tuam industriam publicæ saluti, te, quem cæteri si in otio viueres felicissimum putabant, negotijs onerari? Arcent alij Principes penè à conspectu suo eos qui opibus excellunt, quorum industria eminet, suspecta illis est optimi cuiusque virtus. Te Rex optimus, verus Pater Patriæ, vltro acciuit, nec tuas opes, nec tuam dignitatem suspectam habuit, sed virtutem adamauit. Tu vicissim, prout hactenùs fecisti, te totum Patriæ, cui natus es, Regi, qui te iudicio suo ornauit, Ecclesiæ, cui obsequium debes, impende. Sed ego te currentem cur moneo? rogare magis debeo, vt in optimam partem accipias monita mea, ab optimo affectu profecta; quæ si tibi grata fuisse comperero, monebo ampliùs, reprehendam quæ improbanda censuero, laudabo quæ digna commendatione existimauero, assentationis expers, verus amicus tuus.

ERRATA IVLII BELLI

LAVREÆ AVSTRIACÆ SCRIPTORIS, TAXANTVR.



ON eo animo Lauream Auſtriacam à Iulio Bello Iuriſconſulto concinnatam, belli in Germaniâ geſti ab Anno MDCXVII. narrationem continentem, legendam ſuſceperam, vt quidquam in eâ notarem, quod hominis à liuore & inuidiâ alieni cenſurâ dignum videretur: ſemper enim aliena minùs ſcrutanda rimandaque cenſui, permittendumque vnicuique ſcriptori, vt ſuo arbitrio tantum pro laude gentis ſuæ nitatur, quantum res ipſa, illi meliùs quàm nobis, qui ab aliorum narratione pendemus, nota ſinit. Enimuerò ſi Auctor ille intra cancellos ſuſcepti negotij ſe tenuiſſet, ſi Regni & Regis Poloniæ vel nullam mentionem feciſſet, vel certè & veritatis & Regiæ dignitatis, & nominis denique Poloni, aliquam rationem ſibi habendam duxiſſet, non ſolùm intacta ſua maneret Laurea, verùm etiam nobis ſuffragantibus & tantis Ferdinandi Auguſti Imperatoris rebus geſtis, & bello victorijſque poſt hominum memoriam maximis, parto decori fauentibus, ſplenderet, eadem nouis illuſtrata triumphis: cui nos quoque nihil detractum volumus, ſed quoſdam falſarum narrationum næuos, qui illius obſcurant nitorem, abolendos ſuſcipimus: illud initio præfati, noſtra nos tantùm agere, veritatem, vt nihil ampliùs dicam, odio obfuſcatam, veriori relatione illuſtrare, calumnias quibus Regis & gentis noſtræ dignitas perſtringitur, abſtergere velle, in alienâ tamen Republicâ & Hiſtoriâ curioſum eſſe nolle.

Video Bellum, etſi ſæpè fateatur commodè & opportunè Polonos Cæſari auxilio fuiſſe, eoſdem tamen frequentiùs latrocinij nomine inſignire, illis cædes innocentum, incendia, populationeſque oppidorum, Sileſiæ Morauiæque vaſtitatem imputare. Ignarum denique quam gentem maledictis inceſſat, Coſacos Polonoſque confundere. Scire equidē debuerat, Coſacos gentem quidem eſſe quæ Polonico imperio continetur, ſed ſedem domiciliumque ſuum in finibus Regni, Turcico, Tartarico, & aliquâ ex parte Moſchouitico Imperio obiectis habere, ſæpè terrâ ſed frequentiùs mari rem gerere, furtiuis excurſionibus, potiſſimùm ijs in quorum cōfinijs verſantur Chriſtiani nominis hoſtibus graues moleſtoſque eſſe; ſi exercitu, cui pares non ſunt, maioreque hoſtili vi vrgeantur, intra vaſtos Boryſtenis (qui nobiliſſimus eſt Europæ fluuius ac inter arduas & inacceſſibiles rupes multis effectis inſulis, pluribus oſtijs

Coſaci quod genus hominum, vbi domicilium habeant.

in

in mare Ponticum effunditur) recessus se recipere: illic tutos esse, nec fame (nam pecore & carne ferinâ piscibusque abundant) ad deditionem cogi posse, ab antiquis Græcis Nisouios, quasi Insulanos, appellatos; Scriptoribus priscis notos, cùm sæpè commemorant hoc genus hominum paruis cymbis, quarum singulæ non plures quadraginta milites capiunt, per ostia Borysthenis egressum, Asiæ minoris Thraciæque littora peruagatos esse, ac excursione factâ vrbes & oppida expilasse, ipsi Regiæ vrbi Constantinopoli non semel terrorem incussisse, quod & hisce annis aliquoties factum fuisse scimus. Id hominum genus ex varijs diuersisque nationibus, plurimùm tamen Slauonicâ coaluit: interdum & Turcæ, & Tartari, Valachi, Hungarique ad eos transfugiunt; si quis capitis pœnam scelere commeruit, ex toto Polonico Slauonicoque Septentrione ex Thraciâ, Moldauiâ, Valachiâ ad tutum impunitatis asylum eò se confert. Religio omnibus vna, nempe ea quam in secessione ab Ecclesia Catholicâ & vniuersali Constantinopolitani Patriarchæ Schismaticis ritibus variarunt: pro eâ se mori paratos esse profitentur, nec quenquam eorum qui aliter de religione sentit ad suum admittunt consortium; Slauonicâ tantum lingua omnes loquuntur. Fidem Regi & Reipublicæ constanter semper seruarunt: cæterùm quadraginta proximis istis annis, numero & fortunis quas ex Asiaticis prædis corradunt aucti, prædia quoque & domicilia in oppidis Regijs & nobilium habere cœperunt, in quibus & vxores & res pretiosiores deponerent, cumque & locorum Domini, & Regij Præfecti eos censu ac tributis grauarent, & quasi in seruitutem redigere vellent, irritati, sæpe illis rebellarunt: ita orto ex libidine & cupiditate priuatorum dissidio, aliquoties eos publicis armis & impensis coërcere opus fuit. Genus militiæ eorum potissimùm pedestre, singuli sclopeto longiori & frameâ armantur; castra quæ curribus ac maioribus tormentis tam in fronte quàm per latera muniunt, mobilia habent, seruatisque curruum & structæ aciei ordinibus, hostem adoriuntur, interdum, si res poscit, venientem excipiunt pugnâ stabili. Sed de Cosacis gestisque eorum longior esset instituendus sermo, si omnia exequi vellemus. Ad Bellum redeo, qui Polonos à Cæsare in Austriam euocatos Cosacos appellat: aliud illud militiæ genus fuit, equitum leuioris armaturæ, vsitatum nostris, maximè contra Moschos & Tartaros, agminibus in gyrum actis, pugnam nunc cedendo nunc instando ciere adsuetis. Sed in Moschouiâ ab annis viginti sex tumultu (cui se nostri spontaneâ militia impostori cuidam qui se filium Basilij Moschouiæ Ducis finxerat, operam nauantes ab initio immiscuerant) excitato, dum quisque rem strenuè gerere nititur, fuere nonnulli, qui celeri per vastum illud Septemtrionis Imperium excursu, nouâ quadam bellandi arte militem imbuerent. E quorum numero Lisouius nobilis Lithuanus, per aliquot annos non contemnendi agminis ductor, arma per totam Moschouiam nusquam fixa sede circumtulerat, hostem multis damnis affecerat, militem

Cosaci vnde Nisouij dicti.

militem ſuum prædis agendis exercuerat. Eo vitâ functo poſtquàm pactis cum Moſchis publico nomine inducijs, omnes exercitus Regio mandato inde excedere iuberentur, Liſouiani (nam hac denominatione in memoriam Ducis ſui appellari voluerunt) aliquanto licentioſiùs à ſignis diſcedere nolentes, in Regno verſati ſunt: poſtremò cùm multi de ijs quererentur, legeque latâ, niſi intra certum tempus arma deponerent, omnes infami proſcriptione notarentur, decretum fuiſſet, in partes Cęſaris primùm, in Hungariam factâ irruptione, mox per Sileſiam ac Morauiam Viennam vſque tranſgreſſi ſunt: acciti ab ijs qui nomine Cæſaris militem inſcijs Ordinibus Regni & Rege potiùs diſſimulante quàm concedente ad ſigna cogebant. Facit eius rei mentionem Bellus dum libro primo ſuæ Hiſtoriæ ſcribit: Regem Poloniæ validam militum manum Cæſari contra Bohemos ſubmiſſurum fuiſſe, niſi Tartaricâ impreſſione aliò hos milites deſtinare coactus eſſet. Sed Cæſar non amplius niſi id de quo pactis inter Reges & Regna Poloniæ & Bohemiæ dudum cautum erat, videlicet vt ſi neceſſitas poſtularet liceret vtriſque in mutuis ditionibus ad ſuum vſum militem ſcribere, eumque ſine ſignis, ſine agmine, ne occaſio damni daretur educere, poſtulare poterat. Vſus eſt Cæſar non ſine ingenti noſtro damno hoc iure, dum in Bohemiâ Auſtriaque bello à ſeditioſis impeteretur, dum ab excurſionibus Hungarorum ne ipſa quidem Viennæ ſuburbia tuta eſſent, dum Cæſaris res in anguſto verſaretur: vſus inquam hoc iure eſt magis, vt dixi, diſſimulante quàm permittente Rege, qui hac in re per leges Regni non niſi conſenſu Ordinum accedente vicinorum Principum deſiderio ſe accommodare poteſt. Sed liceat nobis vel ſerò queri, ita ab illis quibus in Poloniâ militis auctorandi negotium à Cæſare mandatum erat, erratum fuiſſe, vt nunquam miles legitimus ſed temere lectus ad ſigna Cæſarea cogeretur, ſtipendia potiùs promitterentur quàm exhiberentur, Duces & Centuriones è voluntarijs prædæ ſpe exciti manipulos rapacium agminum, non antè in Cæſaris ditiones inducerent, quàm nudos & egentes prædis domeſticis ſatiaſſent. Sæpè ipſa cõtremuit Patria, ſuas exhauriri opes, infame militiæ genus ad nutum Cæſaris moueri; intereà Legum ſeueritatem & diſciplinam militarem contemni ac euerti: denique decus illud priſtinum armis à Maioribus noſtris partum, hoc militiæ genere peſſum ire, & non immeritò ſępiùs ab ipſo Laureæ Auſtriacę Scriptore latrocinij nomine inſigniri. Sed heus mi Belle, cur igitur toties à nobis iſti latrones expetiti? cur eorum ad ſigna Cęſarea cogendorum non poſtremæ auctoritatis viris negotium demandatum? cur denique ſæpè, vt tu ipſe fateris, Cæſar per legatos, per literas, ſibi eos ſubmitti petijt? nempe vt latrocinio iſtic graſſarentur, vt nullus eorum in bello vſus eſſet. At ſanè Cæſar ipſe ingenuè fatetur, ſemel atque iterum eorum hominum operâ ſalutem ſuam conſeruatam, imperiumque aſſertum. Tu hęc ignoras? accipe rei geſtæ ſeriem. Cùm, vt tu ipſe non diffiteris, Cæſaris res in arcto eſſent,

Pacta inter Poloniæ & Bohemiæ regna de ſcribendo milite.

ſent, Duceſque eius caſtris exuti, ægrè mœnibus Viennenſibus & ſuam & Cæſaris ſalutem tuerentur, ac ingentibus copijs ex vniuerſa excitis Hungariâ Betlemius grauis eſſet Auſtriæ, impuneque per eam cædibus & incendijs graſſaretur, nemo negauerit furorem impetumque ipſius fractum & reuocatum fuiſſe, excurſione Liſouiorum in eam Hungariæ partem, quam vti Regno Poloniæ confinem Tranſyluanus grandi munierat præſidio, exercitu ſeptem millium Hungarorum Duce Racocio finibus Regni admoto. Tanto tum impetu hi, quos tu latrones vocas, vt Cæſari quem premi ſciebant gratificarentur, in Hungaros irruerunt, vt quamuis multò pauciores hoſtibus eſſent, nec ſex millium numerum explerent, protritis tamen hoſtibus, & fugato Racocio longe lateque populationem extenderint: atque eiuſmodi per Hungariam ſparſerint incendia, vt ad ea extinguenda ex Caſtris Gaborianis nec imperio nec ordine ſeruato properandum Hungaris fuerit: ipſeque Gaboreus penè ab omnibus ſuis deſertus retro cedere, & Auſtriam deſerere cogeretur. Erat tunc occaſio pręclarioris in gratiam Cæſaris nauandæ operæ, id enim huic militi Liſouiano deſtinatum erat, amoto præſidij Racociani obice, ingentique excitato tumultu, per ipſam perrumpere Hungariam ac Gaboreum inſperato territum caſu, & fruſtra de retinendis copijs laborantem aggredi: ſed æmulatione vnius ex Ducibus qui rei militaris ignarus penè inuitis ab ijs qui priuatâ ducti ambitione, alienæ virtutis & induſtriæ decus nomini ſuo adſtruere nitebantur, obtruſus, factum eſt, vt excitatâ diſcordia, excuſſoque iugo imperij eius, qui illud ſibi arrogauerat retro conuerſis ſignis eò vnde progreſſi erant reuerterentur. Hæc menſe Nouembri Anno MDCXIX. acciderunt cùm Comes Altenius Cracouiæ hæreret, ac nomine Cæſaris renitentibus nobis, eiuſmodi homines ſponte militiam profeſſuros ad ſigna vocaret. Ingemuit tunc Patria noſtra, attrita ſolutæ diſciplinæ militis damnis & iniurijs: benè quidem omnes cupiebamus Cæſari, à ſuis oppreſſo ſubditis, & pium bellum gerenti, ſed interim iure querebamur Cæſareos Legatos in cogendis copijs excedere fines fœderibus præſcriptos: intra fines Patriæ noſtræ vexilla licentiæ erigere, noſtris infeſtos agris, ſuis parcere, militem non pecunijs ſed promiſſis auctoratum, incolarum Regni fortunis per vim ereptis veſtire, armare, & ſaginare. Itaque Rex ipſe quem ſemper Cæſari fauiſſe, & porrò fauere ſciunt omnes tot commotus ſuorum iniurijs, coactus eſt armatâ manu admota, metu eiuſmodi colluuiem magis terrere, quàm ad officium reuocare: quæ verſus Sileſiæ fines aliquot agminibus itinere ſuſcepto, cùm ijſdem diebus nunciaretur, Cæſarem non tantùm ab hoſtibus vrgeri, ſed ob ſuſpectam Viennenſium fidem in ſummo eſſe, ni citò ſibi ſubueniretur periculo, licet tota contra Cæſarem in armis eſſet, vnà cum adiunctis Prouincijs Bohemia, paſſimque tranſitus omnes armatis tenerentur præſidijs, illi inquam latrones fruſtra prohibentibus Cæſaris hoſtibus armis ſibi viam patefecerunt, tantumque

Polonorum militum pro Cæſare contra Hungaros egregia facta.

que itineris ſpatium quo Vienna à finibus Poloniæ remota eſt, quinque diebus emenſi, quaſi diuinitus delapſi inſperatum Cæſari præſidium attulerunt: quàm grati eo tempore hoſpites, teſtatur oratio quâ nomine Cæſaris excepti fuerunt. Itaque Viennam immiſſi tantum terrorem ciuibus incuſſerunt, vt arma ponere, eaque in manus eorum quibus hoc negotium à Cæſare demandatum erat tradere coacti fuerint. Tangit hanc Hiſtoriam Bellus ſui Commentarij libro IV. ſed vt oſtendat quàm parum faueat nomini Polono ſatis ieiunè & perfunctoriè, quaſi nihil actum fuerit eorum militum aduentu, neque Cæſar in ſummis anguſtijs conſtitutus eorum operâ conſeruatus. Pari ratione cùm Hiſtoriam victoriæ ad Pragam per Bauarum de Bohemis partæ exequitur, nullam penè mentionem facit eorum, quæ à Polonis præſtita fuiſſe conſtat, nempe Equitatum Hungaricum, in quo maximam ſpem rei benè gerendæ Bohemi collocauerant, pulſum profligatumque, huiuſque victoriæ initium factum, Bohemis fugâ ſociorum territis, Bauaricis verò tanto facinore animis auctis. Non negat Bellus Hungaros Polonis in acie fuiſſe obiectos, ſed ne quid laudis illis tribueret, ſcribere maluit Hungaros Panico potiùs quàm Polonico terrore motos loco ceſſiſſe. Non referam alios præclaros Liſouiorum in Bohemiâ auſus, ſæpeq; eos non inuitos iuſſu Cæſarianorum Ducum hoſtem aggreſſos, eximia militaris fortitudinis ſpecimina edidiſſe, ſæpè periculis conſultò obiectos in ipſa ruiſſe pericula. Sed qualeſcunque illi fuerint, certè natio Polonica in vniuerſum non meruerat vt ſub nomine Coſacorum vel Liſouianorum à Scriptore Laureæ Auſtriacæ carperetur. More (inquit idem) gentis capto nouo Hungariæ oppido debacchati ſunt; ſæuitum cæde immani etiam in fœminas & impuberes, loca ipſa Deo conſecrata polluta ſtupris. Hiccine Polonorum mos eſt, ea videlicet religio & pietas, quam in hoc Septentrione ſoli ita retinent, vt nullis perfidiæ Lutheranæ fæcibus ſe inquinari vnquam ſiuerint, numquàm à profeſſione Catholicæ veritatis receſſerint? Nec ſanè perſpicio cur Bellus potiſſimùm Polonos crudelitatis & ſæuitię crimine oneret; quaſi verò vel Dampierus vel Buquoius mitiores fuerint, blandiùs cum hoſtibus Cæſaris egerint: omnes nempe qui Cæſaris ſtipendia merebant ad bellum, ad cædem, ad incendia, ad populationes conducti euocatique fuerant: is rem ſtrenuè egiſſe putabatur qui plures Bohemos & eorum ſocios occidiſſet, expilaſſet, fortunis ſpoliaſſet, latiuſque populatione extenſâ Cæſaris hoſtibus terrorem incuſſiſſet. Id cùm Poloni agerent iubente & volente Cæſare ſe agere ſciebant, cùm cæteri quoque Cæſaris militares Duces exemplo ijs præirent, & quâ parte poterant hoſtibus damna inferrent. Riſum mihi ſæpè interdum & bilem mouit, auctoris in deſcribendis rebus ad bellum illud ſpectantibus inſcitia; inter Archiducem Carolum & Principem Vladiſlaum pactionem factam fuiſſe de auxilijs ſubminiſtrandis, quis credet

Ad Pragam in conflictu cum Bohemis à Polonis initium victoriæ factũ.

nisi statûs iuris nostri ignarus? Triginta Cosacorum millia à Rege Poloniæ finibus Silesiacis admota, alibi etiam eosdem multorum millium numero vel Hungariam vel Silesiam vix ingressos cæsosque. Si à te Indica Historia Belle scriberetur, impunè tibi talia proferre liceret, nec enim quisquam nostrum eò sciscitatum proficisceretur, vtrùm ea quæ narrares vera essent: nunc cùm rem temporibus & penè in oculis nostris gestam fide Cæsarei Historici ad notitiam posteritatis prodis, à nobis in ijs quæ notissima sunt facilè refutari potes. Neque ego ampliùs commemorabo ea quæ tu fide tuâ in Austriâ, Bohemiâ, Morauiâ, & Silesiâ gesta fuisse asseris, neque ea quæ contra Polonos scribis magni deinceps æstimabo, nec denique expendam aliquídne operæ isti siue Cosaci, siue latrones à Cæsare euocati Cæsari nauauerint: ad ipsam venio Poloniam, & tua in Patriam meam maledicta paucis perstringam. Inprimis autem à te peto cur tibi in mentem venerit, vt Lauream quam capiti Austriaco nectere instituisti, dedecore nostro vndique conquisito augere volueris? quasi verò in solâ erretur Poloniâ, & nulla sit Respublica quæ quandoque aduerso euentu non laboret. Nimiùm tuis Germanis faues, & ita in amorem Patriæ effusus es, vt cæteros floccifacere videaris: vereor ne in te id aptè dici possit quod in quendam Historicum ingeniosus scripsit Poëta: Nec malus es ciuis, nec bonus Historicus. Itaque extra Germaniæ fines egressus, quasi Rubicone superato veritatis aleam in dubium euentum ieceris, quidquid in buccam venit promis. Anno Domini MDCXVIII. Turcarum Imperatorem Cosacorum prædis & rapinis irritatum, fœderi quod cum Rege Polono haberet renunciasse, ingentemque Turcarum exercitum adiunctis quadraginta millibus Tartarorum, in fines Poloniæ immisisse; ab his maiora hominum memoria Podoliæ arma illata, & insuper Præfectum Regionis qui cum tribus millibus militum illis se obiecerat, ita profligatum, vt omnibus amissis tribus tantùm socijs comitatus fugâ euaserit. Siste stylum mi Belle, & vnde ista habeas recense, nos qui tunc in Poloniâ viximus nihil tale vidimus, nihil audiuimus. Irritari à Cosacis Turcarum rabiem, eorumque fines hostiliter inuadi, non nouum, nec primùm eo anno factum: Tartaros furtiuis excursionibus prædas ex agris qui in finibus vasti & parum culti longè latèque patent, agere propè quotidianum. Acciderat aliquid eiusmodi illo anno, vt maioribus viribus is hostis ad populationem vicinarum sibi Prouinciarum accinctus in nos incubuerit, sed in ipso Regni limine Stanislaus Zolkieuius Regni Cancellarius & exercituum Dux, castris positis ita compressit hostilem audaciam, vt non multum circumacto agmine iter vertere, & partim accepto partim illato, quod à vago ac fugitiuo hoste vix caueri potest damno regredi coactus fuerit. Cæterùm tunc nec Prouinciæ Præfectus nec tria militum millia cæsa sunt. Idem

ſi veritatis violatæ argui noluiſſet Principis Vladiſlai in Moſchouiâ progreſſus vel ſiluiſſet vel diligentiùs rei geſtæ ſeriem indagaſſet. Penuriâ annonæ Principis exercitum laboraſſe. Comitijs Mashæ (crediderim huius nominis oppidum nullibi exiſtere) habitis noua auxilia illi decreta fuiſſe, illum denique irrumpentibus in Poloniam Turcis & Tartaris conſilium belli contra Moſchos gerendi deſerere coactum fuiſſe: quæ omnia profectò à veritate remotiſſima ſunt. Mox libro III. Principem Vladiſlaum pactis cum Carolo Archiduce mutuis auxilijs Sileſiâ exceſſiſſe memorat; cùm eâ de re nec actum quidquam fuerit, nec agi potuerit. Eodem libro Regiam cum Senatu per literas de motibus Tranſyluanicis & Bohemicis inſtitutam deliberationem ita procul vero narrat, vt planè appareat eum in alienâ & ſibi ignotâ verſari Republicâ. Non perſtringam omnia, vnum ſaltem ſcire cuperem; cur taceat, Carolum Archiducem Epiſcopum Vratiſlauienſem, tunc ingenuè faſſum eſſe, & Epiſcopatum Vratiſlauienſem beneficio Regum Poloniæ, qui olim legitimi domini totius Sileſiæ fuerunt dotatum fuiſſe,& defenſionem iurium ſuorum ad Regem Poloniæ pertinere? Paulò pòſt idem recenſet ſedecim & mox viginti millia Polonorum Duce Humanaio in ſuperiorem Hungariam & Tranſyluaniam irruiſſe, ſed ſubductis rationibus conſtat non plures quinque millibus fuiſſe qui id facinus auſi, Ordinibus Regni minimè probantibus temerè priuato conſilio pacem publicam turbari. Ditrichſtemium in Poloniam cùm à Morauis in ius vocaretur transfugiſſe, & opem Regis imploraſſe nemo noſtrûm audiuit. Polonos à Præfecto Caſſouienſi ad Zipſium cæſos, ad fictam belli fabulam pertineat: vt illud penè eodem folio, quaſi triginta millia Polonorum Sileſiæ finibus imminerent, à Rege iſthic collocata, vt terrore Bohemos & Sileſios in fide Cæſareâ continerent. Mox idem ſcribit Regem Poloniæ quieti ſe dediſſe, & Heiducis mandaſſe ne Turcas infeſtarent. Nec memor Bellus (vt ſæpè labens memoria) quod paulò antè militaſſe ſub ſignis Humanai dixerat Polonorum ſedecim & aliàs viginti millia, libro IV. contrahit calculum, & non niſi ad quatuor mille redigit, qui in obſequio Humanai & Alteinani fuerant, eos ad Cæſarem opportuno & neceſſario illius tempore veniſſe, cùm fatetur agnoſcit beneficium gentis maiorem Cæſaris quàm Patriæ curam habentis. Nihil ampliùs dicam de proſperis Polonorum ſub ſignis Cæſaris ſucceſſibus, de cæde eorum in Sileſiâ & Morauiâ; vbicunque occaſio data eſt Bello Polonici nominis gloriam obfuſcandi non parcit ſtylo, pungit acriter, & à Cæſare euocatos Cæſari operam nauantes prædones latroneſque nominat. Intereà, inquit Bellus, contigit Magnum Moſchouiæ Ducem decedere anno nempe MDCXX. ſed parce mi Belle, res longè aliter ſe habet. Poſt Boriſſium Chodunum primus in Moſchouiâ (ſi impoſtores, qui duo pari auſu ac felicitate ſolium illius imperij conſcenderant, excipias) imperauit

Basylius Suiſcius, qui virtute noſtrorum tyrannidem eiurare coactus, ac captiuus Regi Sigiſmundo publicè in Comitijs Varſauienſibus, nuper ampliſſimarum Europæ & Aſiæ ditionum Regnator traditus, mox anno pòſt in carcere vitam cum morte commutauit, cùm priuſquàm captus eſſet, vniuerſa Moſchouia ſacramento fidei Sereniſſimo Principi Vladiſlao Regio filio ſe obſtrinxiſſet. Res iam in tuto eſſe videbatur, Principem eo Imperio potuiſſe potiri: neque ſanè pauci rebelles qui ſuis rebus ſtudebant, ac Michaëlem Fedorouicium, qui nunc vſurpat Imperium, promouebant obſtitiſſent, ni Rex Poloniæ ſuis potiùs quàm filij auſpicijs rem gerere maluiſſet: etenim periculoſum videbatur iuueni adhuc Principi laxare fræna, ne imperio gentis nondum ſatis domitæ ſe, ſuoſque in exitium daret. Itaque dum ipſe Rex tardiori apparatu in Moſchouiam expeditionem molitur, gens fidei non admodùm tenax, Patrem in locum electi à ſe filij ſibi dari cauſata, ad arma conclamat; Moſchouiam Metropolim gentiſque caput quæ præſidijs noſtris tenebatur, priùs in Vrbe excitato tumultu, dein cùm noſtri in interiores munitiones ſe recepiſſent, ſtrictâ cingit obſidione; quâ vltra vnius anni decurſum continuatâ, noſtros iam fame enectos & arces Moſchouiæ in deditionem recepit. Regnat iam ibi Michaël Federouicius annis fermè quindecim, neque interim quiſquam qui ſe Moſchouiæ Principem dicere aliquo prætextu poſſet vitâ functus eſt, nemo Cracouiæ qui Imperium Vladiſlao, iam pridem à Moſchis adſcito, ſed perfidè deſerto deferret, comparuit. De Marſchalco Regni, quaſi per eum Rex Poloniæ Carnouienſem in partes ſuas pertrahere rebellibuſque Sileſijs receptum & patrocinium offerre voluerit, ea quidem talis fabula eſt, vt ne Cæſarem quidem qui Regis noſtri candorem perſpectum habet fidem ei habiturum exiſtimem. Ad deſcribendam Polonorum in Valachiâ cædem quæ Anno MDCXX. Menſe Octobri acciderat, dum ſe accingit Bellus, inprimis Hiſtoriam de Gratiano texit, à veritate omnino alienam; neque enim Gratianus ſuſpicione amicitiæ Polonæ in odium Turcis venerat, ſed cùm iuberetur, ad bellum Polonis inferendum in aduentum Turcarum commeatum parare, Prouinciaſque quibus præerat ad arma cogere, deteſtatus impium pro Machometanis contra Chriſtianos bellum Valachis ipſis auctoribus, & fidem ſe illum non deſerturos dantibus, rebellionem à cæde mercatorum Turcicorum qui Iaſſis (oppidum id vbi Principes Valachiæ ſedem & domicilium habere conſueuerunt) negotiabantur, orſus eſt: ac Staniſlao Zolkieuio Regni Cancellario exercituſque Generali Præfecto ſcripſerat, ſe paratum eſſe cum vniuerſâ Valachiâ in fidem & clientelam Regis Poloniæ concedere. Non erat præceps Zolkieuij conſilium, audiuerat à maioribus natu, nunquam proſperè ceſſiſſe Polonis Valachiæ vſurpationem, ipſe quoque cùm propè ad ſeptuageſimum

Gratianus Moldauiæ Palatinus cū totâ Moldauiâ in clientelam Regis Poloniæ ſe conceſſurum pollicetur.

gesimum annum accederet, multa viderat, multa legerat. Veniebat in mentem veterano & perito Duci, Turcas in proximo esse, facilè Tartaros acciri posse, Valachos quos Gratianus adfore & in castra ipsius, modò Tyram fluuium transgrederetur venturos pollicebatur nihil contra Turcas ausuros, & fidem citò mutaturos: se non ampliùs tria millia militum sub signis habere, tantundem ex voluntarijs amicorum, quorum plerique magis fortunam eius, quàm ipsum amabant haberi posse: denique receptis in clientelam Valachis parum inde emolumenti ad Rempublicam redundaturum: cùm ea Prouincia summo discrimine è faucibus Turcicis eripienda foret, & bellum contra tam potentem hostem, cui Principes Christiani hactenùs obsistere non potuerunt, diuturnum ac inexplicabile suscipiendum. Ne tamen occasioni rei benè gerendæ deesse videretur, rem ad Regem detulit. Erant in consilio Regis qui tum Varsauiæ agebat, nonnulli pacati viri qui suaderent extra fines quibus Regnum terminatur, non esse exercitum ducendum, sua potiùs tuenda, quàm aliena inuadenda: Gratiano, vt sæpè aliàs eiusmodi transfugis receptum sine noxâ Reipublicæ dari posse, Valachiam tam exiguis copijs occupari non tutum videri. Denique exercitum eum qui nunc sub signis est florem esse militiæ Polonæ, nec temerè hosti objciendum, ne si succubuerit, præcipuæ vires veterani exercitus succidantur. Sed cùm vnus consilij aulici princeps bellum spirans tunc quoque frustra militem haberi nisi bellum gerat dissereret, potiusque arma expedienda, in hostem eundum, Valachiam hosti eripiendam, sedemque futuro bello ibi parandam suaderet, in eam sententiam scriptę ad Zolkieuium à Rege literæ, permissum tamen eidem vt rem suo arbitrio gereret. Ille verò non ignarus suam socordiam in aulâ notari, non vltra moratus, versus fines Valachiæ mouit. Putares illum motæ mentis fuisse, qui cùm filium vnicum & alterum ex fratre nepotem, ambos Zolkieuios præstantis indolis iuuenes, & Stanislaum Koniecpolium generum suum militiæ Campestris Præfectum, ac suum in bellis vicarium secum traheret, non tamen de augendo exercitu cogitasse, non militem suâ pecuniâ quæ illi ex amplissimis opibus suppetebat conduxisse, denique fallacibus Gratiani promissis pellectum & fidei illius innixum non explorato hostilem terram intrasse. Venit & Gratianus in Castra, inuidiosas opes quas breui corraserat secum trahens, desertus à suis & exiguo domesticorum comitatu septus: simulque nuntiabatur Turcas Scanderbego summo militiæ Thracicæ Præfecto, & Tartaros fratre Hani Ducibus magnis in nostros effundi agminibus. Vltra sexaginta millia hostium erant; tertia pars tanti exercitus è Turcis, more suo armatis, ac bellicas maiores minoresque machinas secum trahentibus constabat: eò iam processerant nostri, vt regredi nec tutum, nec honestum esset; igitur consultantibus de rationibus expediendæ publicæ priuatæque salutis, tutissimum visum,

Zolkieuius Moldauiam cum exercitu ingressus.

vetus Czoczoræ munimentum, quod olim Ioannes Zamoſcius dum à Tartarorum Principe ijſdem in locis premeretur, inſederat, & ſummâ cum laude hoſtis conatus eluſerat, occupare, ducto reſtauratoque vallo. Aſſultabat hoſtis interim timoremque noſtris exprobrabat, illi viciſſim extra munimentum productis copijs, ſemel atque iterum non infelici auſu cum hoſte conflixerant, multos è barbaris cęciderant, ſed poſtremò cùm ſiniſtri lateris acies productior eſſet, nec ſuis conſtaret numeris, in eam Turcæ facto impetu perruperunt, & ſe noſtris immiſcuerunt: turbati iſthic ordines, & qui è noſtris memores militaris decoris reſiſtere auſi ſunt cæſi (non plures quadringentis) cæteri intra vallum amiſſis aliquot ſignis ſe receperunt. Quiete vnius diei interpoſitâ, nam & hoſtes non ſine ingenti damno multis è ſuis amiſſis, pluribus vulneribus debilitatis abſceſſerunt, iterum noſtri cùm appareret hoſti in patenti campo reſiſti non poſſe, nec diu commeatum Caſtrenſem ſi obſidionem tolerare neceſſe foret duraturum, conſultant de modo ſubducendi in tutiorem locum exercitus. Erant plurimi nobiles viri in exercitu, nam præter Zolkieuios & Koniecpolium Valentinus Kalinowſki Præfectus Camenecenſis, Martinus Kazanowski, Samuel Korecki, Volmarus Ferensbach, Stephanus Chmielecki Potocij duo & reliqui turmarum quas partim Reipublicæ ſtipendio, partim ſuis ſumptibus auctoratas ducebant Præfecti, non ſatis inter ſe concordes & plerique Zolkieuio infenſi. Conſilium illius erat per aliquot dies eludere munimentis hoſtis impetum, eum mox fatigatum & commeatu deſtitutum, prædæque magis quàm pugnæ auidum abſceſſurum: interim ex euentu ſe proſpecturum quæ conſilia deinceps capere oporteat, ſibi quidem in animo eſſe ferro per hoſtem viam aperire, modò pauliſper animi militum perturbati in ſpem & audaciam erecti fuerint. Idem ferè ſentiebat Chmielecius quo nemo meliùs Tartaricorum ſtratagematum gnarus putabatur. Sed Kalinouius vir aliàs bello ſtrenuus tunc vel fatali neceſſitate, vel vt Zolkieuij conſilio improbato eum deſertum ab omnibus hoſti proderet, contradixit. Se vnum ſcire, quâ parte hoſte non ſentiente, vniuerſi ſecurè euadere poſſent, fluuium Dieſam qui partem caſtrorum ambibat, quamuis vliginoſus & lutulentus ſit, vno & altero loco vadabilem eſſe: ſe habere Valachos quibus tranſitus omnes benè noti ſunt; ijs ducibus ſe vſurum. Fauorabili perſuaſione non ſolùm Gratianum, ſed & alios pleroſque traxerat in ſuam ſententiam, vt Zolkieuio tam timidum & periculoſum facinus improbanti obſtreperent, moxque veluti ſigno dato qui ſalui eſſe vellent vt ſe ſequerentur conclamarunt. Iam ſol ad occaſum vergebat, cùm à conſcijs per caſtra diſcurrentibus vox ſpargi cœpta, deſeri exercitum fraude Ducum, ſibi quemque conſulere oportere: ſic tumultu excitato vniuerſi veluti panico timore conſternati, ruebant eò, quò iam Kalinouius quaſi noto ſuis

Eius cum ſexaginta millibus Turcarum & Tartarorum conflictus ad Czoczoram.

Perſuaſione Kalinouij multi ex Regio exercitu deſerto Zolkieuio fugâ ſibi conſulere volunt;

vado

vado se in flumen præcipitem iecerat. Accurrit Zolkieuius signoque quo à cæteris dignosci poterat erecto se vniuersis conspiciendum præbet, flagitiosum consilium detestatus, eos qui nondum in alteram ripam euaserant, vel aquis absorpti non fuerant, partim imperio, partim pudore à turpi fugâ reuocat, periculum præsens, in quo illi qui primi euaserant versarentur, demonstrat: & iam audiebantur gemitus eorum, qui in angustijs itinerum à Valachis prçoccupatis immani cæde iugulabantur. Tanta erat in castris confusio, is tumultus, vt si hostes id scire potuissent, facili negotio ad internecionem vel omnes deleuissent; sed attoniti quoque ij, & dolum suspicati, euentum rei præstolabantur. Id conspicatus Chmielecius qui septingentos sub signis habebat per medias hostium armatus euasit acies, suis omnibus saluis, existimantibus barbaris aliquid aliud agi, & in suam perniciem clamorem tumultumque excitatum. Noctem eam insomnem egit Zolkieuius, dum timidos, dum variâ suspicione suspensos firmat, & ad meliorem spem erigit, ipse multa per se, cætera per Koniecpolium exequitur. Orta lux detexit quantum exercitui virium detractum esset, nam præter eos qui in acie fortiter occubuerant circiter bis mille & quingenti in tumultu & fugâ vel flumine mersi, vel ab hoste impio trucidati numerabantur. Constitit deinceps neminem eorum euasisse, cùm nec pretiosiora quæ auro repensa fuissent Kalinouij & Gratiani cadauera reperiri potuerint: in castris solitudo ingens, vix duo millia militum supererant: sed in vallo lixæ & calones steterunt, reliqui extra munimentum egressi hosti quasi pugnæ copiam facturi ostentabantur. Et is seriùs aliquanto compererat suo voto fauere fortunam: magis igitur quàm anteà adsultabat castris, vimquè maiorem admouebat, sæpe elusus, sæpe victo similis abscessit. Nulla nostris via alia salutis patebat, nisi quam manu & armis aperirent. Igitur septimâ obsidionis die, relictis & igne corruptis impedimentis, armati extra vallum egressi in conspectum hostium venerunt, densâ acie, nec vsquam hosti opportunâ, & vbi is propiùs copias admouebat sclopetorum ictibus arcebatur. Per aliquot dies frustra assultu hostis aciem rumpere voluerat, multos è suis amiserat, postremò cùm iam reducere copias vellet, iamque in tuto ad ipsos Regni fines nostri se esse existimarent, à lixis & mancipijs ingens in castris orta est seditio: verebantur ij ne in tumultu ad Czeczoram rerum direptarum ratio ab illis repeteretur, & fortè aliquis ex Ducibus id parum opportunè minatus fuerat. Non deerant hostium in castris exploratores, qui confusas res, alios fugere, alios turbari, neminem imperio contineri nuntiarent. Scitum est vulgatumque sæpiùs, multos à paucis vinci posse; fama fert non nisi quadringentos Tartaros tunc irruisse, qui beneficio noctis vsi palantes dispersosque ad libitum cæciderunt, præcipuos quosque captiuarunt. Zolkieuius cùm

Sed à Valachis cæsi in fugâ, alij à Zolkieuio reuocati.

Id inscio hoste accidit.

Exercitus Polonicus ad summas redactus angustias, instructâ acie ad fines Poloniæ contendebat.

Seditionem in exercitu calones excitant, quâ hostes vsi nostros profligarunt, cæsus & ipse Zolkieuius.

nec fugere honestum putaret, nec in manus hostium venire vellet, verso in hostem vultu, & ignoratus quis esset, pugnans, aliquot acceptis lethalibus vulneribus occubuit, cùm maior pars militum quibus vita decore militari fuit potior, fugâ euasisset. Hæc est clades illa quâ maiores nostri nunquam maiorem acceperunt, non quòd, vt Bellus refert, viginti millia militum perierint, cùm etiamsi captiui ad numerum cæsorum adijciuntur, plures tribus millibus non occubuerint, sed quia alter è Ducibus cæsus, alter captus, & flos nobilitatis, ac veteranæ militiæ valdè succisus fuerit, denique tantum auri argentique in redimendis captiuis expensum, quantum magno aliquo bello parando satis esset. Inter cæsos, inquit Bellus, ipsius Magni Cancellarij filius fuit. Zamoscius quidem Cancellarius decimo quinto ante acceptam eam cladem anno obierat, vnico relicto filio, qui in omnibus Patri simillimus, non solùm viuit, sed etiam virtute propriâ ad paternum decus capessendum viam sibi patefecit: iuuenis adhuc Senatoriâ dignitate iudicio Regio ornatus, & deinceps Regni Procancellarius renunciatus. Narrat deinceps Bellus, paulò antè (dicere debuisset paulò pòst) Regem Poloniæ Comitia Regni Varsauiæ habuisse. Quæ in ijs ad consultandum proposita fuerint mendosè recenset, vti & illum nefarij parricidij quo Regis caput à motæ mentis homine appetitum fuit, conatum, multis farcit fabulis. Vratislauiæ originem refert auctor ad Vratislaum primum Silesiæ Ducem. Perstringit huius Scriptoris oculorum aciem, Polonici nominis memoria. Vratislaum nescio quem fingit Vratislauiæ conditorem Polonum, sed eum supremum fuisse Poloniæ (cuius nomine & Silesia cum alijs latè patentibus Prouincijs continebatur) Monarcham non asserit; fatetur tamen olim (dicere debuerat semper) Silesiam fuisse iuris Polonici. Addo ego iniquissimo iure à Regno auulsam domus Lucemburgicæ, quę in Bohemiâ eo tempore regnabat, sed præcipuè Ioannis Regis & Caroli IV. Imperatoris eius filij, astu deceptis Ducibus, & callidè eò inductis vt crescentem Vladislai Loctici Regis Poloniæ Patruelis sui gloriam, secessione ab Imperio Polonico imminuerent, seque domui Lucembergicæ subijcerent. Sed hac de re alij vberiùs. Regem Poloniæ à Cæsare viginti quatuor millia militum auxilij nomine contra Turcas petijsse firmat Bellus libro V. Commentarij sui. Sed ad propiora veniamus, non tuum est Belle magnitudinem belli & periculi quod non magis Regno Poloniæ quàm Reipublicæ vniuersæ Christianæ Anno MDCXXI. à Turcis imminebat, ne dicam describere, sed etiam animo comprehendere. Repete, si vis, acta superioris æui, inuenies quotiescunque Turcarum Imperator, ex eo tempore ex quo in Europam pedem intulit, contra Christianos in acie præsens stetit toties cæsos exercitus, prouincias vel munitissimas arces amissas fuisse. Sigismundus Romanorum Imperator idemque Hungariæ & Bohemiæ Rex,

Semper improsperè Principes Christiani cum Turcis bella gesserunt.

Rex, quamuis propè vniuersam Germaniam accito etiam Ioanne Burgundiæ Duce in armis haberet, adeò tamen infeliciter in campis Nicopolensibus cum hoc hoste pugnauit, vt vniuerso amisso exercitu, ac Duce Burgundiæ capto, vix ipse exiguâ cymbâ euaserit. Vladislao nostro ad Varnam contra Amurathem decertanti, nec inuicti animi robur, nec plurimæ de Turcis partæ victoriæ suffragatæ sunt, quominùs aduersæ fortunæ succumberet, & velut innocens victima ad aram cæsa sæuientis hostis impetum quo ad extinguendum nomen Christianum ferebatur moraretur. Pari fato occubuit Ludouicus noster ad Mochacium, qui fiduciâ consanguineorum, impar certamen cum potentissimo hoste susceperat, ac ab eis desertus, à suis verò (liceat vera fateri) proditus fatali Hungariæ occasu concidit. Vos ipsi imperante Rudolpho Secundo Machometi Tertio Agriam oppugnanti & expugnanti obuiàm iuistis, bini Imperatorij exercitus, Germaniæ Bohemiæque robora: Duce Maximiliano Archiduce vniuersa Hungaria, ac Sigismundus Batthoræus cum copijs Transyluanicis sub signis erant: victi hostes per vniuersam Germaniam nunciabantur; interim Agria munitissima arx amissa, Maximilianus castris exutus, amissis impedimentis ægrè saluus euasit. Non exprobrandi causâ hæc à me commemorantur, sed tamen vnicuique æstimanti periculi magnitudinem facilè apparebit cum maiori potentiâ quàm vsquam aliàs Christiani oppugnati fuerimus, cùm maximi Turcarum Tartarorumque Imperatores, ad delendum euertendumque funditus Regnum Poloniæ, triennali apparatu Asiæ Europæque militaria agmina finibus nostris admouerint, cùm nos ipsi & superioris anni clade perculsi, & tunc ab omnibus socijs destituti, à Sueco etiam fœderato barbarorum amico oppugnati fuerimus, nos primos diuino fretos auxilio docuisse, eum hostem vinci, illius audaciæ frænum obduci, crudelissimum impetum cohiberi posse: nihil ille eorum obtinuit quæ voluit, ne vnius palmi spatium ex agro nostro decerpsit, & qui anteà victis conditiones dare solebat, eas victo similis, cæsis è suo exercitu plus quàm sexaginta millibus accepit: denique qui neminem nisi fugatum victumque in acie videre assueuerat, ipse nostris arma tenentibus primus ex acie cedere coactus est. Conditiones in speciem magis scriptæ, neque tamen quidquam in ijs adiectum quod veteribus pactis non contineretur, vel barbaro hosti ad votum cederet. Denique is exitus eius belli fuit, vt Turcæ eam expeditionem exosi, auctores eius grauissimis pœnis mulctauerint, Osmanum ipsum Imperatorem Regno deiectum primâ nec anteà vnquam auditâ seditione mactauerint. Hoc decus, ea gloria Deo duce, Sigismundo III. & Vladislao eius filio ac genti Polonæ feliciter obtigit: hanc tu, sed frustra tuis falsis relationibus obscurare nisus es: sed etiamsi Septentrio noster non tam illustribus abundet

Primi Poloni Turcas vinci posse ostenderunt.

Turcæ odio infaustæ in Polonos expeditionis Osmanum Imperatorem interfecerũt.

abundet Scriptoribus, fama tamen ipſa ſeræ poſteritati tradet, quantum nos eo bello de vniuersâ Chriſtianâ Republicâ meruerimus, quantumque ij nobis debeant, qui ſi nos occubuiſſemus noſtrâ caſuri erant ruinâ. Viuet perpetuò (etiamſi obganniat inuidia) eius rei memoria, atque clareſcet ſæclis innumerabilibus. Deinceps leuiter & ieiunè attingit Bellus inſigne Regium beneficium, quo Rex & Regnum Poloniæ Georgium Vilhelmum Marchionem Brandeburgenſem hoc anno ornauit. Poterat ſanè ſi non tantoperè gentis Polonæ dignitate offenderetur, altiùs repetere originem Feudi Pruſſici, iam ſecundò, cùm priùs à Sigiſmundo Primo domui Brandeburgicæ collatum extinctum eſſet, ad Electoralem domum liberalitate Sigiſmundi Tertij tranſlatum: poterat meminiſſe & conditionum quibus Electoralis domus genti noſtræ obſtricta eſt, & quo ſplendore Elector ipſe priuſquàm Varſauiam ingrederetur, à Rege exceptus fuerit, cùm non quingenti Coſaci, vt ineptè Bellus refert (nec enim aula Regis Poloniæ è Coſacis conſtat) ſed bis mille ſplendidiſſimorum Equitum per turmas diuiſa agmina, totidem pedites, Rex cum Senatu extra Vrbem obuiàm progreſſus Electorem in campo ſalutarit exceperitque. De pactorum cum Turca ſancitorum conditionibus meliùs ſiluiſſes, quàm vt apparet, ignarus quid ipſis contineretur multa de tuo ſenſu adieciſſes. Quæ de actis cùm Rex Poloniæ Gedani Anno MDCXXIII. eſſet ſcribit, ponamus nonnulla ab eo verè dici; illud ſanè vix credi poteſt, Regem eâ Maieſtate, eâ ætate, eâ in omni vitâ modeſtiâ, choreas duxiſſe ſaltantemque in publico ſe ſpectandum præbuiſſe, credat Iudæus apellæ, non ego. Sed ſi indulſerit aliquantiſper huic honeſtæ oblectationi Princeps multis oneratus curis, ideóne id Commentarijs tuis inſerere debueras quaſi nihil aliud eſſet in quo ſtylum exerceres? ſed ſicco (quod aiunt) pede tranſis virtutes, imitamenta vitiorum in publicum prodis. Multa præterea in quibus admoneri poſſet Bellus ne alienæ meſſi falcem imponat, ne bellis à noſtris geſtis ſiniſtrâ relatione detrahat. Non ille nos æſtimauit quales ſumus, quid poſſimus, quantum & quam ob cauſam de nobis Suecus aliquid abraſerit, quàm longè ab eo diſtet, vt potentiſſimi Regni opes eius nefarijs auſis ſuccumbant. Neſcit, vt video, Bellus latè patere Regnum Poloniæ; Tartariam Cracouiâ centum quinquaginta Germanicis milliaribus diſtare: coarctat ille hos terminos, & Tartaros viginti milliaria intra fines Regni progreſſos quindecim tantùm à Cracouiâ milliaribus abfuiſſe narrat. Ad pacem cum Sueco conſtituendam non alio fine mentem flexeramus, niſi vt exemplo maiorum cum barbaris potiùs, quàm cum Chriſtianis bellando arma exerceremus: pactæ erant annuæ induciæ volente etiam Rege, de perpetuæ pacis conditionibus tractatus ſuſcipi debuerant. Sed erat quiſpiam qui oſtenderet non benè conſuli Domui Auſtriacæ, ſi Suecus arma quæ in Liuoniâ tunc habebat, in Germaniam

Feudum Prußicum extinctum bis, iteratò ad Electores Brandeburgenſes translatum à Sigiſmundo Tertio.

niam transferret, ſeque cum Cæſaris hoſtibus coniungeret: aliud proinde ſuadebat, vicitque hæc ſententia. quare nobis acceptum ferre debet Auſtriaca Laurea quòd tam diu Suecum, ne cum cæteris Cæſaris hoſtibus ſocialia arma coniungeret, diſtinuerimus. Carptim percurrimus vanitates Belli, qualis illa; Arnoldinum conſcribendorum in Poloniâ militum causâ à Cæſare ad Regem miſſum. Polonos in Valachiâ à Bethlehemo victos cæſoſque. Ducatus in Sileſiâ Oppolienſem & Ratiborienſem cũ comitatu Glacenſi iuniori Poloniæ Principi in feudum à Cæſare collatos. Graues & aſperas conditiones eidem Principi dum in Epiſcopum Vratiſlauienſem eligeretur à Capitulo latas præſcriptaſque fuiſſe. Vnum Coſacum ex iis quos Solinſcius in Sileſiâ aſtu concîdit, viginti auri myriades pro ſuâ vitâ obtuliſſe, apud reliquos ducenta aureorum millia reperta, alios Coſacos à Tartaris Turcis proditos cæſoſque. Hæc & alia cur Auſtriacæ Laureæ cùm multis ſint referta mendaciis inſeruerit, mirum meritò videri debet. Leuiora hæc & ſilentio tranſmittenda. Illud quod ſuauiter & cum quodam guſtu refert Bellus; Menſe Martio Anno M. DC. XXVI. magnam Polonorum ſtragem à Suecis editam fuiſſe; Ducem quoque periiſſe; ſex mille equos, ſexcentos currus, opulentam prædam abductam. Sed quis ille Dux? quaſi ignota hactenùs fuerint eorum qui exercitui apud nos præfuerunt, nomina. At ego ingenuè & conſtanter aſſero, nullum iſthic Ducem Polonum, vix quemquam è Polonis militem fuiſſe. Ioannes Sapieha è Lithuanis Proceribus non ampliùs bis mille equites peditesque ſub ſignis habebat. cum his gloriolæ captandæ causâ propiùs ad ea loca quæ ab hoſte tenebantur acceſſerat, incautè & non exploratis inſidiis conſederat. Notum id erat hoſti, qui per ſyluas & niues eluctatus ſemiſopitos inuaſit diſſipauitque: nec tamen Dux ipſe (vt Bellus ait) nec quiſquam è nobilioribus cæſus, aut captus, nec equi aut currus intercepti: fugâ turpi vniuerſa ea Lithuanorum manus eò ſe ſubduxit quò hoſti aditus ampliùs non patebat, & ſi iis qui metu perterriti flagitioſam fugam conſciuerant, mens non læua fuiſſet, hoſtis in ipſo victoriæ ardore ad internecionem deleri potuiſſet. Nulla iſthic interuenit proditio, nec quiſquam ex Senatoribus eo nomine inſimulatus. & Rigenſes quinto ab eo tempore anno iam erant in poteſtate hoſtis, qui tamen ob proditionem pœnas luiſſe, auctore Bello, dicuntur. Tranſit deinceps Bellus cum Sueco in Pruſſiam, eaque vt ab hoſte occupata fuerit, paucis perſtringit: vno verbo dicere potuiſſet nullam aliam machinam admotam fuiſſe, niſi fraudem, & eorum qui in præſidiis erant proditionem. Tuta erant littora Pruſſiæ, ſi portus Pilauienſis meliùs cuſtoditus, ſi Suecus Electori Brandeburgico affinitate coniunctus, ſi non à Germanis eiuſdem cum Sueco religionis ea ora habitata fuiſſet. Patuit Sueco Pilauia, patuit Elbinga, patuit Mariæburgum vbique à ciuibus Hæreticis libenter exceptus. Quid multa? intra dies duodecim plura munitiſſima oppida vix quoquam reſiſtente in ſuam redegit poteſtatem. Quòd ſi

fides

fides eorum qui præsidiis præerant non tam adeò hosti fauens fuisset, vel in capiendo Pilauiensi portu, vel in Elbingâ aut Mariæburgo expugnando, multùm illi sudandum fuisset. Nec proditores eâ excusatione vti possunt, quasi de subsidio desperassent, nam & Prussica Nobilitas intra vnum mensem in armis erat, & Rex celeriter acto delectu, magno animo hosti obuiàm iuit: captam itaque Elbingam dicere nefas esto, proditam vt & alias arces concedo. Quæ deinceps subsecuta sunt, quidúe hostis egerit, vt nostri illi obstiterint, vt variâ fortunâ bellum ductum fuerit, cæsi hinc & inde multi, sæpè Suecus periculosè infestatus, bis corpore plumbeam glandem exceperit, aliquoties penè è manibus Polonorum euaserit, non est huius loci narrare. Nusquam alibi quàm in bello fortuna suum exercet lusum: non eo inficias nos quoque toto triennio variè iactatos fuisse: si quis causam scire velit cur non iis viribus quas per alias occasiones exerere consueuimus, huic hosti restiterimus, hanc ego assigno: inuitis plerisque Ordinibus Regni id bellum gestum fuisse, nunquam consentientibus omnium voluntatibus decreta subsidia, Duces belli lectos, qui à Germanicis, iisque Hæreticis penderent consiliis, sæpè desidiâ, sæpiùs perfidiâ laboratum, multæ occasiones rei benè gerendæ intermissæ. In vniuersum tamen rebus consideratis non rectè existimat, si quis credit solidam bellicæ virtutis gloriam ex hoc bello Suecum decerpsisse: cæsus & in deditionem acceptus ad Hamersteinum vniuersus eius exercitus; signa peditum equitumque propè triginta relata: Strefelius & Teifelius capti & in triumpho ostentati: Gustauus ipse ad Meuum primo assultu ita repulsus, vt ferè nando ad naues in Vistulâ euaserit; ad Dirschauiam sclopeto ictus in conflictu: ad Margeburgum eius prætoria cohors profligata; Baudisius & complures alij capti: supra mille quingentos cæsi; postremò ad Graudentum cùm vniuersæ eius copiæ in fugam actæ fuissent, adeò ipse in periculo fuit, vt multos ictus corpore exceperit, bis prehensus, toties è manibus elapsus, ad extremum amissis omnibus impedimentis, bellicoque quem secum habebat apparatu, trepidus euaserit. Non propterea hæc à me dicuntur quasi eo bello parem quam olim Maiores nostri ex hostibus referre soliti fuerant gloriam nomini nostro pepererimus, multa sunt quæ culpari possunt, nec facilè excusari queunt: quanquam non adeò difficilis adiici posset excusatio, neque enim, vt antè dixi, concordi omnium sententiâ hoc bellum gerebatur, nec vires belli hosti pares suppeditabantur; maximè quòd ille talia loca insederit, quæ non nisi numeroso peditatu adiri expugnarique possent: in quibus ita hæsit, vt nunquam in aciem, apertosque campos prodire, numquam pugnæ copiam facere voluerit, carptim & per opportunas quas captabat occasiones, extra fossas progressus nostros infestarit. Auget quidem numerum militum nostrorum Bellus, vt eâ re nostrum augeat dedecus, vt cùm in oppugnatione Pucensi ex vniuerso Polonico exercitu decem millia à Suecis trucidata fuisse refert; sed vti aliàs, hîc quoque

quoque multùm à vero aberrat. Vniuerſum Pucenſe præſidium octingenti erant milites à Sueco impoſiti, ij ne excurrere & impunè graſſari poſſent, iuſſu Koniecpolij Lanckoronſcius cum mille ducentis maiori ex parte peditibus, prope ipſum oppidum hyberna ſtruxit caſtra: inde ſperabatur Suecos ſi ab excurſionibus & prædis agendis arcerentur fame ad deditionem cogi poſſe: euentus ſpei reſpondit, nam cùm milites Suetici hyberno tempore mari ſibi commeatum ſubmitti non poſſe viderent, & extra munitionem pedem efferre non poſſent, quarto ex quo intra munimenta compulſi erant menſe, vitam pacti, traditis transfugis & ijs qui auctores erant oppidi Sueco prodendi inde exceſſerunt. De tot millibus Polonorum cæſis, qui fuerint, & à quo cæſi diſpiciat deinceps Bellus, & falſas res pro veris narrare deſinat. Sed pergit, & Regem re malè geſtâ Dantiſcum profectum, mox neſcio ad quod Sauium, nam eius nominis nullum iſthic extat oppidum, nullus locus, copias recenſuiſſe, & triginta millia in ijs numeraſſe audacter aſſerit, credo vt ficto tanto numero, parum cõtra Sueticum exercitum noſtros potuiſſe oſtendat. Comitia Torunenſia ſine aliquo decreto ſubſidio ſoluta fuiſſe, & rem ad proxima quæ Varſauiæ, auctore Bello, tertio pòſt menſe indicta erant reiectam fuiſſe narrat, & nullâ habita temporis ratione ad circumforaneos rumores Hiſtoriæ Cæſareæ dignitatem accommodat, vt magis rumigerulus quàm Hiſtoricus dici mereatur. Tale illud eſt quod initio Lib.XII. narrat mille quingentos pedites in maiori Inſulâ cæſos, Regem Regni (belli dicere debuiſſet) adminiſtrationem Koniecpolio demandaſſe, ad Vormitum, ad Vendam (propè ſeptuaginta magnis milliaribus hæc oppida ab inuicem diſtant) à Suecis feliciter, idque ſucceſſiuè penè intra ſpatium vnius ſeptimanæ rem geſtam, & vtrobique cæſos Polonos, eoſdem ad Puckum magnam accepiſſe cladem, obſidionemque ſoluere coactos. Comitia Anno M. DC. XVII. Menſe Februario Varſauiæ celebrata fuiſſe. Si ad numeros veritatis hæc examinare velimus, reperiemus omnia aliter facta, nec ſemper, vt ille prodit, proſperos Suecis fuiſſe ſucceſſus, ſæpè aduerſam quoque expertos fortunam, & quod rei caput eſt, dum malam tuentur cauſam, dum iniuſto & nefario conatu aliena inuadunt, non bellicæ virtutis famam, ſed latrocinantis militiæ infamiam, iudicio ſeræ poſteritatis relaturos.

STANISLAI LVBIENSKI EPISCOPI PLOCENSIS OPERVM POSTHVMORVM PARS SECVNDA.

MONITA DE EPISCOPATV RECTE GERENDO.



VI ad Episcopale munus vocantur, eos summâ ope niti oportet, vt & functionis eius magnitudinem, & suas vires diligenter expendant. Rectè enim ij existimant, qui huius dignitatis amplitudinem & potestatem humanâ voce explicari non posse censent. Diuinum est quod suscipiunt, arduum & difficile, quod se effecturos profitentur. Eorum est Dei in terris obire vices, curare & efficere, ne quis eorum, qui illorum fidei commissi fuerint, pereat; vt omnes rectam & Orthodoxæ fidei, & Christianarum virtutum, quæ solæ hoc nomine ritè censentur, normam teneant, denique vt sicut in cælo, sic in terra fiat voluntas Dei, nomenque ipsius sanctissimum honorificetur. 1

Episcopale munus quale & quantum sit.

Matth. 6.11.

2

Et muneris quidem istius rectè obeundi rationes satis sacris institutis præscriptæ sunt, neque necesse foret aliunde eas petere, si sedulò incubuerimus ijs non tam euoluendis, quàm opere exequendis: sed nescio cur ea magis animo obuersentur, quæ ipsi ab alijs accepta, non solùm ad mentem, sed ad calamum etiam reuocauerimus. Quod te & fecisse, & facere scio. Ita enim simul ac munus Episcopale suscepisti, ad illud ritè gerendum animum te adiecisse video, vt omnes diurnas nocturnasque horas ei solicitudini impendendas ducas. Testis ego sum eius studij tui, quod ne alios quidem latet, biennio isto, ex quo Episcopus factus es, vniuersam lustrasti Diœcesim, nullus remotus locus, nullus adeò abstrusus angulus, quem non inspexeris, salutaribusque monitis & institutis non correxeris. Neque id in laudem tuam à me dictum

Sedulitas in visitandâ Diœcesi sua Matthiæ Lubienski tunc Episcopi Chelmen.

 quisquam

quiſquã exiſtimet, vera quidem illa & ſolida eſt gloria, quę ex rectè factis petitur, ſed eam alij ſuſpiciant, narrentque: mihi, qui me, te alterum eſſe
3 volo, parciùs de tuis virtutibus dicendũ eſt. Satis inuidiæ, neſcio an merito noſtro vtrique noſtrûm incumbit: minùs æquo animo ferre videntur plerique, duos fratres nouo & hactenùs in Poloniâ vix audito exemplo, Epiſcopos & Senatores eſſe; nec deſunt, qui initia fortunarum noſtrarum accuratiùs inſpiciant, noſque nimiùm creuiſſe tacitâ indignatione muſſitent: ignari videlicet quæ rationes noſtrorum incrementorum fuerint, quibus laboribus, & quanto tempore, totâ ferè ætate in obſequijs Eccleſiæ & Reipublicæ actâ, quidquid id eſt quod nobis inuidetur, parauerimus. Sed ſinamus eos ſuo indulgere genio, cùm è contra non deſint Principes, Senatus, quibus aliquando in publicis functionibus noſtra qualiſcunque induſtria placuit. de fide quidem noſtrâ nullus vnquam vel queſtus fuit, vel dubitauit: vtriuſque noſtrûm, poſtquàm priuatâ optimorum parentum cura, ſtudiorum occupationibus perfuncti ſu-
4 mus, inſtitutio domeſtica Matthiæ Pſtroconij auunculi noſtri diſciplinâ formata eſt; qui vir qualis quantúſve fuerit, faceſſat modò alienæ virtutis peſſima æſtimatrix inuidia, vel futura ætas fatebitur. quanquam & multi viri graues, eo iam vitâ functo, quando liberum & ſuſpicione adulationis ſolutum eſt vniuſcuiuſque iudicium, ſatis luculentum dederunt vir-
5 tuti eius teſtimonium. Et ne alios recenſeam, ſuffecerit Regis noſtri Sigiſmundi III. cenſura, qui tantum ſolet tribuere Pſtroconio, vt & Senatorem illum prudentem, & optimum Epiſcopum fuiſſe confirmet, plurimumque & virtutis & meritorum eius memoriâ delectetur, tantique illum faciat, vt & nos ſanè libenter fateamur, plurimum Regiæ gratiæ nobis Pſtroconij nomine accreuiſſe, facilioreſq; ad honores liberalitatẽque Principis aditus, nos eo titulo, quòd ex eius inſtitutione prodierimus, habuiſſe. Petrus Tylicki Epiſcopus Crac. quamuis olim Pſtroconio ex æmulatione partium parum æquus, vitâ functum non alio nomine niſi religioſiſſimum ſacerdotem, optimum Epiſcopum, eum appellare ſolebat. Staniſlaus Zolkieuius ſupremus Regni Cancellarius, Exercituumque Capitaneus, cuius virtuti ne aduerſa quidem fata quidquam detrahere potuerunt, Caſſandram Polonicam Pſtroconium appellabat, quòd prudentiſſima illius conſilia, & veriſſimæ de rebus futuris coniecturæ minùs æquis auribus acciperentur, parumque, vt in corruptâ Republ. euenire ſolet, efficaces eſſent. Sed Pſtroconius, vt probè noſti, noſtris etiam ſcriptis ab inuidiæ morſu & obliuione vindicatus eſt. Cæterùm ita totius vitæ ſtudiorumque illius rationes accommodatæ fuerunt, vt nihil ſpectaſſe vnquam aliud, nihil cogitatione complecti exiſtimari potuerit, niſi, cui materno voto puer ſacratus dicatuſque fuit, ſa-
6 cerdotium. Et quamuis optimo & ingenio & iudicio pollenti, non deeſſet variarum rerum notitia, eâ tamen potiſſimùm excellere contendebat eruditione, quæ ad ritè ſacerdotalis Epiſcopaliſque functionis munus

Matthias Pſtroconius quantus vir in Eccleſiâ & in Repub.

De eodem iudicium Sigiſmundi Tertij Regis Poloniæ;

Petri Tylicki Epiſcopi Crac. & Staniſlai Zolkieuij Cancellarij Regni Pol.

Matthiæ Pſtroconij ſtudium ſacerdotio accommodatũ.

nus obeundum maximè esset idonea. Itaque adolescens eos & in celeberrimâ Cracouien. Academiâ ingenij sui formatores ac magistros delegerat, qui non minùs pij quàm eruditi essent; & Romæ, posthabitis alijs occupationibus, soli sacrorum Canonum studio acquiescebat. A Stanislao Karnkouio Archiepiscopo Gnesnensi posteà euocatus, & Ecclesiasticis functionibus admotus, nullâ alia re magis optimo Principi & sacrorum Præsidi placuit, quàm quòd videret eum doctum, prudentem, piumque esse sacerdotem; idoneum, qui arduum quoduis in Ecclesiâ munus obeundum susciperet. Talis in aula Regiâ, ad quam à Ioanne Tarnouio Regni Procancellario necessario suo, vocatus fuit, de eo fuit opinio, omnes vti virum sacris addictum, ab omni labe immunem pudicumque suspiciebant. Testis & ego sum, sæpè illum cùm curis publicis distineretur questum fuisse, quòd non potiùs sacerdotij munia obiret, quodque ijs magis occupationibus, quæ ad curam Reipublicæ pertinerent, quàm sacris Sacrificijs vacare cogeretur. Quanquàm ille nullis vnquam arduis etiam occupationibus impediri potuit, vt non plus temporis sacris functionibus, colendæque & exercendæ pietati impenderet: sciebat optimè meliores secernere horas, quas sacris orationibus & sacrificijs, cæteris solutus curis, tribueret. Vacabat sæpè sacris etiam lectionibus, ac inter alios Diuinarum rerum interpretes, potissimùm delectabatur aurei oris lacteo fonte D. Ioannis Chrysostomi eloquio, eius laudatos ab omnibus de Sacerdotio libros, nocturnâ diurnaque versabat manu, tantumque illius assiduâ lectitatione profecerat, vt quotiescunque vel in publico, vel in priuato colloquio, de Sacerdotio sermo incideret, Pstroconius Chrysostomi ore loqui videretur: parciùs quidem dum adhuc in aulâ esset, hac de re miscebat sermonem; sed renunciatus Episcopus Præmysliensis quò me & te iam tum probè Regi notos, & in Reipublicæ negotijs aliquot annis, sub disciplinâ Pstroconij & Tarnouij versatos, secum duxerat, cæteris alijs postpositis curis, in eam solam incubuit, vt iniunctum susceptumque Episcopale munus rectè obiret, atque ita curandæ subditorum saluti ritè incumberet, ne suæ deesset. Multa ille sæpè nobiscum hac de re contulit; sed ego habitum ab illo Brzozouiæ sermonem, cùm memoriæ, quæ tum tenax erat, mandauissem, dandum hoc putaui & nomini illius, & nostro fraterno amori, vt cùm ambo, quod ille futurum dixerat, ad gerendos Episcopatus vocaremur, illius dicta & salutaria monita scripto comprehensa, tibi in memoriam reuocarem. Meminisse autem te arbitror, cùm primùm ad Dicecesim accessisset, & Brzozouium, quod oppidum est ditionis & iurisdictionis Episcopi Præmysliensis venisset, statimque Lublinum, quò ad corrigenda Patriæ iura eorum periti, Comitiorum auctoritate lecti, conuenturi erant, quod ipse quoque ex eorum esset numero, ire cogeretur: ex suscepto itinere, quòd Lublinum hoc tempore de peste suspectum esset, reuersum, quasi in quodam portu ex periculosa tempestatis

Eiusdem adolescentiæ institutio.

Primò à Stanislao Karnkouio Archiepiscopo Gnesnensi;

Deinde à Ioanne Tarnouio Vice-cancellario Regni in aulam Regiam euocatus.

7 *Libri Diui Chrysostomi de Sacerdotio quàm illi familiares.*

8 *Eius iam Episcopi Præmysliensis frequens de Episcopatu sermo à Stanislao Lubienio scripto comprehensus.*

iactatione collectum, cœpisse seriò secum expendere muneris Episcopalis dignitatem, dignitatique adhærentia onera. Annus is erat sexcentesimus primus supra millesimum, isque in exitu, cùm ego tum grauissimo mense Nouembri oppressus catarrho, oculis annuo morbo lippientibus admodùm laborarem. Cupiebat eo tempore Pstroconius adire Cathedram suam, & initia Episcopatus sui feliciter auspicari; sed cùm Præmyslia ob suspicionem pestis vitaretur, ille interim dum ea lues desæuijt, vnius mensis otium nactus, ad piam laboris qui impendebat meditationem conuersus, vt plerumque solebat tempora bonis conatibus impendere, sic hoc quoque ita transegit, vt fructum secreti sui nobiscum communicare vellet. Vtroque itaque nostrum accersito, ita incipit:

Annus Christi 1601.

9

Dissertationis de Episcopali munere Exordium.

Non ego vos arctâ sanguinis necessitudine mihi coniunctos idcircò legi, curarumque mearum socios esse volui, vt tantum vestrâ vterer operâ, longè aliud est quod prospicio & auguror, neque me, vt probè nostis, mea fallunt auguria: sæpè enim, vt scitis, dixi vobis, tum cùm adhuc spes parua esset, me in Collegium Episcoporum cooptatum iri. Iuueni mihi admodùm, cùm de vitæ statu ineundo solida agitarem consilia, sororem meam, quæ intra pubertatis annos, non sine sanctitatis opinione, è viuis excessit, in somnis visam, eamque non solùm quod vitæ genus legerem monuisse, meque & Sacerdotem & Episcopum futurum prædixisse; verùm etiam, quod hactenùs vos celaui, & à vobis silentio celatum esse volo, Episcopatum Præmysliensem non esse supremum dignitatis, quem fata mihi destinant gradum: ad aulam mox reuocabor, Vice-cancellarius & Cancellarius Regni futurus; cumque vtroque hoc Magistratu difficillimo Regis & Reipubl. tempore (ciuili parricidialique bello arsuram Patriam scitote) non sine laude perfunctus fuero, in ipso ad eum locum, qui meritis meis debebitur ingressu, hæsurum me suspicor, & vereor ne cursus vitæ meæ idem sit, qui & aulicarum functionum. Aliam, vt video, quietem spondent mihi fata: nihil quidem temerè affirmare ausim, sed nescio quid portendit subitus, nec sine meo horrore sororis, posteàquam hæc, quæ dixi, mihi ostendisset, à me discessus: statuat sanè de me Deus quidquid voluerit: ego me vitamque meam ad nutum ipsius ita componam, vt nec viuere tædiosum mihi sit futurum, nec mori formidolosum. Sed ad vos redeo, auguror, inquam, vos, posteàquam ad maturiorem ætatem perueneritis, vtrumque dignitatem Episcopalem & Senatoriam adepturum, rem nescio magisnè appetendam, an omni conatu fugiendam. Video sanctissimos quosque viros tantoperè delatum eiusmodi honorem aspernatos fuisse, vt in speluncis latere, vitæ quoduis periculum adire, patriâ extorres esse, & voluntarium pati exilium maluerint, quàm tanto oneri subijcere ceruicem. Sanctus Nilammon cuius nomen fastis Ecclesiasticis ad diem octauam Idus Ianuarij adscriptum legimus, cùm è solitudine, in quâ sanctissimè vixerat, per vim traheretur Episcopus Geris in Ægypto renuntian-

Sororem defunctam Pstroconius per quietem vidit, quæ illi totam vitæ seriem & superuenturos honores, ac mortem denique prædixit.

10

Sanctissimos quosque Episcopalem dignitatem declinasse.

nuntiandus, tanto pauore consternatus esse dicitur, vt inter trahentium magis, quàm deducentium manus, fusis ad Deum precibus, impetrato fine vitæ, mori potiùs, quod & obtinuit, maluerit; quàm discrimen salutis ex suscepto Episcopatu adire. Illud sanctissimum Ecclesiæ lumen, Diuus Ioannes Chrysostomus, quantoperè eam functionem vitârit, vt Sancto Basilio piâ fraude imposuerit, luculenter ipse testatur. Taceo Ambrosium, Gregorium, & multos quos recensere possem, qui pari obstinatione delato honori se subduxerunt: nostra sanè ætas vix vnquam tale vidit exemplum, & plerumque non tam opus laborque quàm opes appetuntur. Neque tamen plerisque vitio vertendum censeo, quod in- 11
ter minùs dignos petitores vltrò nomen suum profiteantur, vt eos, qui cùm pares ad tantum munus ferendum non sint, summo tamen studio importunis precibus, nonnunquam etiam, prô dolor, pretio ad obtinendum Episcopatum adspirant, salutari intercessione, excludant: modò ne ij quoque aliâ quàm virtutis & pietatis commendatione enitere, cæterisque humilitate Christianâ saluâ præferri contendant. Sed de adi- 12
piscendo Episcopatu vberior erit dicendi locus: in eum enim sermonem *Propositio.* impetus quidam animi mei & amor vtriusque vestrûm me adducit, vt ea quæ de rectè gerendo Episcopatu, non modò lectione multorum sacrarum literarum & Canonicarum sanctionum Interpretum meditata habeo, verùm etiam quæ ab alijs summis quidem viris, cum quibus ab ineunte ætate vixi, vsu didici, institutâ oratione exequar. Vos attentas adhibete aures ijs audiendis, quæ vobis vel potiùs illis, quibus præfuturi estis Ecclesijs, olim vsui & commodo futura sunt. Ac vt ea quæ dicturus sum faciliùs à vobis percipi possint, infixaque memoriæ fortiùs hæreant, certâ mihi methodo vtendum video, & more Rhetorum partienda oratio mea. Dicam igitur qualem esse oporteat eum qui Episcopus 13
renuntiandus est: quâ ratione ad gerendum hoc munus vocandus: quid *Dicendorum partitio.* oneris ritè ordinato Episcopo incumbat, qualemvé ille se & in Ecclesiâ & in Reipub. functione præstare debeat. Graue onus me suscepisse videtis, ampla enim & augusta est materia, si dicendo explicare & definire voluero tanti muneris vel excellentiam vel functionem.

Episcopi nomen olim quoque Græcis Latinisque Scriptoribus notum 14
fuit: quotiescunque enim illi aliquem maiori cum potestate, quæ supra *Nominis Episcopi notatio.* reliquos præsides esset, designabant, Episcopum appellabant. Sic Cicero ad Atticum: Vult Pompeius me esse, quem tota hæc Campana & *Lib. 7. ad Atticum Epist. 11.* maritima ora habeat Episcopon, ad quem delectus & summa negotij referatur. Scio à plerisque alijs magni nominis auctoribus id nomen aliâ functione designari, eos videlicet propriè dici Episcopos, qui præsunt pani & cæteris rebus venalibus, quę in ciuitate populis ad quotidianum victum necessariæ sunt. Sed hęc vtraque significatio optimè congruit *Episcopus in Ecclesia sua speculator.* functioni Episcopali; ita enim ille præesse debet, vt pascat & nutriat subiectum sibi populum: præcipuè tamen illius officium in speculatoria

& pastorali functione consistere videtur. Speculatorem, inquit Dominus apud Ezechielem, constitui te. Et cùm Petrum Dominus ad huius muneris supremâ cum potestate obeundam functionem vocaret: Pasce, inquit, oues meas, pasce agnos meos. Et quidem non qualemcunque Speculatorem agere vult Dominus eum, qui in hac speculâ constitutus est, non otiosum alieni periculi spectatorem, sed ita de aliena salute solicitum, vt si quid alicui ex ijs, qui illius curæ commissi sunt, infaustum acciderit, si vel in potestatem hostis venerit, vel lethali vulnere ictus fuerit, Speculator qui maturè periculum non denuntiauit, suo sanguine, sua vita, neglectæ custodiæ culpam eluere debeat. Non enim in hac spirituali luctâ desunt acerrimi & infensissimi hostes, qui in singula temporum momenta vitæ, omnium infesti insidias struant, interdum etiam structas sub signis infernalibus acies producant: neque vnam pugnæ speciem expectaueris, & nisi ad omne belli gerendi genus instructus paratusque sis, nihil aliud nisi tuum interitum, omniumque crudelissimam euiscerationem mox euenturam cernes.

Ezechiel. 3. verſ.13.& 33.verſ.7.

Ioan.21. v.15.& 17.

15

In Episcopatu plurimum solicitudinis & periculi.

16 In bellis quidem, in quibus nobis cum hoste visibili res est, aut nauali apparatu, si à mari periculum timetur; aut equitum peditumque turmis, si per patentes campos hostilis exercitus se effundat, nos instructos esse oportet, sagittarios sagittarijs, hastatos hastatis, equites equitibus, pedites peditibus opponimus: insidias vel insidijs eludimus, vel aperto Marte excipimus: denique curam belli in Duces & Centuriones partimur, & plerumque de euentu securi, pugnæ aleam læti alacresque subimus, tuta latera, tuta frons, extrema quoque exercitus pars, suos habet defensores. Contra veteranum hostem dolis insidijsque assuetum Diabolum nihil securum, nihil satis tutum existimandum est. Episcopo ipsi armato verbo Dei omnia obeunda, omnia munia sustinenda sunt, ille necesse est, vt & speculatoris accuratissimi & Ducis simul & militis fortissimi officio fungatur: nam si ille cessauerit, vel inducijs fraudulentis, sibi ab hoste imponi siuerit, vel denique omne genus luctæ spiritualis non calluerit: nouit hostis vel parte vnâ, si ea fortè neglecta fuerit, pyratis prædonibusque suis eiusmodi prædæ inhiantibus immissis, perfringere munitiones: imbelle & pauidum pecudum genus ferro ferire, dente lacerare, & partâ victoria omni crudelitate sæuire. Sed si iuxta verbum Dei fortis armatus benè munitam custodierit ciuitatem, pacata quidem erunt omnia, hostis verò frustra rectè custoditis insidiabitur mœnibus, irrisus contemptusque ab ijs, quos obsidione cinxerit; sin autem Speculatore sopito murum perfoderit, etiamsi reliqua munitio integra maneat, semel reperto, per quod intret, foramine, vix aut ne vix quidem, serò è somno euigilans Speculator idemque

Episcopus speculator quasi belli Dux & Miles fortissimus;

Luc.11.v.21.

17 belli Dux Episcopus illius impetum retuderit. Neque sola eaque accurata custodia suffecerit, nisi idem qui id munus sustineat omnes pugnandi artes, quibus hostis instructus est, nouerit, & arma quæ commodè cuique arti & fraudi hostili opponat, prompta expeditaque habuerit.

Nosse debet hostes.

Quid

Quid enim profuerit vel Lutheranis vel Caluinistis, vel ipsis Arianis, quorum fraudulentum virus altas in Poloniâ egit radices, obstitisse, eorumque pestilentem morbum, ne sacræ oues eo inficiantur euitâsse, si ij qui sub specie recti in Republicâ regiminis, quoddam aliud religionis genus introducunt, quæ sanè hæresis latissimè patet, facto agmine irruperint? Serpit hoc virus iam dudum, quod primis adhuc Sigismundi 18
Augusti Regis annis pullulare cœpit. Ex hoc genere illi erant, qui potestate Regiâ nationale Concilium, ad definiendas sacræ fidei res indici postulârunt, qui non sacrum modò in hoc Regno ordinem, sed ipsum summæ Romanæ sedis Præsidem, temerarijs legibus circumscribere ausi sunt. Hinc illæ sanctiones, quibus, vti extra territorium latis impunè non paretur; Militet sacerdos, idemque seculari pareat iurisdictioni. Decimarum ius, etsi Diuino, Ecclesiastico, Patrioque iure Clero debeatur, in suspenso sit, neque ius legitimum petenti Sacerdoti, patrijs legibus vti liceat. Iudicia Ecclesiastica, quibus hactenùs adulteria, incestus, periuria, hæreses, & similes animarum pestes coërcebantur, magisnè impiè an perniciosè, abrogentur. Ne promoti ad Episcopatus ad summum Pontificem se referant, sed vt fisco Regni primi anni prouentus, quorum aliqua pars in signum subiectionis, more institutoque Catholico Romam mittitur, inferantur. Postremò, vt cuiuis quiduis in Poloniâ credere liceat; in Deum ipsum Diuosque blasphemi, vt hoc ipso nomine quòd tales sunt, peculiari lege impietatis securitatem habeant. Videtis 19
& nunc multos esse, quorum in Conuentibus, in Comitijs, non alia auditur vox, nisi Clerum nouis legibus esse circumscribendum, coërcendam Ecclesiastici iuris potestatem, prædia & possessiones sacris vsibus dicatas, vel militari seruitio, vel pensionibus grauandas, easdemque per vim & fraudem interceptas, ne repetere liceat, & sexcenta eiusmodi: idque hominibus Catholicis auctoribus dici & promoueri cernitis. Vereor 20
ego ne ab hac peste in hac charissimâ Patria nostra Religioni Catholicę, & ipsimet Patriæ supremum periculum eueniat. Hoc quidem Rege, quem diutissimè Religioni Catholicæ tuendæ Deus conseruet, imperante, facilè Ordo noster tueri potest iura sua: pietas enim optimi Principis constanter obsistit eorum ausibus, qui malè erga Ecclesiam Catholicam Ordinemque sacrum affecti sunt: cæterùm eo vitâ functo, magnum discrimen & periculum imminere video, nisi Episcopi sacri Ordinis Duces, seriò in eam curam incumbant, ne vel sibi imponi, vel se ac iura sua per vim opprimi patiantur. Neque putandum est facile expeditumque id 21
certamen fore; experti sunt maiores nostri, quorum plerosque ego noueram, quàm anceps sit istius disceptationis alea, cùm ab vnâ parte fauor populi contra Ecclesiam militet, ab aliâ Hæretici insultent, à fronte verò hi quos Politicos vocari vsus obtinuit, acrem faciant impetum. Hîc, inquam, hîc animis & viribus opus, & non pastorali modò, sed penè militari industriâ, quali olim maiores nostri vsi sunt, agendum inuigilandumque

Pseudo-Politici hostes Ecclesiæ acerrimi;

Eorum leges contra immunitatem & dignitatem Ecclesiasticam sub Sigismundo Augusto temerariæ.

Eorundem conatus impij his temporibus contra Clerum.

Ab ijs extremum Religionis & Patriæ timendū olim exitium.

Contra huiusmodi Politicos pugna difficilis.

Quales Episcopos iis opponi oporteat.

dumque est. Olim erat familiare Episcopis nostris ijs eminere dotibus, quæ vulgi animos conciliant, auctoritatemque pariunt, sincerâ videlicet

22 pietate, eruditione, & liberalitate. Videtis Stanislaum Karnkouium Archiepiscopum Gnesnensem, senem illum quidem, sed ita animi robore vigentem, vt nec Ecclesiæ, nec Reipublicæ desit: ita verò Principis Senatus munus tuetur, vt locus is illi vni conuenire videatur: non affectata est pietas eius, sed sincera; liberalitas verò ita latè se diffundit, vt non præsenti modò ætati, sed futuræ etiam suffectura videatur: ornauit, ditauitque amplissimis opibus sponsam suam Ecclesiam Gnesnensem effecitque, vt auctis stipendijs longè frequentius sacrum illius Ecclesiæ Collegium redderetur, & triplo plures quàm anteà isthic essent Sacerdotes, qui rei sacræ ritè peragendæ diebus ac noctibus incumberent.

Stanislaus Karncouius Archiepiscopus Gnesnensis talium Episcoporum norma. Egregia eius pietas & liberalitas.

23 Iam verò Calissij, loco satis opportuno, nobilissimo Collegio Religiosorum Societatis IESV Sacerdotum collocato, & dotato, totque Gymnasijs constructis, magnâ etiam eaque perpetuò duratura in eos impensa factâ, qui ex egentiore iuuentute Polonâ, optimis disciplinis incumberent, & olim vsui Ecclesiæ & Reipublicæ essent, an non satis declarauit, quàm liberali esset animo? opes quidem omnes non augendis & ditandis propinquis

Collegium Calisiense à Stanislao Karncouio fundatum.

24 consanguineisque suis, sed egentioribus subleuandis impendit. Nemo illi sordes obiecerit, nemo quòd maiorem frumenti & pecoris, quàm animarum Christi sanguine redemptarum curam gerat; quòd in prædiorũ quàm in Ecclesiarum putandis rationibus frequentior sit, improperauerit. Tuetur dignitatem auctoritatemque suam, optimis & magno viro, magno Senatore dignis artibus: nec verò ille, vt cum Catone Ciceroniano loquar, in luce modò atque in oculis ciuium magnus, sed intus domique præstantior. Qui sermo, quæ præcepta, quanta notitia antiquitatis, quæ scientia iuris Pontificij, multæ etiam vt in homine nostro literæ, ita omnia memoriâ tenet, non domestica modò, sed etiam externa bella; ego ita eum dicentem audio, ac si eo extincto neminem essem habiturus, à quo discerem. Hoc & aliorum de eo est iudicium.

Cura pastoralis & doctrina.

25 Itaque quotiescunque dicit sententiam, omnes ab ore dicentis pendere videntur; plena enim est notitiæ antiquitatis istius senis oratio, ita vt vnus & legum nostrarum patriorumque institutorum origines scire; & fœdera cum externis Principibus & tuendæ salutis communis, conseruandique præsentis status rationes optimè perspectas habere videatur. His ille rebus tantam sibi parauit auctoritatem, vt omnibus sit venerabilis, vt ad conspectum tanti viri osores Ecclesiæ iurium, ne hiscere quidem audeant.

Dicendi vis in Senatu & auctoritas.

26 Nuper quoque Hieronymus Rozdrazeuius Episcopus Vladislauiensis non eloquentiâ, hęc enim in homine apud exteras nationes ab infantiâ ita educato, vt Polonicum idioma ægrè efferret, quæ esse potuit? non liberalitate, etsi enim ab auaritiâ & ab omni turpi questu remotus esset, parsimoniæ tamen magis, quàm moribus nostris congrueret, addictus, tenacior rerum suarum existimabatur, vnicâ tantùm sanctitatis & pietatis opinione,

Hieronymi Rozdrazevvski Episcopi Vladislauiensis ex vitæ innocentiâ & sanctitate nomen magnum apud omnes.

ne, ita gratus & amabilis omnibus erat, vt nemo eſſet, qui non eximiâ animi eius excellentia permoueretur. De Tarnouio meo, qui ei in Epiſcopatu Vladiſlauienſi proximè ſubrogatus eſt, dicere incipientem, mœror, & futuri mali præſaga mens perturbat, nec ea quæ ſentio fari permittit. Magnus hic eſt vir, & ad magna natus. Vt ille, cùm Vicecancellarius Regni eſſet, egregiâ dexteritate, orientes ciuiles motus compreſſit: vt Collegæ prærogatiua ſenectutis & rerum geſtarum gloriâ, plus ſibi arroganti reſtitit; vt denique nuper cùm Epiſcopatum Poſnanienſem gereret, Optimates Maioris Poloniæ in admirationem venerationemque ſui conuertit, & tanquam inter eos, vel ex eis natus, eximiâ animi magnitudine parem ſe cunctis reddidit. Summum locum illi deberi non dubito, etſi longiorem vitam fata indulſerint, magno Eccleſiæ & Reipub. præſidio, futurum certo ſcio. Sed quæ ſpes noſtræ? quàm fallaces? quàm nullæ? eloquar an ſileam? Oſtendent terris hunc tantum fata, neque vltra eſſe ſinent. Ex vate iſta. Sed vtinam ego ſim falſus vates. Tarnouium meum, vix dum Archiepiſcopum Gneſnenſem renunciatum, & eius dignitatis poſſeſſionem adeptum, fatali ictum morbo in complexu meo è vita ceſſurum. Mortem eius vel inimicis ipſis, ne dicam amicis acerbam fore video, liuor iſte qui nunc viuum arrodit, quieſcet poſt fata; virtus eius maximè tunc deſiderabitur, cùm turbatis in Patriâ noſtrâ rebus, non ſeditio modò, ſed bellum ciuile excitabitur. Videre videor totam è ſede moueri Poloniam, exercitus duci & reduci, Patriam vaſtari, infauſti nominis campos, quorum appellatio à liuidis tumoribus & vulneribus originem trahit, ciuili ſanguine fœdari. Parce miles ferro, parce ciuibus: viueres Tarnoui ad ea tempora, clauumque Reipubl. teneres, non hæc fieri permitteres. Tu ipſe Zamoſci, decus Patriæ noſtræ, mora fatorum, ſi ſuperſtes eſſes, non ſineres alumnum tuum furere, vel tuo nomine ad concitandam ſeditionem abuti. Scio certè te & fato functum, grauiter laturum ſiniſtrâ ſupremæ voluntatis tuæ interpretatione, tuis copijs, tuis opibus Regem & Rempub. oppugnari, quem & quam tu ſemper ſaluam eſſe voluiſti. Sed ego tacenda locutus, vos arcto ſilentij ſacramento obſtringo, illud tantùm addam, mihi ac vobis, quos ego laboris mei ſocios deſtino, magnam iſtarum calamitatum partem exſorbendam eſſe, meum potiſſimùm petetur caput, in me vnum tota incumbet inuidia: ac vtinam meo tantùm ſanguine furor is ſopiri poſſet, non mihi acerba mors pro Eccleſiâ, pro Rege, pro Republicâ eſſet, libens volenſque ſubirem fatum. Summorum virorum commemoratio, me à propoſito ſermone paulutum ſeduxit; redeo & confirmo, nullum grauius aut periculoſius fuiſſe & eſſe certamen, quàm id quod in ordinem noſtrũ à Politicâ hæreſi inſtruitur: ad illud ſuſtinendum magnâ prudentia, magnâ dexteritate opus eſt, nec ad pugnam magna nomina maiorumque imagines; ſed vitæ inculpatæ ſanctitas, eruditio, comitas, liberalitas adferenda, amorque & fauor ciuium conciliandus, potiſſimùm

[Margin: 27 — *Ioan. Tarnouius Episcop. Vladislauiensis Ecclesiæ & Reipub. propugnator acerrimus.* — 28 — *Præmatura mors tanti viri à Pstrokonio prædicitur vnà cum bello intestino in Poloniâ.* — 29 — *Ad Guzoniũ pugna.* — 30 — 31 — 32 — *Iterum declarat quales Episcopi contra Politicam hæresim essent obijciendi.*]

tiſſimùm ſtudio earum rerum tuendarum, quæ felici & florenti Reipub. ſtatu expetuntur; ſit libera, nec ad adulationem compoſita in Senatu vox Epiſcopi; ille ante omnes re ipsâ comprobet ſibi curæ eſſe publicam ſalutem, hæc vna ars eſt ad reprimenda inuidorum ſtudia, ad tuendam Ordinis ſacri dignitatem, ad propugnanda ſacroſancta Eccleſiæ iura.

33 *Epiſcopi Paſtores.* Sed à militiâ ad paſcuarias artes reuertamur; non enim ſpeculatoris tantùm & Ducis in bello, ſed in pace etiam, imò ſemper paſtoris officio vult fungi Epiſcopum Dominus, & quidem ardentiſſimâ cupiditate quadam; cùm enim terras relicturus cum diſcipulis ſermocinaretur, ac eâ charitate, quæ tum ex recentibus manuum, lateris, & pedum vulneribus emicabat, illorum animos in ſui mutuum amorem inflammaſſet; Petrum maiori præ reliquis æſtu flagrantem: Amas me, inquit, Petre, ſiue affirmatiuè, ſiue vt amoris eius, qui ſcientem omnia non latebat, profeſſionem eliceret, interrogauit: cumque reſpondiſſet Petrus optimè conſcium eſſe Dominum ſui in eum amoris, non vt mortem pro gloriâ nominis ſui ſubiret, non vt ieiunijs corpus maceraret, non vt continuò vigilaret, non vt iniuriâ grauatis opem ferret, non vt orphanis patris, viduis mariti loco eſſet, iniunxit; ſed paſce, inquit, gregem meum. hæc erit certiſſima tui erga me amoris teſſera, ſi te vitamque tuam paſcendo meo gregi impenderis, amoremque illum, quem ego ſanguinis mei effuſione erga hunc eundem gregem teſtatus ſum, heroicâ imitatione expreſſeris: ſi igitur amas me, paſce gregem meum, vt liquidò omnibus conſtet, me à te amari.

34 *Paſtoris munus difficile, in charitate fundatum.* Magnum & excelſum, imò arduum & difficile munus Dominum deſignare voluiſſe apparet, cùm trinâ profeſſione amoris Petrum ad illud ſuſcipiendum ſibi obſtringeret. Itaque charitate, quæ ſummam omnium virtutum complectitur, cæteris emineat Paſtor Dominici gregis, non vt olim Saül, quem ad ſimile munus vocatum humeris reliquo Iſraëlitico populo altiorem fuiſſe ſacræ literæ teſtantur (1. Reg. 9.), nam hæc corporis elatio mutabilis erat; charitas verò nunquam excidit, ſed ſemper eadem manet. Tantum verò eâ Epiſcopus præ cæteris flagrare debet, vt longè alios poſt ſe relinquat.

35 *Quæ partes ſint veri Paſtoris ſeu Epiſcopi.* Neque enim illi aduerſus lupos, qui videri & arceri poſſunt, vigilandum depugnandumque eſt, nec irrationabile paſcendum pecus, cuius etiamſi paſtor per ſecordiam iacturam fecerit, vel leui pœnâ, vel æſtimabili mulctâ Domino gregis ſatisfaciet, ſed Epiſcopo rationabilis Chriſti grex paſcendus eſt, & contra inferni belluas, ad quas arcendas ne adamantina quidem mœnia ſatis tuta ſunt, continuò decertandum. Non eſt, inquit Apoſtolus (Eph. 6. v. 12.), nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus. *Quæ mala Paſtori à grege Chriſti propulſanda.* Si oculis cernere liceret infernales iſtos lupos, & immania monſtra, quanto horrore corriperemur, tetras iſtas phalanges intuentes, non ferro quidem cinctas, ſed dolis armatas, contra quas nemo certare poteſt, niſi qui arma, Diuinâ fabricata manu, è cælo miſſa induerit. Grande periculum

lum ab externo isto hoste; sed vide alia his nequaquam minora, Paulo Apostolo monstrante: Manifesta sunt, inquit, opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Neque enim necesse fuit, vt omnia eius generis vitia scripto comprehenderet, cùm his enumeratis, illis paria & ab eodem deriuata fonte, deprehendi possint. Hę tam perniciosæ pestes, æquè gregem ac ipsum inficiunt pastorem; cùm alioquin luem, quæ ouium corpora infestat, pastor citra noxam tractare possit, fomenta adhibere, vlcera purgare. In curandis autem animæ occultis vlceribus, cautè admodùm Episcopo versandum est, tum ne quid ipse labis ex infectis ouibus contrahat, tum vt prudenter fomenta contagiosis morbis admoueat, denique vt radices ipsas malorum diligenter inuestiget. Neque tamen temerè curationi, quæ sectione peragi solet, manum admoueat, ne si æger contumaciter restiterit, malum magis exasperetur, vulnusque recrudescat, quod dum conscissum disrumpitur, deteriorem facit scissuram. Maximâ autem discretione eum vti oportet, & dispicere, num is, qui curãdus est, vltrò morbũm suum fateatur, opemque medici imploret; an, vt plerique, quibus & generis splendor, & partæ opes ingentes animos faciunt: quos si redarguere, & iusta castigatione coërcere volueris, excandescunt, magisque irritantur. Hi blandis appellandi verbis, & leuiori tractandi manu, vt aliquando errore & morbo, quo laborant, cognito, lentis remedijs se curari patiantur; vel denique lachrymis & sacrificijs exorandus est Dominus, vt det illis animum notitiæ sui studiosum. Quid verò dicam de his, qui se ab vnitate Christi ouilis segregârunt, quorum mentes impijs dogmatibus sathanas infecit, qui non doceri, sed docere volunt? Non possum celare animi mei lætitiam, quam inde capio, quòd videam singulari quadam prærogatiuâ gentem Polonam à Deo donatam esse. Non patitur is vt homines nostri, vel facilè in errores, quibus orbis Christianus, & maximè vicina nobis Germania infecta est, labantur; vel si quis fraude hostili seductus succubuerit, diu vt in errore perseueret. Quanto labore in alijs Regnis contra hanc pestem frustra pugnatur, quantum sanguinis ciuilis eius rei causâ in Gallijs & Belgio fluxit? quot bella exorta? cùm è contra in Poloniâ sponte quadam hoc malum subsidat, & aboleatur. Ante annos quadraginta, ita ea lues inualuerat, vt Senatus quidem maior pars ex Hæreticis constaret, ijdem inter Equestrem ordinem non quidem numero, sed ad quasuis functiones obeundas dexteritate eminerent, primasque & in priuatis, & in publicis consilijs ac Conuentibus sibi partes vendicarent. Nunc ad paucos ij redacti, & nisi nostros istos Ruthenos Græco schismati addictos, in subsidium adsciscerent, vix in publico comparere auderent. Sed & hi (ita benè sperare libet de gente nostrâ, & de singulari Dei erga nos gratiâ) redibunt ad officium, & ad

Galat. 5. v. 19.

36 *Eadem ipsimet Pastori, nisi caueat sibi, timenda.*

37 *Quâ prudentia morbos animæ in subditis curare debeat.*

38 *Hæresis inter animæ pestes facilè in Poloniâ curabilis.*

39 ſacræ Matris gremium, modò Epiſcopi, quorum id præcipuum munus eſt, ſedulâ cura eò incumbere velint, idque ſibi perſuaderi patiantur, reliquas omnes virtutum ſpecies aliјs communes eſſe; curam animarum, quam rectè Diuus Gregorius Artem artium dixit, Epiſcopis propriè cōpetere. Propterea Dominus Seruator noſter, cùm eos alloqueretur, quos ad tanti muneris faſtigium euehere volebat, his vſus eſt verbis: Quis, inquit, eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Etenim qui animū ſuum excellentibus excolit virtutibus, qui ſanctitate cęteris præeminet, meritò quidem is omnium oculos in ſe conuertit; ſed tamen ſibi ille magis, quàm reliquis vtilis eſt: at labor ille, quem ſeruus fidelis & prudens, iubente Domino, curæ paſtorali impendit, omnium inſeruit ſaluti, & benè expenſo talento, vberrimum adfert lu-

Si ſedulitas Epiſcoporum adſit.

Ars artium cura animarum;

Matt. 24. v. 45.

Priuatæ ſanctitati præfertur:

40 crum. Rectè igitur Dominus, paſtoris ſtudium erga gregem impenſum, amoris & charitatis erga ſe ſymbolum eſſe dixit. Ac optimè quidem nobiſcum ageretur, ſi hac flammâ amoris accenſi ad ſacerdotium accederemus; nam proculdubio ſic animatos, Diuina gratia ijs quoque inſtrueret ornamentis, quæ ſummo faſtigio digna ſunt. Plus quàm Angelicam ambiunt perfectionem, qui ſacerdotij & Epiſcopatus dignitatem ſuſcipiunt. Etenim ſacerdotium ipſum in terrâ quidem & in conſpectu hominum peragitur, eius tamen functio ad cœleſtium rerum claſſem ordinemque referenda eſt: non enim homo, non Angelus, non quęuis alia creatura, potentia huiuſmodi dignitatis auctor fuit; ſed ipſe Spiritus ſanctus, qui & nunc inuiſibiliter ordinatam à ſe functionem exequitur, & eam mentem mortalibus inſpirat, vt Angelorum miniſterium

Etiam perfectionem Angelicam antecellit.

41 animo concipiant. Quæ olim mandante Domino ad ornandum Pontificem priſcæ legis adhibebantur, ea omnia vmbræ erant futuræ ſanctitatis, quâ animas Epiſcoporum noui Teſtamenti exultas eſſe debere, Dominus deſignabat: illa tintinnabula, mala punica, lapides pectori ſacerdotis, itemque alij humeris eius ſuperpoſiti, mitra, ſtrophium, veſtis ad pedes vſque demiſſa, lamina aurea, ſancta ſanctorum, ingens intus quies & ſilentium, ſacrificij ſacroſancti deſignabant præſtantiam, ad

Functio Epiſcopalis nouæ legis in ornatu Pontificis antiquæ legis adumbrata.

42 eius tamen dignitatem minimè accedebant. Libenter, vt ſcitis, bonas horas impendo legendis libris Diui Ioannis Chryſoſtomi, ex quo pleraque ea quæ attuli, ſumpta ſunt. Sed libet iam eius verbis, inſignem ſacrificij & ſacerdotij excellentiam explicantibus, meum ad vos exequi ſermonem. Tu Staniſlae, (nam ego dicendo feſſus ſum) cape librum & lege. Tum ego ab eo, quem ille indicauit loco, orſus lentâ voce pronuncio. Dum conſpicis Dominum immolatum, ſacerdotem ſacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum verò turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortales verſari atque in terrâ conſiſtere cenſes? an non potiùs è veſtigio in cœlos transfereris? an non carnis cogitationem omnem abijciens nudo animo, mente purâ circumſpicies, quæ in cœlo ſunt?

Eius ſanctitas & ſacrificij excellentia à D. Chryſoſtomo expenſa.

Chryſoſtomus de Sacerdot. lib. 3.

ſunt? O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſe tradit volentibus ipſum excipere ac complecti! Fit autem id nullis præſtigijs, ſed apertis ac circumſpicientibus circumſiſtentium omnium oculis. Num tibi iſta contemptu ac deſpectu digna eſſe videntur? aut eiuſmodi vt poſſit quis contra ea attolli atque inſurgere? Viſné & ſancti-
43 monię iſtius excellentiam alio miraculo perſpicere? Ponito ob oculos *Typus Heliæ ſacrificantis.* Heliam illum, & prætereà infinitam turbam illam circumfuſam, & ſacrificium lapidibus ſuperpoſitum, tum verò reliquos omnes admodùm quietos ac taciturnos, ſolum autem Prophetam preces fundentem, ſecundùm id flammam derepentè è cœlo delabentem ſacrificiumque ipſum lambentem. Mira ſunt iſta profectò, ac ſtupore omnia plena. Ab illis ergo ſacris, ad noſtratia ſacra te transfer: nec ea mira modò eſſe videbis, ſed etiam omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim Sacerdos, non ignem geſtans, ſed Spiritum ſanctum, is preces diuturnas fundit, non quo flamma cælitùs delapſa ſacra appoſita abſumat; ſed vt gratia in ſacrificium influens, per illud ipſum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igni excocto purgatoque. Hoc ergo myſterium
44 omnium maximè horrendum verendumque, quis tandem, qui ſanus idem minimè ſit, quique è poteſtate non exierit faſtidire ac deſpicere poterit? Ignoras futurum nunquam fuiſſe, vt humanus animi captus, ſacrificij ignem illum ſuſtineres, ſed funditus omnes tunc fuiſſe interituros, niſi magnum Diuinæ gratiæ auxilium adfuiſſet? Nam ſi quis conſideret, quantum id ſit myſterium, vt is ſcilicet, qui homo ipſe ſit carne ac ſanguine etiamnum conſtans, iſque inuolutus, beatæ atque immortali naturæ illi fieri propior queat: tum probè intelliget, quanto ſacerdotes honore, quantâ dignitate Spiritus ſancti gratia dignata fuerit: ope-
45 rantibus enim illis, tum ſacra hæc, quæ dico, initiantur perficiunturque, *Sacerdotum dignitas ingens.* tum etiam alia his nihilo inferiora, quæ ipſa ad dignitatis ſalutiſque noſtræ rationem ſpectant. Etenim qui terram incolunt, atque in eâ verſantur, his commiſſum eſt, vt ea quæ in cælis ſunt, diſpenſent: ijs datum eſt vt poteſtatem habeant, quam Deus Optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. neque etiam ad alios dictum: Quæcunque alligaueritis in terra, erunt alligata & in cœlo; & quæcunque ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cœlo. *Matt. 18. v.18.* Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem; verùm corporum ſolùm: id autem quod dico ſacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cælos peruadit, vſque adeò, vt quæcunque infernè ſacerdotes confecerint, illa
46 eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus cõfirmet. *Eorundem admiranda poteſtas.* Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cæleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quorumcumque enim, ait, peccata retinueritis, retenta ſunt. Quænam obſecro, poteſtas hac vnâ maior eſſe queat? Pater omnifariam Filio poteſtatem dedit: cæterùm video

ipſam eandem omnifariam poteſtatem à Deo Filio illis traditam. Nam quaſi iam in cælum tranſlati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab affectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis, ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc detulerit, vt poteſtatem habeat quoſcunque velit in carcerem conijciendi, eoſdemque rurſus laxandi, beatus ille & admirandus iudicio omnium fuerit: at verò qui à Deo tantò maiorem accepit poteſtatem, quantò cælum terrâ pretioſius eſt, quantò etiam animæ corporibus præſtant, hic vilem eò vſque dignitatem accepiſſe nonnullis videri debet, vt vel in illorum cogitationem deſcendere queat: reperiri quandoque poſſe vnum aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa quæ paulò antè dixi fuerint à Deo concredita, cui ipſi munus ſuum ſordeſcat, quique donum ſibi à Deo datum deſpiciat? Procul, procul hinc, faceſſat huiuſmodi inſania. Inſania enim manifeſtaria deſpicere tantum iſtum principatum, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus. Nam ſi non poteſt quis in regnum cœlorum ingredi, niſi per aquam & ſpiritum regeneratus fuerit: & Qui non manducat carnem Domini, & ſanguinem eius non bibit, æternâ vita priuatur: omnia autem hæc haud aliter quàm per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, ſacerdotum; quî fiet vt citra illarum opem, aut gehennæ ignem euitare quis poſſit, aut repoſitæ in cælo coronæ præmia conſequi? Hi enim ſunt, hi ſunt, inquam, quibus tum concreditæ ſunt ſpirituales parturigines, tum etiam baptiſmatis partus à Deo eſt commiſſus: per hos ipſos Chriſtum induimus, vnà cum Dei Filio ſepelimur, & beatæ carnis illius membra efficimur: quo nomine Sacerdotes meritò non modò plus vereri debemus, quàm vel Principes vel Reges; verùm etiam maiori honore, quàm parentes proprios honeſtare. Hi enim ex ſanguinibus & voluntate carnis nos genuerunt: illi verò auctores nobis ſunt natiuitatis eius, quam à Deo habemus, beatæ regenerationis illius, libertatis veræ, atque adeò adoptionis eius, quâ nos per gratiam Filij Dei ſumus effecti. Corporis lepram purgare, ſeu veriùs dicam haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat, neque neſcis quantâ cum ambitione, quanto cum ſtudio ac concertatione ſacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At verò noſtris ſacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. Quare iudicio quidem meo, qui iſtos deſpiciunt contemnuntque, multò ſceleratiores, ac maiori ſupplicio digni fuerint, quàm fuerit Dathan vnà cum ſuis omnibus. Illi enim, tametſi Principatum ad ſe non ſpectantem ſibi vendicabant; tamen miram quandam de eo Principatu opinionem animo conceperant: id quod declarauit ingens rei concupitæ ſtudium: hi autem tum cùm iam ſacerdotalis honos incrementum, ornatum, præſtantiam magnam accepit, contra quam illi, ſed tamen multò maiora audent. Neque enim perinde eſt, ad deſpicientiæ ratio-

Quam inſanus eſt qui deſpicit.

Ioan. 3. v. 5.

Ioan. 6. v. 55.

47 *Sacerdotum honor.*

48 *Contemptores Sacerdotum quanto ſcelere ſe obſtringunt.*

rationem subducendam, honorem aliquem indebitum appetere, & tot tantaque bona fastidire: verùm facinus hoc tantò illo est grauius, quantò inter se dissident interuallo, fastidium & admiratio. Quis ergo tam infelici genio natus, tot tantaque bona fastidiat? Et quidem neminem existere talem dixerim, nisi quis furiarum œstro percitus sit.

Plura legere volentem, interpellat Pstroconius, Cessa, inquit, & lippientibus parce oculis, ego reliqua exequar. Hæc & multò plura S. Chrysostomus, dum causas explicat, cur Episcopatus munus suscipere noluerit. Et ille quidem tantus vir, cuius sanctitatem, eruditionem, eloquentiam, Diuinarumque literarum notitiam, & illa ætas, quâ vixit, admirata est, & omnis deinceps posteritas communi comprobauit consensu, indignum se profitebatur, & minimè idoneum ad obeundam functionem Episcopalem: nos, qui ne vmbram quidem, vel doctrinæ, vel pietatis, si cum eo conferamur, habemus, vltrò nos non vocati obtrudimus. De alijs nihil dico, de me apud vos pauca. Cùm me non mea voluntas, sed quædam vitæ ratio, & cùm aliorum, tum præcipuè Tarnouij mei, simul ac Vice-cancellarius Regni renunciatus est, de me opinio, ad Aulam Regis euocasset, ita duodecim continuos annos in eâ exegi, vt semper mihi viderer alienum à me gerere negotium; cumque iudicio Optimi Principis, post multos exantlatos labores, binæque in Sueciam nauigationis tolerata pericula, Referendarius Regni renunciatus essem, & omnes imprimisque Tarnouius suaderet, ne ab Aulâ me remouerem: feci illo inuito, simul ac occasio sese obtulit, vt rude me donari peterem, ac vt Episcopatum Præmysliensem acciperem; non opum, hæ enim exiguæ sunt, magnitudine adductus sum: sed diù iam insederat animo, omnes alias præter sacerdotalem functionem minimè decere eum, qui ab ineunte ætate materno etiam voto sacris obeundis addictus est. Ætas ipsa quinquagesimi anni monebat me, ne inter seruitia Aulæ versarer, ne isthic consenescerem; & quoniam aliâ conditione inde me explicare non poteram, nisi vt Episcopatum acciperem, feci id, veluti inuitum me deducentibus eò fatis. Scitis ipsi qualis fuerit ambitus noster, quos prensauerimus, quorum suffragia implorauerimus. Illi ipsi, qui minùs æquo animo ferebant, nos Magistratu aulico ornatos, ad alios subinde honorum gradus succrescere, quibus suspecta erat industria nostra, auctores accipiendi Episcopatus, promotoresque mei fuerunt, maturè cauentes, ne quando illis anteponeremur. Sed hæc à Diuinâ pendent voluntate, ad cuius nutum me actionesque meas componere hactenùs semper studui. Hanc ipsam ad Episcopatum Præmysliensem promotionem meam, licet ea amicis quibusdam nostris, minor spe nostrâ esse videatur, ita accipio, vti ab eo profectam, qui in vineâ sua vnicuique certum stabilemque assignat locum, in quo, & suæ & aliorum salutis curam gerens, diurnum denarium mereri possit. Diligenter sanè omnibus, qui Episcopi renunciantur, curandum est, vt recta eorum sit

49 *S. Chrysost. indignum se censet Episcopatu.*

50 *Pstroconij qualis apud aulam Regiam vitæ ratio.*

51 *Eius ad Episcopatum promotio.*

52 *Ad Episcopatum temerè electi, inutiles & inepti sunt ad res gerendas.*

ac legitima vocatio. Diuus Chryſoſtomus, ſui temporis calamitatum omnium cauſas, ad temerarias Epiſcoporum electiones refert, id quod pulchro capitis & reliqui corporis firmat exemplo. Caput, inquit, valentiſſimum eſſe oportet, vt prauas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte ſurſum aſcendentes diſpenſare, eaſdem ritè atque ordine componere poſſit. Nihil verò deteriùs fieri poteſt, quàm cùm Epiſcopi culmen honoris præcipiti ſaltu conſcendunt. Et vt S. Gregorius ait; Qui diſcipulus non fuit, inconſideratâ ambitione magiſter efficitur, & quod poſſit docere non didicit, ſacerdotium tantùm gerit in nomine, nam laicus in ſermone priſtino perſeuerat & opere. Quomodo ergo pro aliorum peccatis interceſſurus eſt, qui ſua primitus non defleuit? Talis enim paſtor, non munit gregem, ſed decipit, quia dum contradicente verecundiâ non poteſt alijs hoc quod ipſe non facit, perſuadere, quid eſt aliud niſi vt plebs Dominica prædonibus populanda remaneat, & inde ſumat interitum, vnde ſalutiferæ protectionis magnum deberet habere ſubſidium? Hæc ille. Nec quiſquam ſibi de fauorabili populi teſtimonio blandiatur, quem propria occultorum criminum arguit conſcientia.

Lib. 3. de Sacerdotio.

Lib. 4. Epiſt. 52. ad Childeb. Regẽ Francorum.

53 Sed iam de modo adipiſcendi Epiſcopatus, quod ſecundum fuit eorum, quæ dicenda propoſuimus, dicamus, de quo multa adferri poſſent à ſacris præſcripta Canonibus. Olim equidem maiores noſtri, non per aulicos ambitus, nec per indigna nomine ſacerdotali obſequia aulæ ſoricibus impenſa, ſed ritè & Canonicè factâ electione, ad functionem Epiſcopalem vocabantur; non tamen negauerim, Regio quoque fauore optimos Epiſcopos adiutos. Sic olim Aaron Abbas Tinecenſis, Caſimiri Primi Regis voluntate, ad Epiſcopatum Cracouienſem promotus fuit. Et Zbigneo Oleſnicio, nauata in Gruneualdenſi bello Vladiſlai Iagelloni opera, ad eandem Cathedram aditum fecit. Vt meritò dubitari poſſit, iurené Cromerus noſter tantoperè deploret, tranſlatam à Collegijs Sacerdotum ad Reges Epiſcoporum deſignationem. Eo equidem, & paulò ſuperiori tempore, quo ille ſcripſit, multi Regiâ abuſi gratiâ, perperàm ſedes Epiſcopales occupabant.

Quæ ratio ad Epiſcopatum vocandi Epiſcopos futuros: Canonica electio, Regius fauor;

54 Caſimirus Tertius, primus iura Eccleſiarum fruſtrà obnitente Pontifice inuaſit. Quanquàm & Vladiſlaus Iagello, plus ſibi in abrogando Epiſcopatu Cracouienſi Petro Viſſo, & in eius locum Alberto Iaſtrzembecio ambitioſo homine, eodemque rapaci ſubſtituendo, iuris, quàm Regibus conueniret vſurpauerat. Sed Caſimirus nullâ habita ratione, vel Sacrorum Canonum, vel Iuris Eccleſiæ, vel denique ſummi Paſtoris auctoritatis, ita Ioannem Gruſcinium Regiâ poteſtate Epiſcopum Cracouienſem renunciauit, vt ſimul ſacrilegas manus eijciendis ex Eccleſiâ, Collegij Sacerdotum Baſilicæ Cracouienſis viris ſacratis admouerit, Iacobum Sienienium Pontificis Romani auctoritate nitentem, armatâ vi oppreſſerit, eieceritque & proſcripſerit. Hæc minimè Chriſtiano digna principe ab eo facta, poſteri quoque imitati ſunt. Et Sigiſmundi Primi, quanquam aliàs religioſiſſimi Regis,

Ex quo in Poloniâ olim in eligendis Epiſcopis natus abuſus;

Regis, temporibus, ſcimus ambitum plurimùm valuiſſe, cùm nonnulli muliebri etiam fauore, ad adipiſcendos Epiſcopatus niterentur: deinde Sigiſmundo Auguſto, res Regni moderante, vt alia ordinis noſtri dedecora ſileam, & Ioannes Droiouius Epiſcopus Vladiſlauienſis, Hæreticorum fautor, non ſine causâ, vt hæreticus audijt: & Iacobus Vchanſcius, Romanâ notatus cenſura, Regiâ & laicali poteſtate fretus, eundem Epiſcopatum Vladiſlauienſem per vim inuaſit. Nec Stephanus Rex eâ ſuſpicione caruit, quaſi quendam Epiſcopatum, largitione flexus, contuliſſet, viro quidem digno, ſed corradendis coaceruandiſque pecunijs nimiùm intento. Longè à noſtris temporibus ea labes, nec alia Princi- 55
pis noſtri mens, niſi vt maturâ deliberatione, meritiſque & virtutibus expenſis dignos præficiendos Eccleſiæ curet Paſtores. Sed vt electio non ſemper optimum inuenit, ita Principum quoque iudicia interdum citra eorum culpam falli & decipi contigit. Aliquando enim generis ſplendor, nonnunquam emendicatus fauor, & ambitioſa eorum, qui in Republicâ plurimùm poſſunt commendatio, obtrudit parum idoneos, Principique facit neceſſitatem, tales renuntiandi Eccleſiarum Præſides, quorum eum ipſum deinde pœnitet. Nollem morem hunc inoleſcere, 56
qui iam paulatim ſerpit, priuatim Principi quidquam largiendi; etſi enim optimo animo, nec malo fine ea fiant, nec aliter exiſtimare oportet vel de Principe, vel de liberalitate eorum qui largiuntur; ſed neſcio cur apud inuidos & ignaros malè res iſta audiat, & plerique eas donationes ſiniſtrè interpretentur, dicantque inter dantem & accipientem naturalem quandam citra omnem conſenſum naſci obligationem. Neque placet nimia quorundam in obſequijs aulicis ſedulitas, & ita iactata merita, vt ſub eorum nomine magis digni & idonei deterreantur; ſunt qui in Aulâ conſeneſcere velint, quos conuerſatio interdum ſacerdotio minimè digna delectet, qui in eligendis & reijciendis Epiſcopatibus faſtidioſi ſunt: hunc nolo quod multum negotij habeat, illum vt opulentiorem appeto. Nec Tylicius noſter nuper adepto Epiſcopatu Varmienſi, ſatis exiſtimationi ſuę conſuluit, quod munus Vice-cancellariatus, quemadmodùm iure noſtro præſcriptum eſt, non depoſuerit, id quidem, quoniam volente populo & Rege fecit, rectè ſe feciſſe exiſtimat: ſed omnis in patrias leges præuaricatio mihi minimè probatur, & vereor ne olim exiſtant, qui ad eius exemplum peſſimis artibus idem vſurpent, minis & terroribus, alieno Reipublicæ tempore, cum ſummâ ordinis noſtri inuidia, ſuam ſtabiliant coniunctam auaritiæ ambitionem. Mihi de Tylicij magni in Eccleſiâ & in Repub. viri facto parciùs idcircò dicendum videtur, quòd in proximis Comitijs hominum opinione, neſcio an Regiæ voluntati conſentaneâ, illius in hoc Magiſtratu ſucceſſor deſignarer: verùm ille feliciter fungatur hoc munere, ego me illius induſtriæ admiratorem magis, quàm oſorem ſemper præſtabo; noſtro quoque labori non deerit campus, dum interim in Eccleſiaſticæ functionis palæſtra deſudamus.

His temporibus correctus.

Donationes Aulicæ.

Obſequiorum ſedulitas importuna.

57 *Aulicorum negotiorum experimenta.* mus. Cæterùm, vt nunc is est rerum status, non omnino improbauerim hunc quoque ad Ecclesiasticas functiones adipiscendas per aulicorum negotiorum experimenta cursum, per quem summos plerosque viros optimos Episcopos euasisse videmus: Lubricus equidem ille est, & si rem accuratiùs expendere voluerimus, vix ab ambitionis labe immunis, & idcircò ferè sacris legibus vetitus. Sanctus Gregorius triplex Simoniæ genus statuit: Aliud, inquit, munus est ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ. *Sed hic in Simoniam procliuis lapsus;* Munus quippè ab obsequio est, subiectio indebitè impensa, munus à manu, pecunia, munus à lingua, fauor. Pulchreque idem sanctus Doctor ostendit excussas ab omni eiusmodi munere eum habere debere manus, qui sacræ functionis alteri conferendę habet potestatem. Neque tamen id ita accipiendum censuerim, vt omne obsequium damnem. Si oculus tuus, inquit Saluator noster, simplex fuerit,

58 *Nisi recto sine fuerint temperata.* totum corpus lucidum erit. In omni humanâ actione finis est, qui vel laudem vel vituperium operibus nostris conciliat: nam si quis eâ intentione ad Aulam accederet, vt nudo obsequio Principi impenso, sacerdotium sibi deberi existimaret, is fortasse illiciti ambitus meritò suspectus haberetur. Sed enim cùm obsequia Principibus nostris omnes debeamus, eaque cùm illis præstamus, per diuersas functiones vel Patriæ, vel Ecclesiæ, vtilem nauamus operam: quæ etsi non eo fine impenditur, vt in locum mercedis sacerdotium vel Episcopatum exigamus; tamen rectè & licitè Principis voluntas & liberalitas ad eos potissimùm extenditur, quorum diuturna experientia exploratam habet industriam, pietatem, doctrinam, quos scit functionis Ecclesiasticæ & Senatoriæ munus præclarè gesturos, idque in Republicâ nostra locum potissimùm habet: non enim Episcopi nostri satis suum munus explent, si in Ecclesiasticâ functione, ita, quemadmodùm sacris Canonibus prescriptum est, versati

59 *Aliàs reddunt Ecclesiasticos Senatoriæ dignitati idoneos.* fuerint, alia quoque negotia illis tractanda, alia onera sustinenda incumbunt, de quibus infrà vberiùs agemus. Non placet mihi, quòd plerique iuuenes nostri Clero adscripti, simul atque è scholis excesserint, statim ad aulam Regiam se conferunt, & Ecclesiasticarum functionum ignari, secularibus occupationibus assuescunt. Anteà quidem Episcoporum *Illi tamen priùs formãdi essent in Aulis Episcoporum.* contubernia, scholæ erant iuuenum Clericorum, recepti inter Episcopi familiares erudiebantur, instruebantur, formabanturque ad omnem pietatem, non segni otio, non turpi desidiâ transigebantur bonæ horæ. Carncouius meus, Archiepiscopus Gnesnensis, cui ego, vt cætera omnia, ita iuuentutis quoque meæ prima debeo rudimenta, solers accuratusque fuit in tractandâ & erudienda optimi cuiusq; indole, neminem segnem,

60 *Quod familiare fuit Stanislao Carncouio Archiepiscop. Gnesnensi.* neminem otiosum esse sinebat, cùm semper plurimos haberet, alios sacris ordinibus destinatos, alios iam Presbyteros, cohortem ille hanc suam Pretoriam appellabat; tali comitatu illustrior erat, quàm si nescio quâ phalange armatâ septus esset. Possem recensere plurimos eius institutionis alumnos, partim viuos, partim iam vitâ functos, qui ab eodem

in

in lucem producti & monstrati, satis summis in Repub. Magistratibus functi sunt, & adhuc funguntur, neque quenquam hactenùs pænituit institutionis Carncouianæ. Vigebat & adhuc viget (quanquam nunc optimus senex annis fessus languere videatur) in aulâ Carncouij, non industria modò tractandis quibuscunque arduis negotijs par, verùm etiam singularis omnium virtutum æmulatio: itaque multi viri, non modò doctrinâ, sed generis etiam nobilitate præstantes, sibi eum Ducem & Magistrum legebant, ille vicissim optimi cuiusque ingenij indagator accuratus, vnumquemque cui negotio aptus erat, admouebat: vegetior aliquis erat, eius operâ in obeundis legationibus, in sacris ad populum faciendis concionibus vtebatur, alium literis suo nomine scribendis, hunc maiorum monumentis euoluendis, illum præsentis æui rebus gestis memoriæ mandandis præficiebat, omnes sedulò operi esse intentos cogebat, singulorum laboris pensa frequenter exigebat. In eiusmodi palæstra virtutis & industriæ nos exercitati serò ad aulam Regiam accessimus, & quamuis in Comitijs adhuc coronationis moderni Regis, in numerum Regiorum Secretariorum, Carncouij & Hieronymi Rozdrazeuij Episcopi Vladislauiensis commendatione relatus essem, non nisi quarto pòst anno, cùm Tarnouius necessarius meus Regni Vice-cancellarius renunciatus, vt publicis Cancellariæ functionibus moderandis præessem, voluisset, vocatus ad Aulam veni. Quæ res non magis mihi, quàm Carncouio decori fuit, quòd ex eius contubernio productus, multis veteranis Regis Secretarijs prælatus essem. At nunc, qui per alias vias Aulæ se insinuant, eos videmus vel nullis adhiberi negotijs, vel certè impensis fessos, factâ patrimonij iactura, inglorios domum redire. Quod si qui sunt quibus ampliores facultates ad faciendos sumptus suppetunt, ij pessimâ aulicæ vitæ consuetudine corrupti ad commessationes, ad indecentes familiaritates, ad indignas sacro ordine occupationes se transferunt: hos, quamuis olim (potest enim id fieri) ad Episcopatus promouebuntur, putatisné vnquam hominibus persuasuros, vt de eorum vitæ puritate solidam concipiant opinionem? Ex Episcoporum itaque institutione satius est prodire, quàm in Aulico otio corrumpi, & semel factâ existimationis iactura vilem fieri.

Eius mirâ Ecclesiasticæ nobilitatis per varias functiones exercitatio.

Ab huiusmodi exercitatione Carncouij accessit ad aulam Regiam Pistroconius;

Sed & ad aulam nollem nisi vocatos venire clericos, eosque tales, qui negotijs tractandis adhiberi & præfici possint, ætate maturâ & initiatos ordinibus, quos non pudeat (pudet enim plerosque id re profiteri, quod nomine præseferunt) frequenter ad Altare Dei comparere; sacris sacrificijs faciendis instare; denique in omni genere pietatis exercendo sedulos esse, non vanæ opinionis & sanctitatis aucupandę gratiâ (absit impia hypocrisis) sed quia id maximè decet Sacerdotes, hoc munus, hæc gloria illorum est. Memini cùm Hieronymus Rozdrazeuius ex Pij V. Pont. Max. institutione, ab Henrico Rege euocatus ad Aulam venisset, ac vt in illâ pietatis officina didicerat & assueuerat, quotidie sacrosanctum 62

Et Hieronymus Rozdrazeuius ex curiâ Pij V. Pont. Max.

sacrificium

ſacrificium offerret, primò quidem non modò apertis pietatis oſoribus id mirum viſum, ſed nonnullos etiam Eccleſiaſticos viros ægrè tuliſſe, illum vnum reliquis alijs eminere velle; verùm poſtquam ſolida magni viri patuerunt pietatis fundamenta, tùm demùm non Aulici modò, ſed ipſe Rex Stephanus plurimi eum facere cœpit, adeò vt mox multis, qui annorum & meritorum prærogatiuâ præſtare videbantur, prælatum eum Epiſcopum Cuiauienſem renunciauerit.

Idcircò etiam Matthias & Stanislaus Lubienij à Pſtroconio ad domeſticam inſtitutionem ab aulâ euocati.

63 Libenter vobis talia propono exempla, & alios magis quàm me ipſum: quamuis vobis ipſis ſatis notum ſit, mihi quoque pietatem ſemper cordi fuiſſe, & in eâ palàm exercenda inuidiorum voculas contempſiſſe. Ego vtrumque veſtrum ab Aulâ idcircò abduxi, quòd eâ adhuc eſſetis ætate, quæ accuratiùs formanda inſtituendaque eſt, ſed ſpondeo & polliceor, olim vberrimos fructus ex hac meâ conuerſatione vos percepturos, facilioremque ad omnia aditum habituros. Laudo & probo, quòd noſter Ioannes Wezyk, cum quo vobis, non modò quòd eiuſdem ſit Sieradienſis Territorij, ſed magis deinceps in ſtudijs ſcholaſticiſque exercitationibus arctior contracta familiaritas intercedit, non tantoperè ad Aulam properet, malitque in conſortio Tarnouij Epiſcopi Vladiſlauienſis ſubſiſtere; ius ſummâ integritate pro eo dicit, & in ſcribendis nomine eius Epiſtolis operam ei nauat: Ingenium eius mihi valdè placet, parcus ſermone, ſed quotieſcunque verba facit, licet ea titubanti linguâ, quod vitium iuuentutis magis quàm naturæ in eo eſt, proferat, ex ijs tamen apparet acre illius iudicium, eruditio ſingularis, humani diuinique iuris notitia. Quid multa? Hic quoque non in aulâ modò gratus honoratuſque erit, ſed fortaſſe olim parem cum Tarnouio ſortietur fortunam, ego certè quantum in me erit, eius fauebo incrementis. Neque tamen inficias iuerim, etiam ab aulicis exercitationibus creſcere poſſe virtutem & pietatem, ſed id rarò admodùm, & certè tales nonniſi ſingulari gratiâ Dei adiuti, naufragia aulicæ nauigationis euitare, & ſe in portu pietatis collocare poſſunt. Ex eo numero his ipſis diebus renunciatus eſt Epiſcopus Culmenſis Laurentius Gembicius, in quo quid priùs mirer neſcio: eruditus eſt, pius, prudens, eloquentiâ verò ita præſtat, vt ab ineunte ætate feliciter Suadæ litaſſe videatur. Ibit & is per omnes honorum gradus, gratus Principi, gratus populo, & olim turbatis Reipub. rebus, comi & affabili ſermone militares componet motus, geſtiſque magnis Magiſtratibus, in ſummo faſtigio honoris poſitus, magno omnium bonorum dolore cedet è vita; vobis ipſis me vitâ functo, ſub eius tutelæ præſidio viuendum erit, & contra omnes inuidorum inſultus deliteſcendum. Nec Petrus Tylicius Epiſcopus Varmienſis Regni Vicecancellarius, vel Italiam, vel Germaniam vidit vnquam, non ſtudia vel Philoſophiæ, vel iuris, vel Theologiæ primis quod aiunt attigit labris, totus quantus eſt, creuit in aula Regiâ, & tamen priuato eoque diuturno ſtudio, in eum euaſit virum, vt eum vel in Senatu ſententiam dicentem,

Ioannes VVezyk pari modo apud Ioannem Tarnouium inſtitutus.

tem, vel nomine Regio responsa dantem, nemo non miretur, grauis & dignitatis plena eius Oratio, ita placidè in aures hominum fluit, vt solus decorum illud dicendi & persuadendi, in quo omnis vis orationis consistit, tenere videatur. Spectata verò eius pietas, candor animi, virtutum omnium studium, ita illum exornant, vt quamuis asperior moribus esse videatur, sæpeque irâ, nemini tamen noxiâ, commoueatur, vix tamen quisquam est, qui illum non amet. Paucis adumbraui vobis iter, quod hactenùs ij qui ad Episcopatus euecti sunt institerunt, vobis quoque per eandem gradiendum erit viam, eò vos & sors vestra, & vitæ genus, & mea denique promotio ducet, quæ omnia perinde accipere debetis, ac si Deum vocantem sequeremini, ille enim his medijs & modis quos anteà destinat in Candelabro Ecclesiæ suæ collocare consueuit. 64

Electio Canonica in Poloniâ in Regiam Nominationem transijt. *Inquisitio in vitam nominati.* *Bulla quæ incipit:* Onus Apostolicæ seruitutis.

Electionis Capitularis præsertim veræ vix iam vllibi aliquod extat vestigium, in cuius locum in Poloniâ, Regia designatio seu Nominatio successit: hanc Reges nostri initio temerè vsurpatam, postremò concedentibus Summis Pontificibus sui iuris fecerũt. In designati Episcopi genus, vitam, moresque inquiritur, ab ijs quibus id negotium ex præscripto Sacrosancti Concilij Tridentini incumbit; nuper quoque cùm ego postremò Romæ essem, piæ memoriæ Gregorius XIV. amplissimo dato rescripto, hunc ipsum inquisitionis modum luculenter definiuit. Intereà antequam summus Pontifex Regiam approbat designationem, grauissimarum pœnarum denuntiatione interdictum est, ne designati in Ecclesias bonaque illis adscripta, quidquam iuris sibi arrogent: sed præceps habendi desiderium protrudit plerosque vt omnes pœnarum obices audacter transiliant, & dũ priuilegium anni gratiæ, quod solis vitâ functis debetur, in subsidium cupiditatis suæ adsciscunt, duos in solidum, dum ex vno in alium transferuntur, Episcopatus tenent: neque ingeniosis desunt illicitæ possessionis fucata nomina, priorem Episcopatum retinent, sub titulo exigendorum redituum, meritis suis debitorum, alterum custodiæ eorum causâ quæ illis pòst obuentura sunt. Auaritiæ hæc sunt noxia velamenta, quibus & nonnulli iam vsi sunt, & alij fortasse quibus eadem frons, deinceps vtentur. Aliter mecum egit Laurentius Goslicki, proximè ex Prẹmysliensi ad Posnaniensem translatus Ecclesiam: nam cùm eo prætextu redituum Episcopatus Præmysliensis semissem à me petere potuisset, iocatus aliquantisper mecum quasi aliquid esset exacturus, postremò non tam meis rationibus, quàm rei veritate & æquitate adductus fassus est, minimè æquum videri, tali pensione egentiorem Episcopum Prẹmysliensem ab Episcopo Posnaniensi grauari: sic ille, sic alij, qui ab omni auaritiæ suspicione alieni esse voluerunt, factitârunt; nec quisquam hactenùs quod sciam fuit, qui ex Episcopatu Russiæ ad opulentiores Regni Episcopatus promotus exactione eiusmodi onerare præsumeret successorem.

65 *Nominatus nihil iuris habet in bona Ecclesiastica ante Papæ approbationẽ.*

Abusus non sine nota auaritiæ.

Factum præclarum Laurentij Goslicki ex Præmysliensi in Posnaniensem Episcopatum migrantis.

Sed ijs quos in eo gradu excellentiores & heroicæ quædam virtutes 66

collocâ-

Vocationis diuinæ in ambiendo Epiſcopatu habenda ſingularis ratio.

collocârunt, vt omnium opinione digni Epiſcopatu cenſeantur, imprimis diligenter attendenda ſpectandaque eſt Dei vocatio, quæ licet non per ea ſigna quibus & veteris olim legis præcipui, & Chriſti coruſcante fide plerique ad hoc munus gerendum deſignati & pertracti ſunt, diuinitus monſtrata appareat, multis tamen ſe prodit modis, vt eum, qui ſe

Homines manifeſtè improbos non dignatur Deus tali vocatione.

Matt.7.

Diuinæ voluntati totum commiſerit latere nequeat. Et imprimis ſciendum eſt à Deo non vocari manifeſtè indignos, nec tacitis inſpirationibus tales præueniri, vt ſupremam iſtam dignitatem deſiderent: ſi enim ille vetat dari ſanctum canibus, & mittere margaritas ante porcos, quomodo impulſu tacito accerſet eos, qui adinſtar vel rabidorum canum irâ exæſtuant, vel impurorum porcorum impuri & ſordidi fœdâ libidine

Quod per eiuſmodi miniſtros diuinus cultus vileſceret.

diffluunt? Nouit ille peccatores vocare vt tales eſſe deſinant, & efficere vt iuſti atque ad omne opus & munus ſacrum obeundum idonei fiant: eos verò qui ſponte & libenter ſceleribus ſe inquinant, nec reſipiſcere volunt, non inuitat ad ſacrum miniſterium, ſed potiùs futuros peccatorum medicos ab omni crimine puros eſſe vult, & ſaltem tales, quos præteritorum actuum ſyncerè pæniteat. Ieroboam quondam Apoſtatarius de-

3.Reg.13.

cem tribuum Iſraël Rex, vt cultum Diuinum viliorem redderet, Deoq; maiorem inferret contumeliam, faciebat de nouiſſimis populi ſacerdotes

67 excelſorum: quicunque volebat implebat manum ſuam (oleo videli-

Sine vocatione Dei Epiſcopatum anhelantium triplex indignitas.

cet, quod erat ſignum vncti ſacerdotis) & fiebat ſacerdos excelſorum: ſic ille ad falſorum Deorum cultum viles adhibebat ſacerdotes. At Deus noſter, & dum lex quondam naturalis vigeret, & poſteà dum ſcriptam idem traderet, dignitatis in eligendis ſacerdotibus primam habuit rationem, de qua re dicam poſteà. Sed ij qui non vocati ambiunt Epiſcopatum, aut propter improbitatem ſuam vitamque ſceleratam ſunt indigni, aut alio quàm decet fine, ob terrenum nempè aliquod commodum adſpirant, aut medijs modiſque illicitis nituntur; & ferè ſemper hæc tria in idem recidunt, nec enim vir probus & Deum timens, vel commodi cauſa ambiuerit Epiſcopatum, vel ambitum, modis illicitis obtinere contenderit. Tales erant quos in veteri Teſtamento ab altaris

Leuit.21.

acceſſu ſeuero interdicto arcuit & excluſit Dominus. Omnis, inquit, qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, non accedet ad miniſterium eius, ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo vel grandi vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore. Quæ omnia corporis vitia rectè animaduertit S. Gre-

In primâ parte Curæ Paſtoralis cap.11.

gorius ſpirituali ſenſu ad animæ maculas denotandas, à quibus puros eſſe vult Dominus nouæ legis ſacerdotes, & tantò magis Epiſcopos, tranſferri poſſe. Non ſit cæcus, non lippus, non albuginem in oculis, non impetiginem habens in corpore Epiſcopus, id eſt, non ſit ignorans, imprudens, & cuius oculos proprij amoris inordinatæ paſſiones ceu quædam cataractæ obfuſcârunt, quique perpetuâ libidinis impetigine exæ-

ſtuet.

ſtuet. Non ſit idem claudus, aut fracto pede, vel manu, ſcilicet qui non rectà iret per viam mandatorum Domini, vel robore animi, magnis operibus gerendis & ſuſtinendis pari non excelleret. Curuus denique ne ſit, hoc eſt ad res terrenas ne continuâ propenſione feratur, ſed cæleſtia potiùs illi curæ ſint, ad eaque & ipſe omni contentione adſpiret, & cæteri 68
vt id faciant, dux & auctor illis ſit. Ad extremum, non vocat Deus eos, qui ambitionis vel dignitatum, vel fortunarum ſtudio & deſiderio impulſi ad Epiſcopatum adſpirant, qualis ille erat Simon Magus, qui munus Apoſtolicum vendibile eſſe putans, obtulit pecuniam ad mercandam ſacram dignitatem, cui rectè S. Petrus reſpondit: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. rectè & ambitioſo dici poteſt: Ambitio tua tecum ſit in perditionem; quoniam putaſti ambitu humano parari poſſe donum Dei: quales erant Dathan & Abiron, qui cùm non eſſent de tribu Leui, id eſt, de generatione quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob, ambitioſè ſummum affectârunt ſacerdotium: quos diruptâ terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit cum tabernaculis ſuis, & vniuersâ ſubſtantia eorum, deſcenderuntque viui in infernum. Viui certè deſcendunt in infernum, quos libido, quos furor, quos radix omnium malorum auaritia, & nullis terminis habendi cupiditas circumſcripta, ita infernali mancipauit carceri, vt cùm inde ſe explicare nec velint, nec poſſint, rectè certiſſimas Orci victimas eos appellare poſſimus. Nec ſolùm ad terrendos vos hæc à me dicta exiſtimatote, veriſſima ea eſſe facilè exemplis conuincere poſſum, non remotis tantùm, ſed recentioribus etiam. Vdo ille Archiepiſcopus Magdeburgenſis, quem 69
ferunt ſanctiſſimæ Virginis beneficio, & ingenij, quo anteà carebat, excellentis acumen, & dignitatem Epiſcopalem conſecutum, cùm deinceps libidinosè viueret, ac tertiò diuinitus monitus, non reſipiſceret ab impuro Monachæ complexu, tractum ad iudicium Diuinum, accuſatum, ſceleriſque conuictum, & dignitate Epiſcopali exutum, æternis addictum fuiſſe inferni ſupplicijs, remque hanc adeò manifeſtè actam, vt eam Deus à pio ſacerdote, nocturnis precibus in Eccleſia vacāte, ſpectari oculis, ac denique ſigna fuſo ex cruore occiſi cadaueris, in marmoreo templi pauimento perpetua extare voluerit. An non ſimilis exitus Zauiſſę Curoſuancij Epiſcopi Cracouienſis? illuſtri quoque is in hoc Regno loco natus, ſed iuuenis, & vt reor, illicito ambitu, fratre Caſtellano Cracouienſi alijſque cognatis, quorum tunc erant præcipuę in Republicâ partes, adnitentibus, Epiſcopatum adeptus, illicitis indulgens voluptatibus in Dobrouodenſi prædio, fortè ruſticanam puellam altiùs à terrâ eleuatā, aceruum fœni componentem conſpicatus, dum per ſcalas conſcendit, & iam in cupitos ruit amplexus, in ipsâ obſcæni actus luctâ, lapſus ab alto, fractâ ceruice exſpirauit. Curatum eius funus in Eccleſiâ Cathedrali Cracouienſi celebri pompâ ab amicis ferunt: ſed nec tetros abfuiſſe Cacodæmones, eique qui viuus ſecretis libidinibus ſatiari non potuit, ſed pa- 70

Act. 8. 11. 18. & 20.

Eorum vita indigna, mors infelix.

Num. 6.

Quod oſtenditur exemplis.

Ac primò Vdonis Archiepiſcopi Magdeburgenſis.

Specul. Exempl. diſt. 9. Exem. 175.

Zauiſſæ Curoſuanſcij Epiſcopi Cracouienſis.

làm cunctis inſpectantibus, non vt homo, quem rationalis pudor abſtrahit à flagitio perpetrando, ſed vt bellua quædam ſcelus impurum exequi voluit, cum infelicibus tripudijs parentâſſe: auditoſque fuiſſe palàm concinentes impuram (quam fortaſſe Epiſcopus viuus occinere ſolebat) ad meretricandum inuitationem. Tales ſunt eorum exitus, qui, vt ſacra eloquia teſtantur, in bonis ducunt dies ſuos, & in momento labuntur ad tartara. Dicam vobis, quod narrante Carncouio didici: Petrus Gamratus Archiepiſcopus Gneſnenſis, idemque Epiſcopus Cracouienſis, illicitâ ambitione geminas opulentas dignitates conſecutus, vt prodigus & libidinoſus palàm audiebat: aderat comitatus qui Epiſcopum minimè deceret: menſam, vt cum Plauto loquar, ſtrues patinaria ornabat vel onerabat potiùs: aderant ſymphoniſtæ, paraſiti, ſycophantæ, mimi, ludiones, meritò ab Italis bufones appellati; ſtrepebat Aula illicitis clamoribus, Baccho & Veneri indulgebatur. Denique in eâ erat apud omnes opinione, vt nemo de Gamrato benè exiſtimaret, cuncti, vt perditè flagitioſum execrarentur, cuius cognomen etiam nunc turpibus & obſcænis facinoribus vocandis vſurpatur: vnum erat in quo non Gamratum, non lurconem, non ganeonem, ſed Epiſcopum agnoſcere poſſes. Pauperum & egentiorum ſingularem gerebat curam, ſingulis diebus ex eo numero centum erant, qui Epiſcopali mensâ & ferculis reficiebantur: dum iter faceret, duo currus onuſti lineis induſijs, & laneis tunicis, vel ſi hyems eſſet, ex pelle ouinâ conſutis veſtibus, ſequebantur, nudus vel malè veſtitus, ſi quis opem implorans obuius erat, veſtiebatur, viatico etiam donabatur: hic mos, ea conſuetudo familiaris Gamrato erat, cùm alioquin ipſe in tantis opibus, vt prodigi ſolent, egeret, ac ſemper ferè in dies viuens alieno ære grauatus, vſuras dependeret. Iam ſenior, iam morti proximus, nihil ex illicitâ victus & prodigalitatis ratione remittebat, &, vt opinari licet, præteritorum facinorum recordatio præcipitem eum, non ad ſpem miſericordiæ, ſed ad ſalutis deſperationem agebat. Sed veriſſimum eſſe quod Spiritus ſanctus per os Dauid Regis locutus eſt: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus, Gamratus quoque expertus eſt. Nam cùm annis feſſus, &, vt dixi, morti eſſet proximus, neque tamen de ſupremo vitæ exitu admodùm eſſet ſolicitus, accidit vt in peruigilio feſti cuiuſdam diei ad veſpertinas preces audiendas ad Eccleſiam iturus accingeretur, paratuſque in cubiculo aliquantiſper ſolus ſubſiſteret, ecce nota illi viri cuiuſdam nobilis Curoſſij, iam diu fato functi perſona apparet: familiariter ſecum mutuorum conſcij facinorum diu vixerant; exhorruit tamen ad viſam rediuiui hominis ſpeciem Epiſcopus, cumque ille vt metu poſito ſecum ageret hortaretur, paululum reſumpto ſpiritu Gamratus, etiamne tu viuis? & in quo tandem loco es, mortali perfunctus vitâ? Reſpondet ille: Viuo, longeque feliciori quàm vos fruor aurâ.

71 *Petri Gamrati ob ſolennes & largas eleëmoſynas felicior poſt vitam licentioſam exitus.*

Pſal. 40.

Tum

Tum Gamratus: Tuné quem flagitijs grauatum, & turpibus libidinibus me, prô dolor, conſcio fætentem è vitâ exceſſiſſe conſtat, inter eos ſis, qui felices ſunt? vix credo. Credes, inquit ille, mox, pauliſper modò ſuſtine. Iuuenis admodùm cùm in Germania eſſem, incidi in quendam, qui ſacrilego ore Sanctiſſimam Dei Matrem Virginem inceſtabat: ego flagitij impatiens, colaphum homini impingo; nec mora, ille, vt erat armatus, manu ad capulum admotâ, duellum mihi denuntiat; ego non ſegniùs ſtringo enſem, congredimur, nec diuturnum fuit certamen, nullo accepto vulnere ſacrilegum conficio. Et tunc quidem ne homicidij & duelli crimine ſuccumberem, fugâ mihi conſului. Deinceps vix aliquando ea res mihi in mentem venit, ſed cùm ſuprema adeſſet hora, animaque è corpore exitura, inſultantibus infernalibus hoſtibus conflictaretur, & ego exitij certus nullam reliquam ſpem haberem; ecce mox noua affulſit lux: Regina cæli Angelicis choris ſtipata præſtò aderat, diffugiunt infernales belluæ, neſcio quid horrendum frementes frendenteſque: at illa vultu benigno flexit in me miſericordiæ oculos: Mileſné, inquit, meus, defenſor honoris mei peribit? Abſit. Tum verſa ad Filium: En vterus in quo conceptus es, en vbera quæ ſuxiſti, hunc ego militem, quibus olim te ſtringebam brachijs complexum tantiſper tenebo, tu ſanguinem, quẽ ex meis traxiſti viſceribus ſtilla: ego efficiam vt ex eius oculis vberes fluant lachrymæ, abluendis ſceleribus ſufficientes. Dixerat, & ego ex deteſtatione anteactæ vitæ intimo concepto dolore ſingultibus concutior, lachrymas fundo, Patrem optimum me offendiſſe agnoſco, & annuente Sanctiſſimâ Patrona mea, ingenti illius amore exardeſco, affectu non voce, nã morbi vis vſum linguæ interceperat, atque ita ſupremis meis caſtiſſimâ Virgine aſſiſtente exſpiro. Anima è corpore egreſſa, Angelorum miniſterio fertur in cælum, illic non meritis meis, nam ea vel nulla vel ſatis exigua erant, ſed Diuinâ miſericordia, mihi per Patronam meam conciliatâ, æternam adeptus felicitatem verè viuo. Inde ad te nunc miſſus ſum, vt te ſupremorum tuorum admonerem: dudum iam merueras, vt tot beneficiorum acceptorum ingratus, morte ferali, ad exemplum Voluptarij Vdonis mulctareris, tuæ largitiones in egenos factæ, illæ epulæ quotidianæ mendicis exhibitæ, illæ veſtes, quibus nuda Chriſti membra texiſti, ne ex meritis tuis in te Diuina ſęuiret iuſtitia, prohibuerunt. Scito autem, te ab hinc ſexto menſe (tantum tibi indulget clemens Pater) moriturum, expende & diſpice, quid te interim agere oporteat, nam veniæ adhuc ſupereſſe locum, vel meo doctus exemplo, ne diffidas. His dictis ille quidem diſparuit. Epiſcopus in lachrymas reſolutus, neque eo die in publicum progreſſus, diutiùs ſolitò ſolus manſit, & niſi ſerò, quid ſibi accidiſſet, ijs, quibus maximè fidebat, patefecit. Nouerat Carncouius pleroſque qui cum Gamrato familiariter vixerant, quique ſupremis eius adfuerant, confirmabant illi ita vltimos ſex illos menſes, ab eo exactos fuiſſe, vt verè & ex animo peccata deteſtan-

tis hominis omnes numeros impleret: denique ſanctiſſimis Sacramentis ritè expiatum, cum optimâ æternæ ſalutis ſpe eum ceſſiſſe è vitâ teſtabantur. Fabulas videor vobis narrare, quæ tamen luculentis teſtimonijs probari poſſunt, ſed cernitis diuerſos hominum exitus, & Dei miſerentis inperſcrutabilia iudicia: Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, nec minùs timendum, ne facilè veniam deſperemus. Ex occaſione Curoſuanſcij, venit mihi in mentem vt expendam, pluſnè vtilitatis an incommodi Eccleſiæ obueniat, ex promotione eorũ, qui maiorum illuſtria nomina præferunt, & numerant pro dote triumphos. Poſſem multa adferre exempla, maioribus ferè ſemper diſpendijs & iniurijs res obnoxias Eccleſiæ fuiſſe, cùm tales illis præeſſent, qui ſolâ generis & ſtemmatum commendatione Epiſcopalem dignitatem adipiſcerentur: ferè enim euenire ſolet, vt immaturâ ætate pænè adhuc pueri, & quantum onus humeris ſuſcipiant ignari, obtrudantur Eccleſiæ, vel amicorum, vel Principum poteſtate, & molliuſculè educati, deinceps poſteaquàm adoleuerint, & ſtatum Eccleſiaſticum faſtidiunt, & ad militiam obeundam parum apti ſunt. In Germaniâ conuulſo religionis ſtatu, Principes Hæretici iura Eccleſiarum inuaſerunt, ſe tamen dici Epiſcopos volunt. Non diſſimiles ijs nonnulli Catholici, qui pari auſu, concedentibus Romanis Pontificibus (quid enim illis negarent) liberos fratreſque ſuos talari veſte indutos, nec quidquam aliud Eccleſiaſticum præferentes, Epiſcopos renunciant, qui deinceps adulti, & pane ſacerdotali paſti, tum demum deliberant, quid facto opus ſit: & ſi alia occaſio ſtatus ſui tuendi non ſuppetit, ſerò demum ad rem Eccleſiaſticam animum applicant. E noſtrorum Regum filijs, vnum ſcio Fridericum Caſimiri Tertij filium ſacris initiatum. Hunc, cùm cæteri fratres militariter educarentur, mater Elizabetha Regina Poloniæ indulgentiùs habuerat, & multis annis apud ſe tenuerat, & ille aſſuetus muliebri conſortio, difficulter poſteà meliora ſuadentibus obſequi voluit. Anno quidem ætatis ſuæ decimonono, Epiſcopus Cracouienſis, potiſſimùm matre adnitente, renunciatus fuit. Huic Petrum Tomicium, virum doctum & pium, nuperè Bononienſi ſtudio, ſummâ cum laudis & eruditionis opinione reuerſum, Caſimirus Rex adiunxerat, vt eſſet actionum ſtudiorumque illius inſpector & moderator: ſed quamuis ille ſeuerâ quadam Tomicij grauitate permoueretur, eoque veniente, pocula quibus cum ſodalibus euacuandis meliores horas impendere conſueuerat, citò auferri iuberet; nihilo tamen melior factus in omnem mox erupit licentiam: mors denique eius infamis fuit, quaſi ex turpi infectæ lue venereâ mulieris conſuetudine contracto morbo accelerata eſſet. Cromerus noſter hoc elogio eum proſecutus eſt: Fridericus procerâ ſtatura, aſpectu decoro ac dignitatis pleno, cæterùm ingenio nullo, iners, ignauo otio, crapulæ & aſſiduis compotationibus in fumo & ſordibus cum gregalibus ſuis quibuſdam marceſcens, & ad extremum morbo Gallico

Margin notes: Hebr. 10. 11. 31. — 72 (beside "nus Dei viuentis") — 73 (beside "ſcopos volunt") — *Parentum, non ſuâ voluntate facti Eccleſiaſtici, parum feliciter cedunt.*

Gallico confectus, teste Matthia Miechouiensi medico. Hactenùs ille. Et mirum est, reliquos eius fratres omnes Regijs virtutibus excelluisse, vnum ex illis vitæ sanctitate, vt statim à morte inter Diuos referretur meruisse, hunc è contra sacris addictum, paterno maternoque voto dicatum in meliorem frugem euadere non potuisse; sic vsu venit ijs, qui non suâ sed parentum voluntate, sacris functionibus admouentur, vt quasi auro Tholosano afflati, parum felices habeant successus. Quis nuper non in- 74
doluit funesto Andreæ Cardinalis Bathorei Episcopi Varmiensis exitu?is quoque voluntate Patrui Regis Stephani sumptâ togâ sacerdotali, primò Canonicorum Regularium Sepulchri Domini Custodum Miechouien. Præpositus renunciatus, & ad Cardinalitiam dignitatem, adiuncto Episcopatu Varmiens. promotus, Rege Stephano mortuo, semper aliam vitæ suscipiendæ rationem spectare videbatur; cumque iussu Clementis VIII. Pontificis Maximi, Germanicus Malaspina Episcopus S. Seueri, cum sacro Diaconatus ordine, & voto non amplius nubendi obstrinxisset, tum quoque testatus est, se pænè inuitum eò adigi, & mox leuitate patruelis sui Sigismundi Transyluaniç Principis, à fœdere, quod cum Rudolpho Cæsare icerat, temerè recedentis excitus, posita Cardinalitiâ Regalem purpuram induit: sed Transyluaniam iussu Cæsaris Michaële Valacho cum exercitu ingresso, fraude suorum proditus & occisus, documentum grande post se reliquit, seriò rem Diuinam esse tractandam, nec ad leuis auræ spem statum Ecclesiasticum deserendum. Verissimè enim Seruator noster: Nemo, inquit, manum mittens ad aratrum, & *Luc.9.v.26.*
respiciens retrò aptus est ad regnum cęlorum. Ad extremum, vt hanc vocationis Diuinæ necessariam considerationem finiamus, certissimò sta- 75
tuendum est, eos qui statum Episcopalem affectant, vt dignitatibus, honoribus, & opibus augeantur, à Deo non vocari: eos autem, qui vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem proximorumque commodum, præcipuum suscipiendæ tam sublimis functionis scopum sibi proponunt, certos esse debere, se motu cælitus immisso agi & vrgeri. Diligenter tamen & his expendendæ & supputandę sunt (idque iuxta Domini consilium) sedendo *Luc.13.*
rationes, an sumptus ad turrim altissimæ perfectionis extruendam illis suffecturi sint. Sed iam transitum ad ipsa functionis Episcopalis munia faciamus: dabitis autem veniam si longiori fessi sermone, reliquum hodiernæ diei tempus relaxationi animi & virium concesserimus, cras si liberum nobis erit, cætera exequemur.

Quid inter vocatos à Deo & non vocatos ad Episcopatum, differat.

Moris erat Pstroconio parciori sumptâ cœna, & aliquo pio sermone, 76
cùm nullâ re magis quàm verborum ne dicam obscænitate, sed solutioribus etiam iocis aures eius offenderentur, mediâ circiter horâ impensa, mox peractis, quibus flexis in terra genibus operam dabat precibus, & ad trutinam totius diei gestis, stricto & accurato examine reuocatis, veniaque à Domino petitâ, maturiùs cubitum se conferre; lectus non molli plumâ stratus, sed culcitra asperiori suppositâ, dormiturum

Pstroconij optima vitæ consuetudo.

excipiebat, ita & semiieiuno & durioribus stratis incumbanti, parcior quoque qui modò naturæ sufficeret somnus erat, & si priori peracto somno expergisceretur, toto corpore in terram proiecto aliquantulum sacris precibus vacabat, somno interim, si necessitas postulabat, nonnihil indulgens, sed ita ne vltra septem horas in lecto hæreret. Tum quoque maturè è somno expergefactus, vt aliàs semper facere solebat, nos accersiri iubet, ad dicendum secum sacri officij nocturnas horas; quibus dictis, cùm iustum temporis spatium ad sanctissimi sacrificij celebrationem solitæ, & piæ præparationi impendisset, nos sonitu campani æris signo dato adfuimus. Ille sacris operatus, vt semper aliàs, iterùm ad preces versus, tacitâ mentis consideratione expendebat accepti beneficij magnitudinem, suauitate odoriferâ vini illius optimi perfusus, quod cælestis sponsus dignum iudicat dilectis suis ad potandum, & dentibus eorum ad ruminandum, atque in secretum cubiculum mentis suæ ingressus, præsenti Domino supplex suas & Ecclesiæ suæ necessitates eidem offerebat. Denique sepulchri Domini memor, quod cùm repositum in eo esset corpus Domini, munitum fuisse signatis lapidibus, appositosque custodes, refert Euangelista, ipse custodiam Angelicam cordi suo apponi precabatur. His peractis, progressus in publicum, cùm paululum expectasset, & interrogasset, an esset aliquis qui negotium haberet, qui suam opem & operam posceret; cùm constitisset neminem ad præsens adesse, iterùm ad cubiculi sui vicinum Musæolum se retulit, cęterisque exclusis, & nobis manere & sedere iussis, hesternâ die intermissum sermonem tali executus est oratione.

Deuotio Pstroconij erga Sepulchrum Domini.

77 Confusiùs hesterno die rem actam esse à me, quàm initio proposueram non diffiteor, nec enim solùm ea dixi, quæ de hac materiâ dicenda erant, quamuis multò plura & alio fortassis ordine dici poterant, verùm etiam cùm pleraque occurrerent ab instituto dicendi genere non abhorrentia, ea quoque prætermittenda esse non putaui: neque enim præceptis solùm imbuendi estis, sed tantò magis exemplis, quæ plerumque & infixa memoriæ hærent diutiùs, & ad omnes præclaras actiones summâ cum laude suscipiendas expeditum monstrant iter. Nunc propositi mei memor, caput illud aggredior, in quo à nobis agetur de functionibus Episcopalibus, quæ Episcopo, posteaquàm cura animarum illi iam demandata est, possessionemque Episcopatus ritè adijt, incumbunt. In eâ verò amplissimâ materia, non me penitùs demittam eò, vt singula quæque percenseam, dictaque auctoritate sacrorum Canonum confirmem; in ijs, quæ omnibus apparent, versabitur oratio mea. Si fortè hæc ipsa accuratiùs & subtiliùs pertractata scire volueritis, ad eos vos remitto, qui ingentibus voluminibus, Praxes Episcopales vulgò inscriptas, editis, quidquid hac de re dici potuit, complexi & executi sunt. Ego verò illud vnum Seruatoris dictum ante oculos habens, quod posteàquam renunciatus sum Episcopus, semper videtur insonare auribus meis, Pasce oues meas

Dicendorum in hâc tractatione caput alterum.

Quid oneris ritè ordinato Episcopo incumbat.

Ioann. 21.

meas, in tam paucorum verborum consideratione subsistam, & rudiori stylo Episcopum, qui idem sit Senator, vobis depingere adnitar. Primò tamen recensendæ mihi sunt virtutes, quibus Pastorem animarum exornatum esse oporteat: cùm enim is ardui muneris functionem subiturus sit, & gregem Dominicum per viam mandatorum Domini deducturus, errabit proculdubio, & alios errare faciet, nisi iter tam anceps & difficile, illi antea optimè notum & sæpè tritum fuerit. Perfectionis statum profitetur Episcopus, ad eum autem communi Theologorum sententiâ tribus ascenditur gradibus, per vias quas purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam vocant, dispositis. Hanc Apostolus insinuare videtur illis verbis: Finis præcepti est charitas, de corde puro, & de conscientia bonâ, & fide non fictâ. Amatur puritas animæ, & splendor bonorum operum, & fides ac fidelitas in coniungendo se Deo. & hinc profectam fuisse trinam illam Domini interrogationem amoris, vt Petrus cæterique futuri animarum piscatores intelligerent, se debere esse eminentes in cordis puritate, ab omni culpâ & imperfectione liberos, quantum fragiles humanæ vires sinunt. Eosdem non eis tantùm virtutibus, quæ præceptis Diuinis comprehensæ sunt, nam sine his puritas animæ haberi non potest, sed longè excellentioribus & heroïcis operibus præditos esse oportet, quibus exculti & ornati, perpetuam habeant cum cælesti sponso vnionem, qui pollicetur se dilectos suos sibi sponsaturum in fide, in iustitiâ, in misericordiâ. Excellere autem dico Episcopum debere, ac subditis suis perfectiorem esse, eâ perfectione, qua Magister discipulos, qua Pastor oues superat: quod sanctus Gregorius bonorum Pastorum idea verissima, pulchrè his explicat verbis: Tantum debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris. oportet namque vt metiri se solicitè studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum curam, in occupatione externorum non minuens; externorum prouidentiam, in internorum solicitudine non relinquens. Hæc est illa Angelica (Angelos enim Dominus Episcopos in Apocalypsi appellat) perfectio, quam tantus vir Spiritus sancti instinctu descriptam nobis reliquit. Ac vt magis appareat Episcopos ad hanc esse obstrictos perfectionem, ex ipsiusmet Seruatoris verbis eam colligamus, quibus sublimia illa beatitudinis consequendæ monita, in personis eorum, quos in montem excelsum seductos informabat, futuris quoque præscripsit Pastoribus; voluit enim eos esse pauperes spiritu, mites, esurientes & sitientes iustitiam, lugentes eius defectum, misericordes, mundos corde, pacificos, & patientes persecutionem propter iustitiam. Eandem Pastorum

[Margin: 78 *Quibus virtutibus clarere debeat.* — *Episcopus perfectionem professus.* — 79 *Quam sublimem.* — Oseæ 2. v.20. — 2. Pastor. c.1. — *Penè Angelicam.* Apocal. 2. — 80 *Ad eam quomodo obligati Episcopi.* — Matt. 5. v. 3.]

perfectionem ad tres gradus superiùs notatos reductam, ijs expressit similitudinibus. Vos, inquit, estis sal terræ. Ad quid? nisi vt corrupta putredine & tabo diffluentia vulnera, admoto hoc salutari condimento siccent, purgent, & sanent. Vos estis lux mundi, vt & ipsi luceant, & alios splendere faciant: vos estis Ciuitas supra montem posita, in quâ tota perfectio, & illa cum Deo vnio comprehenditur, quam olim in veste poderis totius orbis imagine sculpta, referebat summus Israëlitici populi Sacerdos. Et quoniam vestimentorum sacerdotalium, quibus vt anteà ex Diuo Chrysostomo annotauimus, sanctitas Sacerdotij nouæ legis designabatur, facta est mentio, inspiciamus tam pretiosi ornamenti Diuinum opus, in quo duo consideranda veniunt, alterum est pretiosissimũ & electissimum stamen, byssus retorta, hyacinthus, purpura, coccus bis tinctus, fila aurea; alterum pretiosi lapides in varios distincti ordines, nam in ipso pectoris cooperimento, erant duodecim lapides, in quatuor ordines distributi, tres in singulis inclusi auro, & in eis sculpta erant nomina filiorum Israël, in singulis lapidibus nomina singulorum per duodecim tribus. Erant & alij duo lapides, magni pretij auro inclusi, quorum alter dextro, alter sinistro humero ita erat affixus, vt in illo quidem sex natu maiorum filiorum Israël nomina, in isto totidem iuniorum essent expressa. Huius tam pretiosi ornatus, cùm consecramur peculiari precatione fit mentio his verbis: Vt quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate signabant, hoc in eius (videlicet qui consecratur) moribus actibusque clarescat.

Matth. 5. v. 19.

81 *Eiusdem perfectionis typus in legis antiquæ Pontificis vestitu adumbratus.*

82 Splendere in Episcopis debet, ex intellectu & sententiâ sancti Gregorij, byssus retorta, puritas scilicet conscientiæ, adhibitâ mortificatione earum rerum, quæ possent eam aliquâ culpæ macula inficere. Hyacinthus, intẽtio cælestia spectans, terrena contemnens: Purpura Regium indumentum asperius quidem, vt patientiam designet, dominium tamen ac robur ad molestias magno animo ferendas præbeat: Coccus bis tinctus charitatis Dei proximique amore eiusdem penè coloris notatus: Aurea fila ad contemplationem sapientiæ cælestis referuntur.

83 *In Pontifice Iesu Christo crucifixo magis expressus.*

Iam in lapidibus singulis, singulas vt percenseamus notatas virtutes, longioris sermonis tela esset texenda. Sed ipsum exemplar perfectionis Iesum Pontificẽ, in Arâ crucis sacris operantem aspicere suffecerit: ornatus eius nuditas & paupertas: si carneis oculis credere & decipi velimus, Iudæis scandalum, gentibus stultitia; sed credentibus en pectus ornatum rationali ornamento, lapidibusque pretiosis distincto. Sardius imprimis splendet, qui coloris est ignei, terretque feras, est feruens zelus, qui instar ignis contendit omnia vitia adeò strenuè comburere, vt terreat peccatores, & ipsos peccatorum auctores Dæmones. Topazius à Plinio omnium lapidum pretiosissimus existimatus, incensus Dei & proximi amor, & ipsemet charitatis actus, ex quo oritur zelus omnium virtutum præstantissimus. Smaragdus viridi eoque excellenti colore, spem designans futu-

1. Cor. 1. v. 23.

futurorum bonorum. Carbunculus noctis discutiens tenebras & circumstantes illuminans: Saphyrus cælesti splendidus colore, quo tamen nouę legis Nazaræi pulchriores esse debent: Iaspis solidus & fortis ad columnas muri cælestis extruendas idoneus, quique phantasmata depellendi, id est, falsas de fide opiniones euellendi, habet vim. In tertio ordine Lygurius siue Lynacrius, huic cum Lyncis vrina congelata sit origo, humilitatem significet, conuenit; hæc enim licet pretiosa sit, oritur tamen ex consideratione propriæ vilitatis, quæ vix nisi Lynceis oculis qui non falluntur, nec falsâ tumoris imagine seducuntur, videri & agnosci potest. Non libenter enim audimus: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Achates suâ nigredine pœnitentiam designans, aliquibus tamen qui ei insunt circulis albis, candorem indulgentiæ præsefert. Chrysolitus velut aurum perlucidum, similis colori marino, paupertas spiritus & contemptus rerum omnium, cum generosâ quadam animi magnitudine; talis erat Angelus quem Daniel vidit, cuius corpus erat quasi Chrysolitus. Onychinus cuius color & figura vngui adfinis est, nisi quod eximio candore niteat, quo castitas rectè designatur. Berillus colorem habens inflammatum adinstar aquæ, in quâ sol suos reflectit radios, virtutis temperantiæ & abstinentiæ symbolum. Hæc sunt intimi Pontificis nostri pectoris ornamenta: en exemplar monstratum in monte Caluariæ, ad illud se conforment omnes Episcopi, & insuper vtrique humero, Dei proximique charitatis geminas imponant gemmas margariti inæstimabilis. Paucis hæc ego vobis ex Ethymologicis Isidori libris; si tamen maturiùs & exactiùs ea expendere volueritis, vberiores inde thesauros vobis haurire licebit. Sed fortassis licebit nobis non solùm splendorem vestitus Pontificialis tot collucentibus lapidibus illustrati, sed onus etiam eorundem lapidum considerare, qui tanto pondere gestantem premunt, vt quamuis Gigas sit, gemere eum oporteat. Magnæ & Giganteæ magnitudinis fuit mulier illa, quæ Lunā habebat sub pedibus suis, & sole erat amicta atque ipso capite stellas contingebat, nihilominùs gemebat & clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret: Nempè quia Draco nefarius hianti ore partum eius deuoraturus in conspectu erat. Gigas erat sanctus Paulus, qui tamen iterum Galatas parturiens, se doloribus partus cruciari testatur. Ille denique Gigas, qui exultauit ad currendam viam, cuius à summo cælo egressus, qui perditam primò, mox repertam ouem humeris referens tanti oneris pondere, & in horto sanguineum sudat sudorem, & crucis grauatus magnitudine, succumbit in viâ, licet aliàs cæli terræque Principatum suis sustineat humeris. Summa dignitas est pretiosis auro insertis fulgere lapidibus, quales sunt animæ Christi sanguine redemptæ, sed si thesaurum istum vasis fictilibus inclusum expenderis, rem magni periculi esse cognosces, & Ætnâ grauius hoc onus esse fateberis. Audiamus Moysen virum mitem, virum populum illum amantem, virum Diuini honoris zelo ardentem: hic tamen tan-

Gen.3.v.19.

Dan.10.v.6.

84 *Muneris Episcopalis splendidum onus ampliùs expenditur.*

Apo.6.12.

Gal.4.v.14.

Psal.18.v.16.

Luc.15.v.6. & 9.

85 *Quàm graue sit & periculosum, etiam exemplis illud fugientium commonstratur.*

tantus Gigas, vt ſub pondere quod ex curâ ſalutis animarum illi incumbebat gemit, & penè ſui oblitus vociferatur. Cur, inquit, afflixiſti ſeruum tuum? & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi ſuper me? nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram, pro quâ iuraſti Patribus eorum? Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi: ſin aliter tibi videtur, obſecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Sic ille: ſic reliqui, qui tanto ponderi vel inuiti humeros ſupponebant, vel quantùm poterant, in abditas etiam ſe condendo ſpeluncas, onus Angelicis etiam humeris formidabile fugiebant: vt ille de quo ſcribitur, cùm electione legitimâ Epiſcopatus illi delatus eſſet; illeque periculum expendens, Abbatem virum ſanctum & Prophetiæ ſpiritu præditũ, acceptanduſné eſſet Epiſcopatus, conſuluiſſet: iuſſus ab Abbate altum quoddam tectum, quadratum tamen & planum, nec vllis ſeptum repagulis conſcendere, & in eo poſito corpore volutari; cumque id faceret, & margini proximus ceſſaret, Perge, inquit Abbas, ſemel & iterum voluere. Non audeo ampliùs, reſpondit ille, nam proximus pręcipitio ſum: deductum inde mox, cùm in humili & patenti loco idem facere iuſſiſſet, illeque citra periculum longiùs ſe volutaſſet; Vade, inquit Abbas, & in acceptando Epiſcopatu vtriuſque loci diſcrimen ante oculos habeas. Ita ille repudiato Epiſcopatu deinceps vitâ functus apparuiſſe dicitur, & narraſſe ſe, ſi Epiſcopus factus fuiſſet, periturum fuiſſe. Neque ad terrendos vos hæc dico, ſed vt admoneam cautè nimiùm & cum timore ac tremore ad hoc onus acceptandum vnumquemque accedere debere. Sed iam acceptato onere Paſtorali, quid potiſſimùm hoc onere contineatur videamus. Et imprimis poteſtas & iuriſdictio ampliſſima. Sunt enim Epiſcopi in cœtu Presbyterorum, vt Principes, decernuntque & leges ferunt ſuo arbitratu, maximè in Concilijs generalibus, vt ex illo Calcedonenſis Concilij edicto probatur. Foras ſuperflui, Concilium Epiſcoporum eſt: & Concilij Baſilienſ. decreta, idcircò vim ſuam non tenuerunt, quòd in eo admitterentur ſimplices Presbyteri ad decidendas fidei cauſas, & plures eſſent Epiſcopis. De Abbatibus ſecùs fortaſſis exiſtimandum eſt; nam in Concilio Tridentino cùm ei præſediſſe CCLV. Patres, dicantur, nequaquàm is numerus conficeretur, niſi & Abbates, & Ordinum, & religioſorum Præſides computarentur. Sed hac de re aliorum ſit iudicium. Habet prætereà Epiſcopus thronum vel ſolium in Eccleſiâ altiùs eleuatum, ſupremæ dignitatis ſignum; olim ante Cardinales Presbyteros & Diaconos locum in Concilijs generalibus habebant. Habet item Epiſcopus poteſtatem ordinis & iuriſdictionis. Ordinis ad conficiendum Chriſma, & alia ſacra olea, ad conferendos omnes ſacros Eccleſiaſticos ordines, ad Eccleſias, altaria, virgines conſecrandas, polluta cœmeteria & templa reconcilianda, Sacramentum Confir-

Num. c. 11.

In Reg. Mon. c. 15. Tom. 4.

86 *Epiſcoporum poteſtas & iuriſdictio.*

87

Confirmationis conferendum, ad actualem Clericorum depositionem, & his similia. Neque enim omnia explicare nostri est instituti, vti nec iurisdictionis terminos oratione nostrâ exequi necesse est; multis enim & pænè infinitis numeris ea constat: neque enim Ecclesiasticæ solùm causæ Episcopi iudicio subijciuntur, sed quidquid ad rationem curandæ salutis pertinet, etiamsi extra territorium fori Ecclesiastici esse videatur, huc reuocandum est: ita sacræ, ita profanæ leges voluerunt, hoc pij & optimi Principes sanxerunt. Reuoluite non amplissimos Imperialium 88
modò legum Codices, sed Statuta nostra, piasque maiorum nostrorum sanctiones: reperietis, quantum Principes, quantum maiores nostri permiserint Episcopis, quibus olim spiritualem gladium stringentibus, cæteræ omnes iurisdictiones parebant, ac iussa exequebantur. Hoc primùm sæculo, ac pænè nostrâ memoria, impietas extorsit hunc mucronem salutis è nostris manibus. Videlicet pessimè habebat diabolum esse in hoc Regno, qui summâ cum potestate, & ex nobili, vt Iurisconsultorum verbo vtar, officio, Hæreses, blasphemias, adulteria, veneficia, incantationes, incestus, periuria, & id genus infernalia monstra, quæ nunc impunè perpetrantur, punirent. Libertas à plerisque prætenditur, cui scilicet graue erat potestati sacræ submittere caput, cùm Principes Christiani optimi quique eâ corripi & puniri ab Episcopis voluerint; soli ij, quibus pietas non erat cordi, iussa & monita eorum respuerint. Nec ad externa 89
vos vocabo, domesticis contenti erimus. Boleslaus, cui res præclarè gestæ Audacis nomen pepererunt, à S. Stanislao Episcopo Cracouiensi monitus, vt eius dicta spreuerit, vt irâ exarserit, vt sanctum Pontificem parricidiali cæde & morte sustulerit, notum est orbi vniuerso. At Vladislaus Iagello, Neophytus licet, cùm Gnesnæ ob pignoratas ab eo facultates adscriptitiorum Ecclesiæ, Nicolaus Strosberg Archiepiscopi in spiritualibus Vicarius, sacris Ciuitati in quâ Rex morabatur, interdixisset, non modò æquo animo id tulit, verùm etiam res interceptas restituit. Acres item illæ Zbignei Cardinalis expostulationes in Senatu factæ, etsi nonnihil molestæ eidem Regi fuerunt, tantum tamen abfuit, vt eas vlcisceretur, vt etiam moriens, & munere quod charissimum habebat, Zbigneum cohonestârit, & obiurgatorem suorum criminum, eundem liberis suis supremæ voluntatis suæ declaratione, tutorem constituerit. Sic fecerunt reliqui omnes: vt Theodosius reprehensus ab Ambrosio, & ab ingressu Ecclesiæ, ob cædem Thessalonicæ factam, prohibitus, non erubuerit prosterni coram Episcopo, supplex veniam & pœnam ad expiandum delictum, vt sibi imponeretur, petere. Noster quo- 90
que Casimirus Tertius huius nostri Regis Sigismundi proauus, post illam ad Choyniciam infelicem pugnam, cùm passim carperetur, quasi ob eius minùs æquum imperium, pauperumque exactionibus militaribus oppressionem, ea clades accepta esset, idque Deus cuidam Sandiuogio Theologo Canonico Gnesnensi, viro pio & religioso manifestasset, iussisset-

Impietas seu temporum iniquitas plurimum de liberâ agendi potestate Episcopis derogauit.

Eximia Episcoporum libertas in castigandis Principum delictis.

Grata Vladislao Iagelloni.

Theodosio Imperatori.

Casimiro III. Regi Poloniæ.

iuſſiſſetque vt Regem adiret; ille cæleſtibus parens monitis, impetrauit à Rege, vt excluſis arbitris cum eo agere poſſet. Ibi iuſſo Rege vt ſurgeret, & ſtans mandata Dei audiret, magna Dei beneficia, & ipſius ingratitudinem peccataque exprobrauit, & ni mutaret mentem, grauiora cõminatus eſt; æquo animo ferente Rege, acerbiorem admonitionem melioraque de ſe pollicente.
91 Et quoniam noſtrorum Regum facta eſt mentio, Carncouius quoque cùm adhuc eſſet Epiſcopus Vladiſlauienſis,

Sigiſmundo Auguſto.

cumque ſpargeretur Sigiſmundum Auguſtum Regem in proximis, quæ tum futura erant Comitijs, neſcio quid in fauorem hæreticorum decreturum, & ſuam quoque ſententiam de religione explicaturum, exarſit zelo tuendæ religionis Catholicæ, Regemque acrioribus literis & hoc nomine, ac item quod eius libidines magno ſubditis eſſent ſcandalo, accuſauit. Quod Rex ſuâ manu Epiſcopo reſcripſit, obiurgationem Epiſcopalem ſibi gratam eſſe, eamque perinde accipere, ac ſi paterna voce moneretur; religionis negotium ſe attingere nolle, præſentem vitæ ſuæ ſtatum ſibi vel maximè diſplicere, & daturum operam, vt iuuante Deo,
92 deinceps ſecundiori famâ reliquum vitæ tranſigeret. Libenter & hoc exemplum ſuperioribus adieci, quòd non modò ad Sigiſmundi Auguſti Regis, ſed ad Carncouij quoque mei laudem ſpectat. Vtilis ſemper erat & Regibus & Regno libertas Epiſcoporum, cùm ij non ad adulationem compoſito ſermone, non vt Principis animum irritarent, vel odium illi conciliarent, ſed vel priuatim ſemotis arbitris agerent, vel publicè etiam, ne quid cum detrimento Reipublicæ fieret, obſiſterent. Feruentior hâc in re & acrior fuit Ioannes Lubranski Epiſcopus Poſnanienſis, meus, vt

Sigiſmundo Primo.

ſcitis Proauunculus. Nam cùm Ordines Regni à Sigiſmundo Primo vehementiùs vrgerent, vt vectigal quod à mercibus, quæ in Regnum inducuntur & hinc educuntur, Reipublicæ condonaret, Rexque renitens & pænè iratus capulo enſis manu admotâ ſibi id eripi nõ ſiturum oſtendiſſet; enimverò ſurgens è ſella Senatoria Lubranſcius, & feneſtram, ex qua in circumiectam aream proſpectus patebat, effringere conatus, magnâ voce vim à Rege Senatui fieri inclamat. Rex modeſtior & intemperie Epiſcopi pænè in riſum ſolutus: Sedete, inquit, Domine Epiſcope, ſit pax rebus, vis procul abierit. Sed hunc vitæ ſuæ ſanctitas & exiſtimatio, quâ æuum illud illuſtrauit magnum, & poſteritati memorabilem fecerunt.
93 Illud verò præclarum & ſacro ordine dignum Epiſcoporum Poloniæ factum.

Factum excellens Epiſcoporum Poloniæ in Senatu.

Caſimirus, cui cognomen Magni, non tam Regiæ virtutes, quàm procera corporis ſtatura pepererat, otioſis libidinibus magis quàm bello aptus, turpi tranſactione coactis Vladiſlauiæ Comitijs Anno 1343. totius Pomeraniæ poſſeſſione Cruciferis ceſſerat, eque ſigillo Regni titulum quoque eius Prouinciæ eraſerat, oblitus patrem ſuum Vladiſlaum Locticum teſtamento cauiſſe, filijque & Procerum Regni fidem iuramento obſtrinxiſſe, ne vnquam patrimonio ſuo terrâ Pomeraniæ cederent, ablataſque & auulſas per fraudem à Cruciferis Regni

Pro-

Prouincias, armis vt vindicarent. Sed tum Vladislauiæ, & pòst Calisiæ, vbi diplomata confecta sunt, nemo Regi obsistere ausus, non Senatores, non Duces Masouiæ, soli Episcopi dedecus tantum abominati, Regi nequidquam frementi obnunciàrunt: datoque publicè scripto & dissensu suo manifesto, totum turpis transactionis negotium infectum reddiderunt. Quæ res tunc fortassis parui momenti videbatur esse, sed deinceps maioribus nostris ad recuperandam eam Prouinciam armis & iure adspirantibus, magno adiumento fuit ea Episcoporum renitentia, & contestatus dissensus, ad ostendendam & comprobandam causæ & iuris quo respublica nitebatur, æquitatem. Extat nunc quoque in Archiuij Cracouiensis scrinio hæc ipsa contestatio, à solis tantùm subscripta & signata Episcopis, nam cæteros Senatores metu Regiæ offensæ, ne hiscere quidem ausos fuisse, credibile est. Et hæc occasione per vim ereptæ Ecclesiasticæ iurisdictionis hîc à me dicta sunt, quæ alio loco commodiùs dici poterant. 94

Diuino iure videtur teneri Episcopus ad residentiā, vt patet ex multis S. Scripturæ locis.

Quæri quoque solet, humanoné tantùm, an Diuino iure Episcopus semper in Diœcesi suâ esse, & per se munus Pastorale obire teneatur; & hanc posteriorem tutiorem esse sententiam, communis Theologorum opinio meritò existimat. Sic olim Deus in veteri Testamento Aaroni eiusque filijs præcepit: Excubate in custodiâ Sanctuarij, & in ministerio altaris ne oriatur indignatio super filios Israël. Et alibi scriptum legimus: Agnosce vultum pecoris tui, & greges tuos considera. Hinc illa Dei apud Ezechielem expostulatio: Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso; & super omnem faciem terræ dispersi sunt, & non erat qui requireret. Illud verò ipsum terribile quod Dominus per Zachariam minatur negligentibus Pastoribus, deserentibusque gregem suum. Sume tibi, inquit, vasa Pastoris stulti, quia ecce ego suscitabo Pastorem in terrâ, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet. O Pastor & idolum! derelinquens gregem, gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius. Quid enim aliud est Episcopus tiarâ & baculo ornatus, si non fungitur suo munere, nisi idolum quoddam, cui sine vlla causâ, nisi quòd extrinsecè niteat, honor exhibetur? Denique Pastoris nomine non dignatur eum Dominus, qui lupo viso fugit, tantò minùs eum, qui nullo metu, nullaque de causâ gregis sui custodiam deserit; nam & hic merus est mercenarius, cùm pastoris sit officium, proprias oues vocare nomine suo, educere eas ad pascua, illisque ducatum præbere. Causam autem cur tam accuratâ diligentiâ opus sit, explicat S. Paulus Apostolus: Attendite, inquit, vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Grande Christi gregis pretium est sanguis ex eius fusus corpore, ex eo si quid Pastoris socordiâ perierit, meritò Dominus ipsius quoque

Prou. 6. 27.

Ezech. c.34.

Actor.20.

95 ſanguinem in vltionem tanti detrimenti repoſcet. Nec tamen ego adeò ſtrictam rationem reſidentiæ ab Epiſcopis noſtris exegerim, vt ſi interdũ Reipublicæ causâ à Diœceſi abſuerint, illos continuò damnandos cenſeam. Comitia Regni obeunda illis ſunt, ſæpè ad Aulam veniendum, interdum grauis aliqua legatio nomine Regis & Reipub. obeunda; ſed hæc omnia cùm Eccleſiæ ipſiuſmet cauſa fiant, nec alio fine ab Epiſcopis ſuſcipiantur; perinde eſt atque præſentes eſſent in ſuis Eccleſijs. Sed neque ij qui reſident, eo ipſo exiſtiment ſuo muneri à ſe ſatis fieri. Reſidentia enim vſum & exercitium miniſterij in ſe comprehẽdit, nec enim ad nudum nomen demonſtrandum Epiſcopi dicuntur, ſed ad actiones illorum muneri incumbentes ſtrenuè obeundas: vnde Seruator noſter, non dixit Petro, ſis Pontifex; ſed paſce oues meas: & qui vocatur ad Epiſcopatum, non ad Principatum vocatur, ſed ad ſeruitutem totius Eccleſiæ; & propter officium datur beneficium. Ita quoque Cap. Quia nonnulli, de Clerico non reſidente. Alexander III. in Concilio Lateranenſi decreuit: His tantùm dandum eſſe beneficium, qui reſidere in loco, & curam animarum per ſeipſos exercere poſſint. Recteque concluditur ad reſidentiam duo copulatiuè requiri, alterum vt is qui beneficium habet,

96 in eo reſideat; alterum vt Eccleſiæ in ſuo ordine inſeruiat. Ad eiuſmodi reſidẽtiam Epiſcopos obligari, ſatis luculentis ſacræ Scripturę teſtimonijs docuimus, id & ratio ipſa ſuadet. Eſt enim Epiſcopus ſponſus Eccleſiæ, is autem diuinâ humanaque lege pactis matrimonialibus tenetur cohabitare coniugi ſuæ, vt eam totamque familiam ſuam gubernare poſſit, ne ex diuturnâ abſentiâ eueniat, vt illa fidem frangat, ad inſtar illius mulieris, quam Salomon refert, iuuenem ineſcatum blandimentis meretricijs, ad ſuos illexiſſe complexus, hoc adiecto ſuæ nequitiæ prætextu: Non eſt vir in domo ſuâ, abijt viâ longiſſimâ, ſacculum pecuniæ ſecum tulit, in die plenæ lunæ reuerſurus eſt. Ita viciſſim euenit, vt per abſentiam Epiſcopi, plura ſpiritualia admittantur adulteria, quæ præſente Paſtore euitari potuiſſent. Eſt item Epiſcopus Eccleſiæ nauis gubernator, quæ cùm ſemper procelloſis iactetur fluctibus, ne puncto temporis à regimine illius abeſſe licebit. Sic olim Noë arcam ingreſſus, ſemper in eâ manſit, & quamuis ceſſaſſe diluuium, aquas ſiccatas eſſe, euidentibus experimentis didiciſſet, non antè egredi voluit, quàm Dei voce vt egrederetur monitus eſſet. Eſt Epiſcopus Dux exercitus ſpiritualis, ſemper in acie exiſtentis, hunc inſtruere, hunc ordinare debet, idem belli ſignum dare, primuſque in acie ſtare, & hoſtilem impetum ſuſtinere tenetur. Alioquin vbi non eſt gubernator, ait Salomon, populus corruet. Horrendum eſt exemplum, quod Scriptura refert. Moyſes à Deo euocatus, vt legem acciperet, & per aliquot dies iſthic moratus, ſatis prouidiſſe videbatur populo Dei, ne per ſuam abſentiam aliquid pateretur; namque ſuas partes demandauerat duobus, quibus maximè fidebat, & quorum exploratam habebat induſtriam, Aaroni fratri ſuo

&

Epiſcopi non reſidentes non omninò damnandi in Poloniâ.

Reſidere parum eſt niſi munus Epiſcopi vnà exerceatur.

Cap. fin. de reſcript. in 6

Rationibus oſtenditur Epiſcopos ad reſidentiam teneri.

Prou. 6. c. 7.

Gen. 8. v. 16.

Prou. c. 14.

& Hur. Sed populus pertæsus, ob diuturnam absentiam sui Ducis, noua consilia agitare cœpit. Petierunt, inquit, ab Aaron, vt faceret ipsis Deos, (Exod.32.) qui eos præcederent. Resistere poterat sacrilegæ cupiditati, sed veritus ne vitæ subiret periculum, petijt ab eis inaures, quas cùm accepisset, fecit ex eis vitulum conflatilem, quem omnes adorauerunt. Tam breuis igitur, tam iusta absentia Pastoris, tanti lapsus occasionem gregi
præbuit. Et quis est, qui meliora sibi polliceatur, si Episcopatum de- 97
seruerit? Sed quia interdum abesse oportebit, illud saltem seruetur, vt (*Quibus ex causis possint à suâ Ecclesia abesse.*) nisi ex ijs causis, quas Concilium Tridentinum expressit, à Diœcesi nostrâ abeamus. Abire autem licebit, si Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, euidens Ecclesiæ & Reipubl. vtilitas impulerit: idque sciente & consentiente summo Pontifice, eâ adhibitâ cautela, ne quid per absentiam Pastoris, oues detrimenti accipiant; & si non (Sess.6.de Reform. cap.1.& sess.23.c.1.) meliores, at saltem feliciores, quàm olim Moysis fuerunt, curæ pastoralis Vicarij relinquantur. Cæterùm huius functionis, quæ in præsen- 98
tiâ Episcopi consistit, munia potissimùm consistere videntur in sanctissimis sacrificijs quotidiè offerendis, in prædicatione verbi Dei, ac in (*Residentis Episcopi quæ munia.*) frequenti à sacris Canonibus præscriptâ totius Diœcesis visitatione. Omnis Pontifex, inquit Apostolus, ad offerendum munera & hostias (Hebr.8. v.3.) constituitur. Et alibi: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur; vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. (Hebr.5. v.1.) Missam igitur qua intimè Deo coniungimur, quotidie Episcopus legitimè non impeditus celebret, luminis illustrationem non sibi tantùm deposcens, (*Sacris quotidie operari, vel interesse.*) sed etiam pro grege sibi subiecto, preces fundens pio gemitu, & religiosâ supplicatione Deum exorans, vt ablatis peccatorũ nubibus, rorem suæ Diuinæ gratiæ & misericordiæ in agrum Ecclesię suæ effundat. Et ob eam causam domi capellam magnificè extructam habeat, vbi quotidiè Missam vel celebret, vel audiat. Idem autem solennioribus diebus publicè in Ecclesiâ faciat. Concionandi munus adeò olim Episcopis familiare
fuit, vt solis id competere videretur. E nostris Episcopis duo, quod sciam, 99 (*Concionari.*)
supersunt, qui non erubescunt Euangelium: Carncouius meus, & Ioannes Demetrius Solikowski, ambo & Archiepiscopi, ambo pij, eruditi, & cæteris ad imitationem propositi. Sequor ego, & sequi adnitar quantum Dominus facultatis indulserit, cùm natura denegasse videatur illam Diuinam Eloquentiæ vim, nec hactenùs accesserit exercitatio, quam vobis diligentissimè commendo.

De visitandâ Diœcesi commissoque curæ Episcopali grege vniuerso 100
lustrando, exactas accuratasque regulas sacri Canones nobis proposuerunt, atque adeò eius functionis curam & executionem Episcopis demandarunt, (*Visitare Diœcesim.*) vt si omnes Pastoralis muneris rationes expendere voluerimus, potissimùm visitandæ totius Diœcesis functionem, & à sacris Canonibus iussam esse, & ad officium Episcopi pertinere reperiemus; adeò vt ipsamet residentia nullius frugis censeatur, nisi omnis

noſtra occupatio viſitationi præcipuè deſeruiat: ac cætera quidem alieni miniſterij auxilio nonnunquam licebit exequi, vicariaque demandatâ functione partem oneris in idoneos transferre ſacri operis cooperatores: at luſtrare Diœceſim, ſingularum Eccleſiarum explorare ſtatum, inquirere in vitam moreſque quarumcunque perſonarum, vitia extirpare, plantare virtutes, noſſe faciem ouium ſuarum, adeò proprium munus Epiſcopi eſt, vt per alium vix ac ne vix quidem
101 rectè & tutò expediri poſſit. *Viſitationis Etymon.* Cuius quidem viſitationis ex ſacris literis duplicem ſignificationem colligimus, nam & vindictam quandam, pœnæque commeritæ exactionem denotat, vt illud Exodi 20. Viſitans iniquitates Patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationem: & pacis ſalutiſque allatæ indicium eſt. ſic Pſalmo 58. Intende ad viſitandas omnes gentes: & Pſalmo 105. Viſita nos in ſalutari tuo: & in Cantico Zachariæ: Viſitauit nos Oriens ex alto. Vtrumque viſitantis munus, qui & ſalutares medicinaleſque animi morbis infligit pœnas, & aduentu ſuo lætificat corda ſubditorum, quos fideles, & muneri ſuo intentos reperit, complectitur, vt viſitatio non ineptè definiri poſſit; Inquiſitio Viſitatoris circa regimen locorum, & vitam perſonarum quæ viſitantur, ad ſanam doctrinam, pulſis hæreſibus, inducendam, bonos mores
Seſſ.14. c.3. tuendos, malos corrigendos. Sacrum Concilium Tridentinum vo-
102 luit, vt ſingulis quibuſque biennijs Epiſcopi ſuas viſitarent Diœceſes. *Biennio quouis viſitandæ Eccleſiæ, ſed non in Poloniâ ob ampliſsimas Diœceſes.* Id quidem ijs locis in quibus arctiores ſunt Diœceſium termini, commodè fieri poteſt; noſtræ in Poloniâ iuriſdictiones ita latè patent, vt toto biennio vix ſi ſingulas Eccleſias adire, nedum exactè viſitare volueris, circumiri poſſint: his alias adde functiones Senatorias, amicorum officia, itinerum difficultates, valetudinis diſcrimina, aliaque impedimenta. Et hinc vel maximè apparet quantum onus, & quàm periculoſam functionem Epiſcopi in Poloniâ, & fortaſſis in Germaniâ, ſuſtineant, quibus adeò non eſt expedita ratio muneris ſui, quique etiamſi ſummo conatu nitantur, id tamen ad quod ſe obligatos & obſtrictos eſſe norunt, exequi non poſſunt; quæ res pleroſque deterruit, vt ne auderent quidem munus viſitationis per ſe aggredi. At Hieronymus Rozdrazeuius, Vladiſlauienſis, nequaquam ſuæ Diœceſis amplitudine deterreri potuit, quin id munus in perſona ſuâ feliciter & cum laude
103 exequeretur. *Strenui ſuarum Eccleſiarum viſitatores in Poloniâ.* Ad eius exemplum præclarè ſe conformat Albertus Baranouius, Epiſcopus Plocenſis, cuius tamen rigidiores animaduerſiones & exacta quædam cenſura morum, non omnibus probatur, nempè in aulâ Regiâ educatus, & qui numquam anteà vidit alios hoc munus obeuntes, ſuis nititur experimentis. Sed cæteris omnibus palmam huius laudis præripuit Georgius Cardinalis Radiuilus, Epiſcopus Cracouienſis; non ille Ducum, è quibus genus duxit, fumoſis tumebat imaginibus; ſed veluti quoddam eximiæ humanitatis ſpeculum ſui ſemper ſimilis, & cunctis amabilis vixit, nullâ vnquam labe notatus, ſingu-

ſingularis vitæ ad numeros optimi Epiſcopi compoſitæ, laude ſanctitatis conſpicuus. Tenerioris erat & educationis, & valetudinis, ſed iſta corporis imbecillitas, animo eius zelo Diuini amoris & ſalutis humanæ flagranti impedimento non fuit, quin grauiſſimos quoſque labores in perluſtranda & recenſenda vniuerſa Cracouienſi Diœceſi ſuſciperet, idque adeò ſecundo euentu, vt nouam quandam lucem, ſparſis per omnia loca latè patentis Diœceſis ſingularibus ſanctitatis veſtigijs, intuliſſe videatur. Monaſteria hominum vtriuſque ſexus, quæ olim fædo vitiorum cæno fætebant repurgata, & priſtino nitori ad normam ſuorum inſtitutorum reſtituta; Clerum officij ſui pænè oblitum, formatum melioribus præceptis, & iam accuratiùs muneri ſuo incumbentem cernimus: tantum præſtitit vnius Epiſcopi diligens & exacta ſolicitudo; quem vtinam cæteri imitari vellent! ego ſanè in hoc ipſo primo meo ad Epiſcopatum ingreſſu, hoc cogito, hoc molior, vt primo quoque tempore viſitationis munus aggrediar, neque antè finem huic labori imponam, quàm tota luſtrata Diœceſi, & oues meæ me cognoſcant, & ego viciſſim explorato illarum ſtatu, de nomine & facie eas agnoſcam: iamque & tempus & itinera ita partior, vt ſi non omnia Diœceſis loca primo anno adeam, ſequenti deinceps anno cœptum hoc munus viſitationis expediam. In ea functione obeunda illud ante omnia curæ eſſe debet Epiſcopo, vt ſe, familiamque ſuam, & totum comitatum ita exhibeat, ita conformet, ne quid ſcandali aut offenſionis ex illo illiuſque comitatu in quenquam deriuetur: tum vel potiſſimùm omnibus virtutibus elucere ſtudeat, vt quacunque iter fecerit, quæ loca adierit, vbique impreſſa relinquat ſanctitatis veſtigia: omnes modeſtiam, ſobrietatem, temperantiam, humanitatemque ſuſcipiant, & admirentur; in veſtitu decorum ſeruet, nec tam in eo exquiſitam elegantiam, quàm ſtatui ſuo conuenientem dignitatem conſectetur: à comeſſationibus & exquiſitioribus ferculis omninò abſtineat; quotieſcunque hoſpitium vel ædes alicuius nobilioris viri (neque enim putarem ab hoc etiam viſitationis genere abhorrendum eſſe) ingreſſus fuerit, meminerit ſe eo fine ingreſſum eſſe, vt ſale purificante vlcera & vulnera fætentia exſiccet, lumineque ſanctæ conuerſationis infernalium tenebrarum caliginem diſcutiat; ſermo eius ſit verecundus ac purus, & non niſi de rebus diuinis: interrogationes nec curioſæ, nec temerariæ: reſponſiones deliberatæ, & maturi iudicij teſtes; omnis denique eius occupatio in ſuſcepta functione verſetur. Sed ne videar me vos velle meis informare verbis, adijciam grauiſſimum Concilij Tridentini decretum. Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non ſolùm iubet (ſancta Synodus) vt Epiſcopi modeſta ſuppellectili & menſa ac frugali victu cõtenti ſint, verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienũ, quodq; non ſimplicitatẽ, Dei zelum, ac vanitatũ contemptũ præſeferat. Omnino verò

[Margin, beside "curæ eſſe debet Epiſcopo":] 104 *Quid præ oculis habendum in viſitationibus.*

[Margin, beside "emplo Patrum":] Seſſ. 25. c. 1.

[Margin:] 105 *Epiſcopis qualis vitæ ratio habenda præcipuè dum viſitant.*

verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ cōsanguineos familiaresque suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis Episcopi donent; sed si pauperes sint, ijs vt pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causâ. Imò quàm maximè potest eos sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesiâ seminarium extat, penitus deponant. Hactenùs decretum Concilij. Et licet hâc sanctione non tam visitationis modus, quàm vita Episcopi describatur, idem tamen vel potissimùm eo tempore, dum per suam Diœcesim suæ sanctitatis, quâ fulgere semper debet, salutaria circumfert ac spargit monita, talem se exhibere debet, qualem sacra Scriptura, & Canones Ec-
106 clesiastici eum esse volunt. Ac meritò quidem id vel maximè præcipitur, ne Episcopi suos consanguineos collectis ex bonis Ecclesiæ opibus ditent: vetitum id semper fuit, & posteà continuis ferè experimentis docemur, improsperas, nec diuturnas esse eiusmodi opes, quæ ex fructibus, vsibus pauperum dicatis, subtractæ, ad euehendas & illustrandas Episcoporum familias conferuntur. Albertum, qui posteà Iastrzembecius
107 dici voluit, tenui humilique domo natum esse constat, eum, cùm pater pedes peditem Bessouam, in quâ templum parochiale erat, ad scholas deduceret, sumptu mendicato alendum, hortatus est, vt si quando ditior factus esset, parentis fratrumque suorum (sex ij erant) paupertatis & extremæ egestatis ne obliuisceretur. Ille quidem aliquantisper literas doctus, cùm earum subsidio ex puluere mendicitatis paternæ emersisset, adeò monitorum patris fuit memor, vt nihil pensi haberet, dummodò opes accumularet quàm maximas, ijsque indignos augeret hæredes. Itaque ambitione & fæmineo suffragio adiutus, cùm Episcopatus Posnaniensis amplissimæ opes cupiditatem eius parum explerent, sinistris delationibus effecit, vt Rex Vladislaus, Petrum Vissum Episcopatu Cracouien. deiectum, Posnaniam detruderet, & Iastrzembecium Cracouiam transferret. Pænituit quidem huius rei posteà Regem, adeò vt cùm Posnaniæ esset, seuocato in quoddam secretius delubrum Petro Episcopo, in genua procumbens, supplex ab eo facti veniam peteret. Sed Iastrzembecius fraude parto Episcopatu potitus, litem quoque eo nomine sibi factam elusit, magnisque coaceruatis thesauris, ingenti suo dolore à prodigis fratrum suorum filijs & nepotibus eos abliguriri vidit. Eorum vnus Derslaus Rituanius Martini Lencicien. Palatini filius, ingentem thesaurum ab Archiepiscopo magno Patruo suo clàm paucis conscijs (inter quos ipse quoque fuit) defossum, viuente adhuc Archiepiscopo effoderat, ex eoque Varsauiæ, dum insano Euphemiæ Boleslai Ducis Masouiæ filiæ amore ardet, & ad fenestras eius frustra suspirat, quadraginta argenti marcarum millia nepotando decoxit: quam rem ita Iastrzembecium iam tum Archiepiscopum Gnesnensem ægrè tulisse ferunt,

De non ditandis ab Episcopo consanguineis occasione citati Tridentini decreti digressio.

Pessimo euentu ditarunt suos: Albertus Iastrzembecius.

runt, vt mox animi angore conficeretur. Reliqui quoque nepotes ipsius, quos ille ad summos dignitatũ gradus euexerat, parem exitum habuerũt, ac tota numerosæ stirpis extinctâ prole, tantâ solicitudine ambitiosi Episcopi decus & opes partæ, in alienam, eamque magnâ ex parte Ecclesiæ inimicam familiam, translatæ sunt. De Ioanne Gruscinio gentili meo, 108
quid dicam? eius maximè ambitione factum est, vt iura Ecclesiæ Regiæ potentiæ, summo Regis Casimiri III. & Regni cum dedecore, impiam vim experirentur. Is cùm ex Episcopatu Vladislauiensi, deiecto Iacobo Sienienio, Cracouiensem inuasisset, postremò Archiepiscopus Gnesnens. renunciatus, amplissimas fratribus coëmerat possessiones, de quibus cùm ij, viuente adhuc Archiepiscopo, armis contenderent, eò postremo res deuenit, vt alter eorum Archiepiscopum in arce Opatouecens. obsidione cinctum, intentato mortis metu, ad iniquissimas conditiones adigeret. Sed audiamus Cromerum illius supremum vitæ exitum describentem. Obijt, inquit ille, Ioannes Gruscinius Archiepiscopus Gnesnens. cùm Cracouiam à Rege euocatus venisset, repentinâ correptus amentia, ita vt neque Sacramentorum in extremo vitæ articulo more Christiano particeps fieret, consentaneum exactæ vitæ exitum consecutus. Fuit enim in omne genus libidinum & audaciæ proiectus, cuius ambitione Cracouiensis Diœcesis grauiter, vt suprà memoratum est, diuexata erat. Auaritiæ verò & immoderati in euehendis & locupletandis fratribus studij, seu veriùs cupiditatis fructum, qualem oportuit, viuens non decerpsit: nam eo demum defuncto, de Cosmino, quod grandi pecuniâ mercatus erat, inter Bartholomæum Castellanum Sendomiriens. & Nicolaum cognomento Cosmidrum, fratres eius germanos certatum est. Exequias quidem non admodùm honorificas habuit, dedignantibus eum hoc honore sacerdotibus, tam Cracouien. quàm Gnesnen. basilicæ, in quâ sepultus est. Hæc Cromerus. Addo ego prætereà, ne à fratribus quidem, quos inuidiosis opibus auxerat, honore sepulchri dignatum fuisse, & nisi multis pòst annis Ioannes Lascus Archiepiscopus Gnesnensis hunc honorem, extructo marmoreo tumulo, ei habuisset, ignoto posteris loco delituisset. Hanc videlicet gratiam fratres nepotesque, pane Ecclesiæ pasti, referunt Episcopis & sacerdotibus benefactoribus suis, vita functis, vt nec animæ, nec corporis eorum vllam rationem habere velint. Sed quid vetera reuoluimus, & obsoletam antiquitatem vexamus? in oculis nostris nuper extincta est Gorcana domus, cuius ille omnis, qui tantoperè splendere videbatur, fulgor, ex Ecclesiæ sacris creuit eleëmosynis, sacrilego ausu ad augendas opes familiæ conuersis. Duo erant Episcopi eius cognominis, V- 109
riel primus Posnaniensis, qui prima iecit domus eius fundamenta, qui tamen moriens testamento obstrinxit successores, ne vnquàm à fide Catholica desciscerent; si secus fecissent, domui, stirpique suæ exitium imprecatus. At Lucas Gorcanus Palatinus Posnaniensis potissimùm aua-

Ioannes Gruscinius.

Vriel Gorcanus.

Lucas Gorcanus.

ritiæ notatur, quòd relicto statu sæculari, ambitiosè primò Episcopatum Cracouiensem concupiuerit, mox eâ spe deiectus, vt Episcopatus Vladislauiensis sibi deferretur, magnâ contentione, factionibus etiam priuatis extorserit, quem nec ad vtilitatem Ecclesiæ gregisque sibi commissi salutis curam, sed ad parandas immensas opes, ditandosque filios, & nepotes suos, iam tum hæreticos, gessit. Sed quo successu? nepotes eius perpetuâ damnati sterilitate, nullâ relicta stirpe è vitâ excesserunt: hæreditas eorum, vt Prophetæ lamentantis verbis vtar, versa est ad alienos, & quasi quodam damnata exitio, nec hos quoque ditauit, sed iterum ad alios translata dominos, certum stabilemque non habet possessorem: hæret videlicet in eâ culpa, vsurpatæ & in profanos vsus versæ rei

110 sacræ, quæ vix in quarto hærede expiari potest. Dzierzgouij Archiepiscopi Gnesnens. ambitiosa tituli Comitatus vsurpatio, patrisque sui ex humili loco ad Palatinatus dignitatem promotio, simul cum illo ita extincta est, vt vix eius nominis extet memoria. Hic idem exitus Padnieuios vereor ne maneat, fata enim ipsa eos quoque vrgere videntur. Non satis fuit patruo eorum Philippo Padnieuio, quod quidquid ex bonis Ecclesiæ collegit in profanos familiæ vsus, in coëmendas amplissimas possessiones contulisset, etiam à Monasterijs abstracta prædia illis ob-

111 noxia fecit. Nuper Opatouecium cùm transiremus, nobile quondam Abbatis Tinecen. oppidum, quæro ecquis nunc eius loci Dominus sit? Stanislaum Padnieuium Castellanum Osuiecimen. respondent ciues, eius possessione & vsufructu potiri: ob quod, inquam, meritum? nepos Episcopi Cracouiensis fuit: hoc vnum videlicet sufficit, ad amplissima capienda præmia, si nepos sis Episcopi, licet iura vetent, licet directus hæres renuat, licet is qui capit, nec meritus sit, nec mereri possit, habeat tamen præmia benè meritorum: iam si vel grati essent, si tutelam bonis præstarent, ferri vtique possent. Vidistis ædes Abbatiales amplissimas Opatouecij corruisse, nullum superesse prędialium ædificiorum vestigium, ciues denique queri, quod nomine defendente omnium iniurijs pateant. Melius fecisset Padnieuius Episcopus, si illas ruinas templi & Monasterij Tinecensis, quibus ille nobilissimus locus vetustatis vitio, & non satis idoneo structo ab initio ædificio laborat, Abbati resarcire sequestratis in eum vsum fructibus prædij & oppidi Opatouecensis demandasset. Et huius quidem Monasterij ac Templi restaurati laus alterum fortasse è vobis olim manet; sed ille pœnam, qua Abbatem ob probri non dubias suspiciones mulctaturus erat, vertit in commodum nepotis: & ita nisi Abbas luxuriosè vixisset, caruisset Opatouecio Padnieuius. Tales erant olim & in hunc finem institutæ ab Episcopis Monasteriorum Abbatialium visitationes, vt semper aliquid decerperent. Audiuisse vos arbitror, quod ego narrante Stanislao Skarszeuio Canonico Cracouiensi, viro, quem qui ob singularem animi candorem non amat, indignus ipse est qui ametur, didici: Petrum Myscouium Episcopum Cra-

Dzierzgouius.

Philippus Padnieuius.

Opatouecense oppidum à Monasterio Tinecensi quomodo ad Padnieuios deuenit.

Cracouienſem, Miechouiam olim diuertiſſe eo animo, vt in Simonem *Simon Lugovvski Præpoſitus Miechouienſis.*
Lugouium Præpoſitum Miechouienſem, votis religioſis obſtrictum, qui
vt perditè luxurioſus audiebat, animaduerteret. Senſit re & nomine Si-
mon, quid Epiſcopo cordi eſſet, ingentem cantharum argenteum quin-
gentis Taleris onerat, eumque Epiſcopo offert: actum tranſactumque
eſt, & tanti fuit turpitudinis pretium, turpe danti, turpe accipienti. Sed 112
Myſcouij quoque opes ad inuidiam vſque creuerant, tot coëmptæ poſ- *Petrus Myſkovvski.*
ſeſſiones, vel Ducatus potiùs, tot baſilico opere ſtructa palatia (dubito
tamen, an vel vnicam ædem ſacram pari impenſâ, quale in Ksiaznenſi
oppido palatium eum feciſſe conſtat vllibi ſtatuerit) tantum auri argen-
tique, tot congeſti theſauri ceſſerunt nepotibus. Maior quidem pars eo-
rum (hem quam improſpera rei ſacræ poſſeſſio!) iam ad alios tranſlata
eſt dominos. Vnius Sigiſmundi Myſcouij præclarę virtutes mereri viden-
tur, vt ſecuriori & feliciori euentu patrui hæreditate potiatur, modò po-
ſteri quoque ipſius, pari vt ille voluntate, erga ſtatum Eccleſiaſticum,
cuius ope creuerunt, ſint affecti, alioquin ne his quidem diuturna futura
eſt bonorum eiuſmodi poſſeſſio. Ephraim, dicit Dominus per Prophe- *Oſeæ 12. v.1.*
tam, paſcit ventos. Quid aliud agunt Epiſcopi, opes ſuis neceſſarijs
congerentes? niſi ventum paſcunt, qui præterlabitur, nec vnquam ſtabi-
lis eſt, nec ſatiatur. Quàm præclariùs facerent, ſi eiuſmodi theſauros in
ſolidis Eccleſiæ petris deponerẽt, vel per manus pauperũ ad cæleſte æra-
rium deferri curarent, vt & ipſis in die & tempore aduerſo victus ſuffice-
ret, & militantis Eccleſiæ ſplendor augeretur. Ego ſanè non vanus vates
prædico & denuntio, nullum vnquam bonorum ex fructibus ſacris Ec-
cleſiæ vſibus adſcriptis, quocunque prętextu coëmptorum, hæredem
diu partâ poſſeſſione gauiſurum. Experti ſunt id verum eſſe ij, qui ante
nos vixerunt; deinceps quoque non deerunt exempla, & perperàm vſur-
patæ rei Eccleſiaſticæ, & fruſtratæ ſpei, dum quos dites relinquunt ne-
potes, eos mox nepotando bonis amiſſis egentes, proxima videbit poſte-
ritas.

Ex occaſione decreti ſancti Concilij Tridentini, à propoſito inſtituti 113
ſermonis, longiùs me digreſſum fateor. Sed vt cœptum ſermonem exe- *Ad intermiſſam de viſitanda Diœceſi tractationem regreſſus.*
quar, hîc, inquam, Epiſcopo, dum officij & muneris ſui causâ vniuer-
ſam luſtrat Diœceſim, enitendum eſt, vt omnes eum intueantur, quaſi
Angelum Domini de cœlo miſſum, viros graues, doctos, nulla turpis vi-
tij vel auaritiæ ſuſpicione notatos penes ſe habeat, Clericorum obſequio *Viſitantis Epiſcopi familia quâ morũ probitate & modeſtia præſtare debeat.*
in priuatis cubiculi ſui etiam negotijs vtatur, ſciatque domum ſuam ſpe-
culi inſtar lucere debere, & eſſe veluti publicæ diſciplinæ Magiſtram:
nam quidquid in ea agitur, id reliqui ſibi licere exiſtimant. Itaque quod
olim Diuus Bernardus ab Eugenio alumno ſuo Pontifice Maximo exe-
git, id ſibi dictum putent omnes: Domũ Epiſcopi, inquit mellifluus Do- *De conſid. lib.4.*
ctor, decet ſanctitudo, decet modeſtia, decet honeſtas; horum diſciplina
cuſtos, ſacerdotes domeſtici aut cæteris honeſtiores, aut fabula omnibus
ſunt.

ſunt. Multa neſcias, plurima diſſimules, nonnulla obliuiſcaris. Sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumque & ſtudia: nec auſteritatem ſuadeo tibi, ſed grauitatem. Non oportet vt vitia domus tuæ vltimus ſcias, quod plurimis ſcimus contigiſſe. Si inſolentior ſermo coram te inſonuerit, ſi indecens habitus apparuerit, manus tua ſit ſuper huiuſmodi, tu vlciſcere iniuriam tuam. Impunitas auſum parit, auſus exceſſum. In vultu, in habitu, in inceſſu illorum qui tecum ſunt, nihil reſidere impudicum, vel indecens patiaris. Præclarè hæc ſanctus Doctor, vt reliqua omnia, quæ Epiſcopo curæ eſſe debent; nam ſine his viſitatio rectè inſtitui non poteſt: & ſi alium ſe familiamq; ſuam Epiſcopus exhibuerit, vereor, ne loco ſalutaris pharmaci, peſtiferum per ſuam Diœceſin ſpargat venenum.

114 *Viſitantis Epiſcopi idea.* Faſtum vbique vitet, & ſuperbiæ ſuſpicionem; omnibus affabilem, & comem ſe pręſtet, nemo eius aditu arceatur, errantes paternè corrigat, in vitia lapſos ita caſtiget, vt memor ſit quòd & ipſe circumdatus ſit infirmitate, lachrymis potiùs ſuis, quàm acerbioribus verbis dolorem fletumque illorum prouocet, & in ſpiritu lenitatis Eccleſiaſticam exerceat diſciplinam. Denique tiara ipſius & baculus maiora præferant inſignia dignitatis, quàm poteſtatis: quos corrigit, non infamet; veniam poſcentibus, facilem ſe, moderatâ adhibitâ animaduerſione, exhibeat: in iure dicendo æqualem ſeruet ſeueritatem, nec eam gratiâ vel mutari vel variari patiatur; adiungatur facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in cognoſcendo diligentia. Vrſos potiùs eos dixerim, quàm homines, qui ita iracundiâ exardeſcunt, vt ſui obliti eſſe videantur. Nihil eſt, inquit Ci-

115 *Impotens animus in Epiſcopo improbatur.* cero, tam deforme, quàm ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturæ adiungere, quod vilis planè animi eſt, & ſuos impetus regere frenoque rationis retinere non valentis. Prorumpunt nonnulli ad indecora quæuis, dum vel palàm digitos in obſcænos formatos vſus, ij quibus irati ſunt oſtendunt, vel turpes crepitus ore effingunt, vel denique alienæ vocis ſonum efformando mimos agunt; ridiculi magis ipſi, quàm vt alijs riſum moueant: hos torquere haud neceſſe fuerit, vbi vino & irâ incaluerint, produnt ſecreta, dicenda tacendaque locuti, homines, Principes ac Deum ipſum conuitijs proſcindunt, & ſimul atque in poſſeſſionem ſermonis venerint, ipſi ſibi ſapiunt, ipſi ſe amant ſine riuali, dicta ſua quaſi è tripode Apollinis profecta à nemine redargui debere cenſent, & ſi contradixeris exardeſcunt; cùm verò in contentionem inciderint, terrã cœlo miſcent. Tales ſi quando emergunt, & ijs magiſtratibus, in quibus ſumma Reipub. conſiſtit præficiuntur, quid non audent? quid non mo-

116 liuntur? ab omnibus ſanè, ſed potiſſimùm ab Epiſcopis, in quorum mores omnium oculi coniecti ſunt, adhibenda eſt quædam reuerentia, &, quid maximè in quauis actione deceat, expendendum. Nam negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omninò diſſoluti: & plerumque tales neminem amicum habent, nullum ſocium, nullum fidum miniſtrum, nullum denique qui eos interdum officij moneat:

neat: ijs tamen si quis magno animo acriùs obstiterit, ita deponunt vel despondent potiùs animos, vt icti fuste canes non faciliùs coërceantur, & in ordinem redigantur. De Ioanne Carncouio Episcopo Vladislauiensi 117
nostri Archiepiscopi patruo pleraque feruntur, quæ iracundum nimis eum fuisse arguunt. Exardescit interdum & Archiepiscopus, sed citra furorem. Tylicius magis, qui vnâ eademque horâ & irascitur, & mox sui compos, suam ipse castigat immoderatam excandescentiam. Tuli ego, cùm Referendarius iudicijs Regijs ei assiderem, ipsius impetum modestè, at non eorum, quibus ille nimium permittebat, insolentiam; neque enim ferenda erat, sed temeritas iuuenilis grauitate senili reprimenda. Scitis quos mea signet oratio. vidi vtrumque cùm in Sueciâ essemus, pallere periculo, metu concuti, nec eam quam alias præseferre videntur, seruare animi magnitudinem. Risi timidam leuitatem, risúmque meum conuitio insectanti, & insipientis esse in periculo ridere asserenti, alteri eorum respondi; Tu verò, inquam, desipis, qui mihi in re malâ bonam mentem, quæ dimidium mali est, inuides.

Sed nescio, quo pacto meus sermo, ab institutâ de visitationis munere, 118
oratione, huc deflexit, nempe non abs re visum, vitijs virtutibusque commemoratis, hęc vestris inculcare auribus, quæ maximè deceant, aut dedeceant tam sublimem statum. Monita salutaria à Diuo Bernardo Eugenio tradita, sciant Episcopi sibi esse necessaria; malo illa verbis illius exequi quàm meis. Quid (inquit ille) Episcopo turpius, quàm incumbere suppellectili & substantiolæ suæ, scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moueri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam eiusmodi, scrutantium quotidie omnem substantiam suam, numerantium singula, de minutis & quadrantibus exigentibus rationem. Non ita ille Ægyptius, qui Iosepho omnibus traditis, ignorabat, quid haberet in domo suâ. Erubescat Christianus Christiano sua non credens: homo sine fide, fidē tamen habuit seruo, super omnia bona sua constituens eum, & hic erat alienigena. Mira res: satis superq; Episcopi ad manū habent, quibus animas credūt; & cui suas cōmittant facultatulas, non inueniunt. Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis curam gerant. Sed vt liquidò datur intelligi, patientiùs Christi ferimus iacturam quàm nostrā. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & continua Dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum & numero panum cum ministris quotidiana discussio est: rara admodùm cū Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asina & est qui subleuet eā; perit anima & nemo qui reputet, nec mirū, cùm nec nostros quidē assiduos sentiamus defectus. Nōné ad singulas istas supputationes irascimur, vrimur, anxiamur? Quā tolerabiliùs rerū, quàm mentium sustineremus iacturā? Quare, inquit Apostolus, non magis fraudē patimini? Quæso, tu qui alios doces, doce te ipsum: si tamē iā nō docuisti pluris te habere, quā tua.

De consid. lib. 4.

Notantur Episcopi, magis ad rem quàm ad curam pastoralem attenti.

1. Cor. 6.

tua. Tranſitoria iſta, quæ ſtare tibi nullo pacto queunt; fac, vt à te tranſeant, non per te. Riuus quâ fluit cauat terram; ſic diſcurſus temporalium conſcientiam rodit. Si poteſt torrens in agros excurrere ſine læſione ſatorum, & tu, te iſta ſine vulnere mentis poſſe tractare, cõfidito. Et pau-

119 *Munus Epiſcopale graphicè depictũ.* lò infra pulcherrimis colorum luminibus, & exactiori manu depingit ſub imagine Eugenij, vniuſcuiuſq; Epiſcopi faciem. De cætero, inquit, oportet te eſſe formam iuſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem veritatis, fidei defenſorem, doctorem gentium, Chriſtianorum Ducem, amicum ſponſi, ſponſæ Paranymphum, Cleri ordinatorem, Paſtorem plebium, magiſtrum inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum aduocatum, miſerorum ſpem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum ſenum, vltorẽ ſcelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum Tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, canonum diſpenſatorem, ſal terræ, orbis lumen, ſacerdotem altiſſimi. Hactenùs ille. Hanc vultus & præclaræ perſonæ ſpeciem, ſi Epiſcopus per Diœceſim ſuam circumtulerit, an dubitandum erit, eum vtiliter munus ſuum expleturum?

120 *Viſitanti Epiſcopo in quos inquirendũ.* Non exequar cætera in quos & quomodo eum inquirere oporteat, cùm res ipſa & materia vltrò illi ſit occurſura: nec defuerunt, qui methodum viſitationis ex intimis ſacrorum Canonum penetralibus depromptam exactè tradiderunt: hoc ſolùm adijciendum videtur, vix expedire, vt Epiſcopus in eos inquirat, quos Sedes Apoſtolica peculiaribus reſcriptis ſuæ reſeruauit poteſtati, niſi ij extra orbitam ſuorum Clauſtrorum exceſſerint, & vel priuatim, vel publicè in leges ſacras commiſerint, ſceluſvé aliquod palàm perpetratum non vindicauerint. Denique ſuffecerit Epiſcopo illis contentum eſſe iuriſdictionis finibus, quos ſacri Canones & nouiſſimè ſacroſanctum Concilium Tridentinum poſuit. Sciat autem nihil magis infamare vel ipſum, vel ipſius comitatum quàm ſordes aua-

121 *Auaritiæ nota in viſitatione cauẽda.* ritiæ, à quibus non modò ob grauiſſimum, quod inde oritur ſcandalum, verùm etiam ob iuris Canonici expreſſam prohibitionem, puras omninò debet habere manus. Si alio referente mihi narratum fuiſſet, vix crederem, quod nudiuſtertius vnâ vobiſcum expertus ſum, de illo Parocho dico, quem de contubernio fœminæ infamatum ad me, vt ſcitis, acciri iuſſi. Venit, interrogatuſque, nec crimen diffiteri auſus, ſcedulam protulit, manu Notarij Epiſcopi ſcriptam & ſubſcriptam, in quâ continebatur, illum anteà de impudicâ cum eadem fœmina conſuetudine accuſatum, ac decem mulctatum marcis, pecuniam officio Epiſcopi dependiſſe. Parochus intereà, vel ſimplex, vel vafer, eam apocham, quaſi vt impudicè palàm cum ſcorto conſuetudinẽ deinceps, permittente Epiſcopo, habere ſibi liceret, interpretatus, eius præſumptæ indulgẽtiæ conceſſione, corã me, ſe factumq; ſuum tueri auſus eſt. Obſtupui, cùm iterũ atque iterũ à me interrogatus, planè impudẽter idem aſſereret, ſeq; non inuitũ muliere

liere cariturum fuisse, si pro eâ redemptio accepta non fuisset; nunc post talem transactionem se alterâ pœnâ plecti non posse. Quid agerem? pœnâ leuiori castigatum, & scelus detestantem, eâ conditione dimisi, vt impudicam mulierem statim eijceret. Scio Goslicium antecessorem meum esse extra omnem culpæ suspicionem, neque ab illo Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem addictum pecuniæ; sed Notarij manifesta cupiditas homini simplici præbuisse videtur interitus grandem occasionem. Ita ij solent, qui & sui & Episcopi decoris obliti, venalia omnia habent.

Venio ad postremam propositionis meæ partem, in quâ me dicturum recepi de eâ functione, quæ Episcopis in Poloniâ, vti primarijs Regni Senatoribus incumbit. Dico Episcopos primarios vel primos potiùs esse Regni Senatores: nam si rem ad initia reuocemus, principio inductæ & susceptæ in Poloniâ religionis Christianæ, vix vllum Senatus aut concilij publici vestigium erat; Princeps vnus & solus omnia poterat, eius voluntas, lex non scripta sed iussa, & cui non parere capitale habebatur: Episcopi primi aliunde huc acciti, ex vsu aliorum Regnorum, & ex præscripto sacrorum Canonum, hac conditione se esse non posse ostenderunt. Et Principum nostrorum pietas, non solùm omnem à Regiâ iurisdictione exemptam libertatem illis indulsit, verùm etiam viros illos graues, eruditos, & sanctitate illustres, cùm sibi & Reipublicæ vtiles fore animaduerterent, eos vt Principes, vt Patres venerati, ex eorum deinceps sententiâ & consilio Rempublicam se gesturos professi sunt; illis vt leges ad formandum Ecclesiasticum Politicumque statum scriberent, illis vt ius summarium dicerent, permiserunt, ac penè æquatâ potestate, in consortium regiminis eos cooptarunt, concesso insuper decimarum iure, quod ex vetusto Poloniæ Principum instituto, vsitatum Regium vectigal erat. Neque mihi quisquàm obiecerit Palatinos Religione Christianâ antiquiores in Poloniâ fuisse, facilè enim quiuis linguæ Polonicæ non ignarus respondebit, hæc & similia nomina non Consiliariorum, sed belli & Castrensium officiorum fuisse. Extant antiquissima Regum nostrorum rescripta, quibus Episcopos Poloniæ, Principes Regni fratresque suos nuncupant. Boleslaum cognomento Chrobri victoriosum Principem, tantum Episcopis honorem habuisse testantur Historici, vt stante Episcopo, nunquam ipse sedere vellet, nisi idem etiam assedisset: id ab alijs quoque Principibus factitatum & obseruatum fuisse nemo dubitauerit. Sed illa auctoritas, Reges quotiescunque res poscebat, liberiùs monendi, redarguendi, improbis etiam eorum cupiditatibus resistendi, maiori reliquis omnibus potestate & dignitate Episcopos fuisse præditos facilè conuincit. Neque mihi diu immorandum est in explicandâ & comprobandâ in Regno Poloniæ prærogatiuâ status Episcopalis; nam & nunc vel inimici nostri fateantur necesse est, & iure primarium nobis locum deberi, & in eius iuris possessione perpetuâ

Margin notes: 122 *Episcopus in Poloniâ vnà etiam Regni Senator.* — 123 *Senatus in Poloniâ ex Episcopis prior quàm ex secularibus.* — 124 *Eorum decimarum ius.* — 125 *Prærogatiua.*

126 tua nos fuisse. Non deerant iam olim, qui nos loco mouere vellent, qui iuribus nostris Rempubl. grauari dicerent. Decimarum quidem, etsi eæ, vt dixi, Principibus ante susceptam fidem Christianã solui solitæ fuissent, exactionem primò impugnarũt nonnulli ex Neophytis maioribus nostris; sed inclytus Rex Boleslaus Chrobrius, seuerâ animaduersione gliscentem eam temeritatẽ mox coërcuit: & haud scio an maiores nostri de eo onere vnquam questi fuerint ad vsque Casimiri Magni tempora: eo regnante, & quassatum internis externisque bellis imperium pacis artibus propagante, & subditi, & Rex ipse Bozantę Episcopo Cracouiensi, decimas ob certas causas soluere detrectarunt. Tractus omnis territoriorum Lublinensis, Lucouiensis & Tzchouensis, Tartaricis, Russicis, & Hungaricis incursionibus fœdatus, vastatus, incultusq; erat: in eum, cùm Rex & Nobiles nouos colonos inducerent, ab ijs exigi decimam iniquum putabant, non tamen ad rapinam versi, controuersum negotium Iaroslao Boguriæ Archiepiscopo Gnesnensi, viro sancto, arbitrali sententiâ definiendum permiserunt, & ille ex æquo & bono rem decidit, cui decreto hactenùs magnâ ex parte paretur. Id actum est 1369. vitæ Casimiri penultimo anno. Cuius rei à Cromero nostro nullam fieri sub id tempus mentionem miror: sed tam solenne arbitramentum Regis assensu comprobatum in volumine legum habemus. De loci prærogatiuâ, Duces quoque Masouię

Contra Senatum Ecclesiasticum ob decimarũ exactionem factiones.

127 primò in Coronatione Vladislai III. deinde in Coronatione item Casimiri III. contra Episcopos niti cœperant, veluti Principibus è sanguine Regum Poloniæ ortis, primus secundùm Regem in Senatu locus deberetur; sed in eâ quoque tã graui concertatione, tenuerũt ius suum Episcopi, primæque ante ipsos Masouios Duces illis adiudicatæ sunt partes. Scio hactenùs mussitare quosdam, quod ad vtrumque Regium latus assideamus, alterum Senatoribus secularibus deberi contendentes: sed id quoque & nouum & insolitum, cùm hactenùs semper aliter obseruatum fuisse satis constet. In omnibus etiam, ijsque & antiquissimis & recentioribus Regum nostrorum rescriptis, quotiescunque fit mentio Ducum vel Principum, non alios intelligere licet, nisi Episcopos: nam ex antiquissimis Patriæ nostræ institutis, nemo Senator in consilio publico, nemo cum prærogatiuâ ferendi suffragij esse poterat, qui ex Ducum vel Principum esset sanguine. Quare ne Duces quidem Masouiæ in Senatu locum habebant, ad actus tamen solennes adhibiti, vt suprà innuimus, Episcoporum prærogatiuæ frustrà loci prioris affectatione detrahere conabantur; cumque in omnibus, quæ hactenùs extant diplomatibus, qui præsentes erant adscriberentur, ea & seruata est, & seruatur formula: Præsentibus Reuerendissimis in Christo Patribus Dominis (quo nomine neminem subditum, ac externos etiam non nisi Principes Rex Poloniæ dignatur) Episcopis. Tum mox disiunctiuâ coniunctione adiectâ, Nec non Magnificis: vt manifestè appareat istos inferioris esse ordinis. Neque tamen quisquam existimauerit, nos ita Episcoporum digni-

De loci prærogatiuâ olim inter Ecclesiasticum statum, & Duces.

Masouiæ contentio, nunc etiam vana inuidorum de eadem murmuratio.

dignitatem demonſtrandam ſuſcepiſſe, vt alterius ordinis ius impugnare velimus; conſtat & his ſua dignitas eximijs ornata prærogatiuis, nobis ſatis fuerit declaraſſe, alio nomine, & priùs Epiſcopos Senatoriam in Poloniâ dignitatem adeptos eſſe; diuersò, & poſteriùs, hoc idem 128
munus ſecularibus communicatum fuiſſe. Itaque hi quotieſcunque libidine & arbitrio Principum vel leges publicæ in diſcrimen venirent, vel vis priuatis fieret, vel iura patrimonij Reipub. conuellerentur, ne hiſcere quidem auſi; Epiſcopi ſuâ vſi prærogatiuâ, quotieſcunque opus erat, optimi ſemper & ſalutares erant Regum monitores, cenſores etiam acrioreſque correctores. Neque enim hi, vt ſeditionem mouerent, vt ſuam potentiam augerent, vt populi fauorem ſibi conciliarent, ad obſiſtendum Principum & Regum cupiditatibus, prauiſq; eorum actionibus ſtudio, ſed eorundem, quos monebant, Principum, & patriæ amore permouebantur, neque vel periculo vitæ, vel gratiæ Regiæ amittendæ metu, ab 129
officio deterreri poterant; nam neque à Regum poteſtate eorũ promotio dependebat, & quoſuis honores vitæ ſanctitate citra vllam ambitionem ſe conſequi poſſe ſciebant. Itaque quod olim Solon quærenti Piſiſtrato Tyranno; Quâ tandem ſpe fretus ſibi tam audacter obſiſteret? Senectute, reſpondit. Idem quiuis Epiſcopus vſurpare poteſt, ſibi libertatem Ordinis ſui conſtare & conſtaturam freto ſtatus ſui ſanctitate. Hoc animo D. Staniſlaus ad refrænandas Boleſlai Audacis libidines acceſſit, nec calumniæ, quaſi interuerſo pretio fraude Piotrouienſe prædium occupaſſet, ceſſit. Ita animatus Iacobus Zninenſis, Archiepiſcopus Gneſnenſis, caſtra Vladiſlai, fratres Poſnaniæ oppugnantis, aggreſſus eſt, eaque ominosâ tentorij Regij ruinâ proſtrauit. Gedeonis Epiſcopi Cracouienſis ille ad Miecislaum ſenem Apologus, ab eadem animi magnitudine originem ſumpſit. Illa Epiſcoporum omnium ſub Caſimiro Magno in causâ Pruſſicâ publica obnunciatio & contradictio, hinc profecta. Et ne omnibus recenſendis immorer, illa conſtantiſſima ſemper, & nulla gratiæ aut fauoris aura mutabilis Zbignei Oleſnicij, nihil quod legibus libertatibuſque Regni contrarium eſſet admittendi, eaque laudata obſtinatio. Hic iunior ætate, maiorem, &, cuius gratiâ creuerat, Vladiſlaum Iagellonem ſæpè redarguit, iratum etiam, ſed poſtremò correctum, & ita æquo animo paternas Epiſcopi admonitiones ferentem, vt moriens ſuos liberos illius potiſſimùm tutelæ commiſerit. Sed acrior illi cum Caſimiro Rege concertatio fuit, longè is patre obſtinatior, & magis in iram propenſus, vitæ etiam Zbignei minas intentabat; ſed ille paratus mori, non odio Principis, ſed amore potiùs vrgebat ius Regni. Diuina illa eius in Conuentu Cracouienſi pro Republicâ vox, illa ſententia, quam Cracouienſis & Sendomirienſis Palatini, cæteris Senatoribus, ne Regem offenderent, tacentibus, comprobârunt, digna eſt, quæ omnium Annalium memoriæ ad exemplum magni & liberi Senatoris inſeratur. Et Sigiſmundum Auguſtum (nam Sigiſmundi

Quales ſe in functione Reipub. olim præſtabant Epiſcopi.

Vnde tanta Epiſcopis in Senatu dicendi & Reges redarguendi libertas:

Sancto Staniſlao,

Iacobo Zninenſi Archiepiſcopo Gneſnenſi,

Gedeoni Epiſcopo Cracouienſi,

Zbigneo Oleſnicio Cardinali Epiſcopo Cracouienſi,

130 gismundi Primi imperium æquum pacatumque fuit) vel impari & parum honesto cum Barbarâ Radiuilâ matrimonio implicatum, vel deinceps minùs dignis Christiano Rege actionibus vitam traducentem; qui priuatim & palàm redarguerent, non defuerunt Episcopi. Carncouius ipse, etsi eius gratiâ creuisset, sæpè acriùs cohortationibus priuatis, Regis illius aures fatigauit; & fortasse aliquid effecisset, si cæteri quoque Senatores, quibus Regia gratia suo officio potior erat, pari studio in eam curam incubuissent. Expedit ipsis Regibus, tales habere Senatores, qui non assentatorio more, & sententiam dicant, & priuatim Principem instruant.

Stanislao Carncouio Archiepiscopo Gnesnensi.

131 Miserum esse Principem, apud quem vera silentur, dicebat Gordianus Imperator: expertus ipse & in Misitheo eum obiurgante, fidem, & in Philippo blanditijs primò sese illi venditanti, perfidiam. Tot equidem sæculis quæ monumentis annalium nostrorum comprehensa sunt, etsi multi è sæculari statu, sui commodi causâ, nonnunquam ad rerum nouarum studia deflexerunt, Episcoporum actiones, & ipsęmet liberiores Regum obiurgationes salutem publicam, & tranquillum iustumque Principum imperium, supremam legem habebant; nec scio, an vllus, Paulo Episcopo Cracouiensi excepto, motæ seditionis accusari possit. Nam Ioannes Muscata Episcopus Cracouiensis, quasi contra Vladislaum Locticum Silesijs fauisset, fortè immeritas pœnas luit, quibus & Abbas Tinecensis innocens obnoxius factus, multis prædijs mulctatus est. Multa tam eximiæ magnitudinis animi specimina recensere possem, nisi hæc ipsa, quæ attuli, sufficere viderentur.

Miseri Principes apud quos vera silentur.

Episcoporum in dicendo libertas salutis publicæ in Poloniæ Regno conseruatrix.

132 Neque sola Respublica Polona consilij principes voluit esse Episcopos; etiam omnes aliæ gentes olim præcipuam partem Reipublicæ & publicæ salutis, sacerdotali auctoritate niti voluerunt. Apud Ægyptios Rex idemque Sacerdos erat: Romanis exosum Regium nomen, Rex tamen sacrorum constituebatur. Si in optimè constitutis ciuitatibus, notæ virtutis emeriti ciues, sacras functiones obibant, ijdem primas in Repub. partes tenebant. Christi Religione coruscante, quantum pij Christiani Imperatores Episcopis detulerint, quis nescit? postremò labente Imperio Romano, in Germaniâ primi Principes Electores Episcopi, nunc etiam ita tuentur statum, vt nisi illi aliorum Principum ambitioni irent obuiàm, totum mutuis discordijs distractum rueret Imperium. Neque Patria nostra, si rectè rationes expenderemus, parum debet statui Ecclesiastico: constat enim & retroactis sæculis, & paulò remotiori tempore, sæpiùs salutaribus Episcoporum consilijs fulcitam stabilitamque fuisse Rempublicam, leges optimas ab eis scriptas, libertates prærogatiuasque Equestris Ordinis studiosè propagatas.

Alijs quoque nationibus vsitatum esse Sacerdotes publico consilio primos adhibere.

133 Enimuerò non imus inficias, pleraque & meritò nunc in ordine nostro desiderari: pestiferis illis discordijs, quæ nascente Hæresi in Poloniâ radices egerunt, effectum esse non negauerim, vt & nos Ordini Equestri, & eius importunæ ac graues iuribus sacris flagitationes nobis suspectæ sint; ita

Aliqua iam in Ecclesiastico Senatu desiderari, ostenditur.

ita tot annis veteris amoris, & ſocietatis ruptâ compage, toties ſperata & tentata eorum, de quibus inter nos non conuenit, compoſitio coire non poteſt. In multis prætereà non obſcurum rerum nouarum ſtudium efficit, vt nobis ſecus, quàm oporteat, vel deceat, affecti ſint. Poſtulatur à nobis vt Regem, quòd nonnullorum cupiditates largitione ſuâ non expleat, quòd patrimonium Reipublicæ ſimul non effundat, beneficiaque ſua non vxoribus tantùm eorum, ſed natis etiam natorumque natis non communicet, arguamus. Nam quæ iure ab eo poſtulari poſſunt, primi eſſemus, qui id vrgeremus; ſed hæc non vi, non ſeditione extorquenda; agendum cum Principe, dignitate ipſius ſaluâ; non cogi, ſed 134
rogari volunt magni viri. Ante aliquot annos, quantâ contentione actum *Cum Principe quâ prudentiâ agendum.*
eſt de Rege in ordinem redigendo, ſiniſtris opinionibus onerata Principis exiſtimatio, acti priuatâ auctoritate conuentus, concitatus populus, arma etiam penè intentata, dum illa, quam meminiſtis apparatur inquiſitio, cuius nullum alium fructum vidimus, niſi dedecus noſtrum, & auctum populi in Principem odium. Quod his conſilijs E- 135
piſcopi ſe immiſcere noluerint, accuſantur quaſi Reipublicæ defuiſ- *Vanæ de Senatu Eccleſiaſtico querelæ.*
ſent. Ego verò quoad vixero, puto & reliquos Ordinis noſtri idem facturos, nunquam ſeditioſis factionibus me immiſcebo: non is eſt modus ſaluandæ Reipub. nec ea neceſſitas, vt armatis cohortibus Comitium impleamus. Video ego à pleriſque id agi, vt concitato ad ſi- *Turbulentum quoddam genus hominũ.*
gna populo, ingens quædam flamma excitetur; placet quibuſdam armatum conſilium, quale olim Hungaris tumultuantibus ſimul & pereuntibus in vſu fuit. Rokos, Hungaricum nomen eſt; quis autem ignorat gentem illam ad ſeditionem natam, eâ ipsâ ſupremum exitium ſibi accelerauiſſe? Regna & imperia, quæ diuturnâ felicitate floruerunt, 136
dum pacatis vſa ſunt conſilijs, hactenùs ſteterunt; ſimul ac obten- *Imperia & Regna ſeditione pereunt.*
tu libertatum & iurium ſeditioſi ciues populum concitare, & contra Magiſtratus armare cœperunt, diſtractis mutuis viribus, ſumma rerum peſſum ijt. Sic Romanum, ſic Græcorum ampliſſima Imperia extincta ſunt, ſic nobiliſſimi Hungariæ Regni illum ſplendorem, illam amplitudinem, in cineribus & ſemirutis veſtigijs concidiſſe videmus. Sigiſmundo Primo imperante, ſubita illa Caſtrenſis ad Leopolim Equeſtris ordinis concitatio ſimul & cœpta & ſedata, neſcio cur hoc fatale Rokoſſi *Rokoſſ.*
nomen ſortita eſt, alia forma, alia facies rerum nunc apparatur. Meditata cogitataque conſilia in promptu ſunt. Primarius quiſpiam, qui nunc multis nominibus fauorem populi ſibi conciliat, & Regis gratiâ, quâ nunc affluit, perniciem eidem molitur, auctor tanti, quantum nunquam Polonia vidit, tumultus erit. Hic, fato functis ijs, qui eius conatibus obſtant, ſpecioſo prætextu imponet populo, accitiſque in ſocietatem Hæreticis, armatus armatos coget Conuentus nouarum, earumque ex adytis quibuſdam proferendarum rerum, ſpargetur fama, eſſe videlicet Quiddam (heu infelix & infauſtum hoc Quiddam) ſibi notum,

 quod

quod nisi ab omnibus sciatur, interitura sit Respub. Pellecti hoc rumore current omnes boni malique, non secus ac si genti recutitæ Messias natus renuntiaretur, multos metus denunciatarum nullo iure pœnarum, vel inuitos eò pertrahet: nam is libertatis assertor, hoc ipso quòd armatus leges cæteris præscribet, claustra libertatis primus perfringet. Quid Rex interim? totâ vario prætextu armatâ Poloniâ, ipse quoque necessaria induet arma: in partibus eius stabit Senatus, Proceres omnes, & flos iuuentutis
137 Polonæ miles, & exercitus, Duces, Arma vtrimque armis opponantur necesse est; quo euentu, exitus docebit. Hæc interim non ex extis, sed ex Reipub. nostræ constitutione diuinare licet, tot impensis grauatam & fatigatam Rempublicam, vereor ne & ciuili respersam sanguine, Regiâ clementiâ respiraturam: sed vt corporibus periculoso perfunctis morbo, nõ magis ipse morbus, quàm eius reliquiæ, nocumentum adferre solent, sic mista illa colluuies quæ sopitis domesticis motibus supererit, erumpet, & nouum Patriæ diuturnum & periculosum pariet bellum; cuius exitum, militarique licentiâ fœdè oppressam Patriam, vobis videre licebit, ego tantorum malorum inspector esse nolim. Sed hæ rerum conuersiones si euenerint, iam nunc animo prospicio, quantum inde odij publici Ordini nostro accrescet. Episcopis errores omnes imputabuntur, ab eis gestæ Reipublicæ rationes petentur; Senatus quoque proditionis publicarum libertatum accusabitur: hinc leges perniciosæ, quas vis extorquebit, sument originem, graues statui Ecclesiastico, graues Principi ipsi, & magnâ ex parte statum Reipublicæ mutaturæ. Satis superq; negotij erit Regi & Senatui, vt tantis malis aliquod leuamentum afferant, ne Rempublicam perire sinant. Sed hæc fortasse feliciores habebunt exitus, nam & ego iuuenis pares à senibus accepi diuinationes, quæ si posteà magnâ ex parte acciderunt, à supremo tamen exitio diuinâ benignitate hactenùs defendimur.

138 *Senatoria Episcopi dignitas, in quo consistat.* Sed Senatoria Episcopi functio in his potissimùm rebus consistit. In eâ quæ illi sorte eueniet Prouincia, non magis nomine, quàm re ostendat, se esse in ijs Conuentibus, qui in eius Diœcesi continentur, consilij Principem & moderatorem: pietate & eruditione (addo & liberalitate quantum facultates permiserint) præstanti Episcopo nemo hanc palmã inuidebit, omnes vt patrem venerabuntur, illique primas deferent partes; factiones nullas alat, discordes omni studio ad inuicem conciliare conetur, pari & communi in omnes propendeat amore, actiones eius omnes, animi candore, & sinceritate niteant, nemo subdolum quicquam de illo suspicetur; neque porrò quisquam suspicabitur, si cunctis constabit, Episcopo non Principis gratiam, non populi fauorem, non suas spes, speratáque incrementa, sed solam esse curæ salutem publicam. Familiaritates & amicitias magnorum virorum, officijs statum suum non dedecentibus parabit, easque fide sincerâ tuebitur & conseruabit, nec interdum amicorum causa laborem & iter suscipere recuset, eosque sibi demereri

mereri ſtudeat. Conuentus particulares ſuæ Diœceſis obire non intermittat, & vni quidem, vbi commodum fuerit, eorum interſit, in alijs per amicos neceſſarioſque ſuos ſibi Rempubl. eſſe curæ declaret. Ad publicâ Regni Comitia veniat, in ijs liberè ſententiam ſuam explicet, accommodatam maximè ad præſentem Reipublicæ ſtatum. Omninò aureum illud Ciceronis dictum, in animis cùm omnium Senatorum, tùm Epiſcoporum præcipuè ſemper hærere velim; Vt enim, inquit ille, gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria; ſic moderatori Reipublicæ, beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copijs locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit. Huius enim operis maximi inter homines, atque optimi, illum eſſe effectorem volo. Omninò, inquit idem alibi, 139
qui Reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant; vnum vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quidquid agunt ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum vt totum corpus Reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant: vt enim tutela, ſic procuratio Reipublicæ ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorũ quibus commiſſa, gerenda eſt. Qui autem parti ciuium conſulunt, partem negligunt, rem perniciosiſſimam in Rempublicam inducunt, ſeditionem atque diſcordiam; ex quo euenit, vt alij populares, alij ſtudioſi optimi cuiuſque videantur, pauci vniuerſorum. Hæc ille. Imaginem mihi 140
expreſſiſſe videtur ſtatus Reipub. noſtræ, & præſentium temporum, in tot factiones diuiſo Reipublicæ Polonæ corpore, in quâ videmus pleroſque velle & populo placere & Regi, diuerſarum factionum ſimulatores: hi & populares inflant lituos, & Principi, quaſi omnia poſſint, ita ſe venditant, vt niſi ſibi ſuiſque beneficia ab eo extorqueant, ſuos folles non quieturos oſtendant. Nunquam hâc arte vtetur Epiſcopus, nunquam eò ſe demittet, vt ſimulatione omnibus ſe accommodet, laudanda laudet, improbanda improbet, amore non odio. Eum publicam ſalutem curantem, opinione integritatis, & Principi & populo commendatum, Reipublicæ item non rudem, ſed ſententiam ſuam rationibus & exemplis ex optimo quoque Rerumpublicarum ſtatu & euentu petitis, confirmare ſcientem, & ante omnia ſinceræ pietatis famâ conſpicuum, omnes venerabuntur, ſeque & ſua illi libenter permittent, illi vni fidem habebunt, eius conſilijs priuatim & publicè acquieſcent.

Optimi Senatoris in Republica functione partes.

Sed ante omnia meminerit Epiſcopus ſe idcircò in Senatu principem locum tenere, vt iura Eccleſiæ tueatur. Hæc imprimis exactè illi nota ſint, controuerſiaſque & lites omnes Ordini noſtro ab Equeſtri motas perſpectas habeat, ſæpè illi hoc nomine certamen ſubeundum erit, ſæpè pro aris ſacris contendendum. In conuiuijs, in conſeſſibus, hæc potiſſimùm pertractatur materia, quòd ſpirituales coëmptionibus hæreditatũ, magnâ ex parte nobilitatem & Rempub. ſubſidio ſeruitij militaris fraudauerint: quòd fiduciarios ſuos, Sculteto dictos, à quibus olim ſeruitium militare præſtari fuiſſe ſolitum falsò plerique credunt, ab hoc onere ſub- 141

Epiſcoporum eſt inprimis iura Eccleſiæ tueri.

Contra ea quæ paßim Eccleſiaſticis in Poloniâ obijci ſolent.

 traxerint:

traxerint: quòd decimarum iura malè vſurpent: quòd iuriſdictione & pœnis Eccleſiaſticis nimiùm ſæuiant: quòd poſſeſſionibus Eccleſiaſticis maiorem partem Regni occupent. Hæc & alia falsò nobis imputata ab

142 ignaris præſumptâ temeritate obijciuntur. Iam impiæ illę leges, quas Hæretici, & eorum fautores ſemicatholici in Conuentibus, in Comitijs ſummâ contentione perferri vrgent, vt liceat cuiuis quiduis credere, vt impietas ipſa & blaſphemiæ & blaſphemi ſecuritatem lege publicâ cautam habeant. Ad hæc iure & rationibus ex iure & ſacris Scripturis, ex inſtitutis Patriæ refellenda ſemper paratus eſſe debet Epiſcopus, neque vnquam illi committendum eſt, vt Dei & Eccleſiæ cauſam prodidiſſe videatur; etiamſi fortunarum & vitę immineat periculum conſtanter decertet: certiſſimâ fretus ſpe, vel Dei auxilium ſibi adfuturum, vel ſi certè occumbendum erit, honeſtiſſimum & ſacerdoti optabilem exitum ſe habiturum. Ea quidem Regis noſtri eſt pietas, vt eo viuente nihil adeò aduerſum timere debeamus; & deinceps etiam, conſtet modò Epiſcopis ſua pietas, facilè illi in Regno hoc Catholico ſua & Eccleſiæ iura tenebunt.

Legibus iniquis contraire.

Pietate præſtare.

143 Neque ego plura de hoc genere; ad vos nunc conuertor. Audiſtis ex me dictam penè vno impetu ſententiam non diu meditatę rei; aliàs vberiùs & quaſi per partes à me informabimini, quid vos agere oporteat, ſi, quod futurum reor, hac omnium maximâ & ſanctiſſimâ dignitate aucti fueritis. Intereà hæc ſint mea ad vos paterna & domeſtica monita: ambo mei alumni eſtis, vtrique ſi non profuit, certè non obfuit mea inſtitutio, & hic vitæ curſus, quem me decurrere videtis. Me auctore veniſtis iam in aliquam & Reipub. & Principis notitiam; ſacris Ordinibus initiati, altari Domini dedicati eſtis; dum vixero, vobis ego Dux & Magiſter ero, ornabo, promouebo. Nec enim dubito vos viciſſim adniſuros, vt ei quam de vobis concepi opinioni, & expectationi meæ reſpondeatis; me vitâ functo nabitis ſine cortice, vobis ipſis enitendum contendendumque erit, & propriæ innitendum virtuti. Non deerunt qui veſtris incrementis opponent obicem, curſumque fortunarum veſtrarum tardabũt: ſic ſemper virtus non plano itinere, ſed per ardua enititur, & veſtra ſors non tam improſpera, quàm tarda futura eſt. Sed nec eo fine, vel Eccleſię, vel Principi nauanda eſt opera, vt opes & dignitates accreſcant, meritorum hæc ſunt additamenta quædam: illa vera ſolidaque præmia, quæ vitâ functos manent, illud decus, illa gloria, optimo cuique calcar addere debet ad præclaras actiones ſuſcipiendas, ad vitam denique pro Eccleſiâ, pro Patriâ, pro Rege profundendam.

Totius tractationis Epilogus.

144 His verbis ſuum, vt meminiſti, ad nos biduò habitum ſermonẽ Pſtroconius noſter concluſit. Mihi quidem tum non veniebat in mentem fore, vt aliquando hæc ſcripto comprehenderem, neque enim vt tum erãt & res, & ſpes noſtræ, futurum aliquando putabam, vt eiuſmodi monita nobis vſui eſſe poſſent. Vberiùs quidem & multò locupletioribus exemplis

plis instructam hanc materiam ille nobis proposuerat, quę tot iam elapsis annis memoriâ meâ exciderunt; in tuo fortassis penu commodiùs reseruata pleraque, quę à Pstroconio dicta sunt suggeres, & his nostris accommodabis. 145 Erit nonnemo, qui Pstroconium futura asseruisse mirabitur; sed homini in Repub. versato, & status illius gnaro, non admodùm difficilis esse poterat diuinatio & vaticinatio, ex coniecturis certis & manifestis. Suum equidem fortunæ ac vitæ etiam decursum talem, qualis euenit, euenturum sæpè nobis innuit, & supremo grauatus morbo, etiamsi nec vis mali tantoperè vrgeret, & medici meliora sponderent, ipse sui exitus certus, nullum alium admisit sermonem, nisi de morte, de supremis suis. Nos qui aderamus, mirati migrantis è vitâ constantiam, lætum hilaremque ipsius semper vultum contemplabamur, illudque nobis Diui Hilarij dictum veniebat in mentem; eos potissimùm mortis metu concuti, qui, vt Sanctus hic ait, contuentes longam Dei patientiam, quę in profectum salutis humanæ extenditur, aduersus conseruos insolescunt, & sæculi malis vitijsque se tradunt, præsentium tantùm curam in cultu ventris exercentes. Sed cùm minimè putabunt Dominus adueniet, eosq; à bonis quę spoponderat diuidet, portionemque eorum cum hypocritis in pœnæ æternitate constituet, quia aduentum desperauerint, quia mandatis non obtemperauerint, quia præsentibus studuerint, quia vita gentium vixerint, quia desperatione iudicij commissam sibi familiam, fame, siti, cæde vexauerint. Non ita moritur iustus, qui, vt Sanctus Gregorius ait, de suâ spe & operatione securus, pulsanti Domino confestim aperit, quia lætus iudicem sustinet, & cùm tempus propinquæ mortis aduenerit, de gloriâ retributionis hilarescit. Talis erat exitus Pstroconij nostri, vt non morte tristique illo dolore, qui ex dissociatione animæ à corpore naturaliter oriri solet, affici, sed rectâ ex hac lachrymarum valle in cælum, æternùm isthic victurus, migrare videretur. Aberas tu, Reipublicæ causâ cum Senatoribus, quibus simul cum Pstroconio, auctoritate Comitiorum Regni, negotium Prussicum demandatum erat, in Prussiam profectus: sæpè ille de te locutus, te sæpè requisiuit, te sibi deesse doluit: hoc vnum nouissimâ in luce desiderauêre oculi eius; paucioribus quàm oportuit lachrymis compositus est; ego adstiti morienti, supremumque eius excepi halitum. Pstroconium quidem cùm vitæ flore, tùm opportunitate 146
mortis diuino cõsilio & ortum & extinctum esse arbitror; licet enim amplissimis perfunctus honoribus, Vice-cancellarij & Cancellarij Regni gesto munere, in ipso aditu summę dignitatis, florente statu Reipubl. ad quam ciuili motu perturbatam, pacandam, plurimum consilij & auctoritatis ille attulerat, in ipsâ spe suscepti contra Moschos belli decessisset, neque quod maximè optabat, Sigismundum Regem omnium sui temporis Regum Maximum, partâ de Moschis victoriâ, receptâ in potestatem gentis Vrbe Metropoli Moschouiâ, capto Smolensco, propagatis finibus Regni, ad extremum Osmani Turcarum Imperatoris Europę atque

Quomodo futura prædixisse intelligendus Pstroconius.

Mors eius, quam etiam præsciuerat, valdè pia.

Comment. in Matth. cap. 20.

Hom. 13. in Euang.

Opportuna Pstroconij ex hac vitâ migratio.

atque Asiæ opibus & copijs Regnum Poloniæ inuadentis feliciter coercito impetu, gloriâ fulgentem & victorem, eiusdemque decoris socium & participem Vladislaum Principem Regium Regiæque indolis filium, domitorem Moschouiæ, terrorem barbarorum, Patriæ nostræ spem alteram conspicere potuisset: idem tamen festinatæ mortis grande habet solatium, quòd tot, quæ aliquantò post secuta sunt mala non viderit. Non vidit Pstroconius tres exercitus conuersis signis ex hostico, fines Regni transgressos, ab eisque laceratam Patriam, & per summum nefas, per ciues à ciuibus exactum tributum, bona Ecclesiæ æstimata, & inaudito grauata censu, non ardentem inuidia Senatum, non omnibus opibus coniuratione militari spoliatam Rempublicam, & rapacissimi agminis circumlata sæpiùs per vniuersum Regnum infesta signa. Non vidit Ducibus & præcipuis quibusque è primâ Regni Nobilitate in Valachiâ cæsis, aut captis, amisso exercitu extremâ spe pendentem publicam salutem; non denique sacrum Optimi Regis caput à motæ mentis sicario parricidiali petitum ictu. Sed Pstroconij ortum, vitam &

147 *Operis dedicatio.*

exitum nos peculiari complexi sumus opere. Hunc de functione Episcopali habitum ab illo sermonem Tibi vni, optime frater, dicamus, Tu leges, expendesque, & cum Tuis actionibus conferes. Liberè ego illius dicta executus sum, nam & illi, quos hæc offendere possent, iam pridem vitâ functi sunt, & si quis eorum, qui superstites sunt, se notari falsò suspicatus fuerit, is non in se iactum rodet lapidem. Et Pstroconius, quem & ego, vt nosti, in opere secutus sum, in commemorandis virtutibus vniuscuiusque non siluit nomen: vbi vitij alicuius mentio facienda erat, hoc sine auctoris honoris detrimento carpebat: ita & sua laus constitit probis, & qui secùs merentur, innoxiâ censura, sui admonentur officij.

VITÆ

VITÆ ET SERIES EPISCOPORVM PLOCENSIVM,

Cùm vitâ Auctoris conscriptâ ab Andreâ Trzebicki Scholastico Plocensi, qui sequentem dedicationem priori editioni præfixerat.

Serenissimo Poloniæ Sueciæque Principi, & Reuerendissimo

Domino D. CAROLO FERDINANDO,

Dei Gratiâ Episcopo Plocensi, & Vratislauiensi,

Andreas Trzebicki Scholasticus Plocensis, Regius Secretarius, Felicitatem.



NEST omnino, Princeps Serenissime, cunctis humanis rebus, velut orbis quidam, vt quemadmodùm temporum vices, ita morum actionumq́ mortalium vertantur: sæculisq́ & personis intereuntibus, causæ & euentus ijdem recurrant. Luculentum eius rei documentum, Vitas Plocensium Antistitum Tibi affero. Has olim in lucem & oculos hominum Ioannes Longinus protulerat: sed iterum obliuionis nox tenebris offudit, pressitq́ amplius, quàm vnius & dimidij sæculi spatio, donec Stanislaum Lubienium Plocensi Ecclesiæ Præsidem fata darent: quo auctore rursus in lucem quasi postliminio fatis reuocantur, tanquàm rerum humanarum orbe se circumagente, iterum sors vt in publicum prodeant, rediret. Cæterùm vti magnam illius temporis imaginem in his annis video, cùm ad Plocensis Ecclesiæ vtrobique regimen, & ambos scriptores reflecto oculos: ita longè fato functorum Præsulum præclariorem sortem fateor, cùm nunc & scriptorem, Episcopalis atque Senatoriæ dignitatis prærogatiuâ illo clariorem, & in Plocensi Cathedrâ, pro Casimiro Masouiæ Duce, Carolum Ferdinandum, Sigismundi Tertij Poloniæ & Sueciæ Regis Filium, Vladislai Quarti fratrem, tot Cæsarum, tot Regum sanguinem nanciscuntur. Te inquam, Princeps Serenissime, qui tot decora Ecclesiæ nostræ, quot sceptris orbis Christianus regitur, ac omnium eximium Te ipsum intulisti: innatâ benignitate, prudentiâ, grauitate, modestiâ, & hoc sæculo rarissimâ verè aurei generis particulâ, simplici & sine fuco lenocinijsq́

pietate

pietate conspicuum, venturisq; sæculis & posteris inuidendum. Sed illis in lucro, & acceptis à præsenti æuo beneficijs, satis fuerit numerare, quòd Te tot virtutum perenne habebunt exemplum: vtinam modò illis sit tam facilè imitari, quàm Tibi pia, præclara, memoranda facere. Illud fortè vnum ad exprimendam perfectiùs Longini facti speciem desiderari videtur, vt quemadmodùm ille Casimiro Masouiæ Duci; ita Tibi Stanislaus Lubienius, de manu in manum, hoc in Antecessores suos pietatis Mnemosynon traderet: sed relege paulisper Optime Princeps, Stanislai Lubienij, in Domum Tuam Regiam, Teq; præsertim obseruantia vestigia, aduertes, Tuum id quod ego affero pridem esse, neque nouo mancupio tradendum. Tibi enim ille, quidquid pro Episcopatu Plocensi fecit, dixit, scripsit, addixit, cum prudenti consilio. Te sibi Successorem destinauit, vt post fata etiam diutiùs in Te, de charisimâ sibi sponsâ mereretur. Ego mihi id solùm assumpsi, vt Mœcenatis olim mei lucubrationes Tibi debitas, nominis Tui præscriptione, velut nouo nexu Tuas efficerem. Itaque admitte benignus, maiorum Tuorum monumenta, quorum magna pars decusq; serus olim legeris.



PROOE-

PROOEMIVM
AVCTORIS.

VNDAMENTA Christianæ religionis in Poloniâ, siue tu eam Vandaliam, aut Gothiam, quo titulo Regni, primi Reges Poloniæ, vsque ad Boleslaum Audacem vsi sunt, dicere malueris; siue vniuersum Septemtrionem Rheno & Tanai magnis Europæ fluminibus circumfusum, sub magnæ Sarmatiæ nomine comprehendendum censueris, siue denique totum hunc tractum, Scythiam Europæam, quam veteres Historici longè latiùs, quàm omnes alias regiones patere scripserunt, existimaueris; non primùm, vt plerique opinantur, sub Miescone Duce, è Piastorũ familiâ exordium habuerunt. Nam si ad antiquiora tempora rem referamus, Sanctus Andreas Apostolus, Scythiam Europæam, cuius appellatione vniuersum Septemtrionem, omnesque Septemtrionales nationes contineri, aliàs à nobis docendum erit, primus ex Achaiâ Istro transmisso ingressus, reuelatæ à Christo Saluatore nostro veritatis lumen, in has regiones intulit, Christianumque nomen in Sarmatiâ Europæâ, circa annum à Christo nato centesimum nonagesimum quintum viguisse, auctor est Tertullianus libro aduersus Iudęos, & Pagninus eius interpres, vt meritò gloriari possimus, religionis nostræ auctorem nos habere, maximi nominis Apostolum, inter Christi discipulos, si vocatio spectetur, primum germanum Petri, & passionis mortisque æmulum. Sed & in ipsâ missi cœlitùs Spiritus S. solennitate, disertè testatur S. Lucas, adfuisse Ponti accolas; & Princeps Senatus Apostolici Petrus, inter ceteras nationes, quas suâ epistolâ alloquitur, Ponti aduenas commemorat. Denique, vt alia taceamus, Plinius secundus in epistolâ ad Traianum Imperatorem scriptâ, Bithyniam & Pontum Prouincias, quibus tum ille præerat, plenas esse Christianis hominibus testatur. Nec deinceps per annos ferè à Christo nato octingentos deerant viri pij, qui partim ex Græciâ, partim ex Italiâ & Galliâ, ac ipsamet Angliâ progressi, fouerent sementem Euangelij in agro Sarmatico, suaque prædicatione Poloniam, Russiam magnam, Bohemiam, Daniam, Suediam, Saxoniam, Pomeraniam, Vandaliam, præceptis & mysterijs Euangelicis imbuerent, maximè posteaquàm Gregorius Magnus, primus eius nominis Pontifex Maximus, fælicibus auspicijs, missis in Angliam doctrinæ Euangelicæ sanctissimis Magistris, Anglos veterum Saxonum (quos Sarmatiæ partem fuisse nemo dubitauerit) prolem, ad obsequium Romanæ fidei reduxit: tantis enim mox ille Anglicus fidei ager, sanctitatis & religionis effloruit incrementis, vt inde orti viri planè Apostolici, memores vnde aui eorum prodierant, totam veterem Saxoniam, Boiariam, & quidquid inter Rhenum & mare Balthicum, quidquid nunc sceptris Polonicis continetur, prædicando & docendo peruagati,

gati, feliciter Arctoüm Orbem fidei rudimentis imbuerunt. Non quidem eo euentu, vt simul tota regna sub iugum pietatis miserint, sed magnâ ex parte homines sedentes in tenebris, Sole veritatis illustrarint. Nec à temporibus Apostolorum defuisse putandum est, viros zelo Euangelico accensos, qui ipsa penetralia Vandaliæ (ita appellata est ea pars Sarmatiæ, quam nobilissimus fluuius Vandalus mediam secat, quæ nunc Polonia dicitur) penetrarint, quorum etsi labor non infructuosus fuit, memoria tamen obscurior, & nisi soli Deo nota nomina. Ad annum vsque nongentesimum sexagesimum quintum, nullus erat, qui publico nomine religionem Christianam palàm profiteretur, non quòd ea res Principum edictis vetaretur, sed quòd nullus esset, qui statum religionis ad normam Ecclesiæ Catholicæ formaret, Regibus ipsis nondum Sacramentis cœlestibus imbutis. Quanquàm quis vetat suspicari Piastum agri Crusuiciensis colonum, ob piam liberalitatem ex humili genere ad summum Principatus fastigium euectum, aliquid ex veritatis Euangelicæ lumine hausisse? Abauus is fuit Mieciflai, qui à Christianis subditis suis (qui iam tum frequentes etiam ex primoribus fidem Christianam colebant) vt damnato cultu falsorum Deorum, Christianus & ipse fieret, ac vxorem Christianam Dambroucam Boleslai Bohemiæ Regis siue Ducis filiam duceret, persuasus, primus se Christianum Principem esse palàm professus est. De Piasto quidem memorant Scriptores, illum dum hospitalitatem coleret, Sanctos Ioannem & Paulum Romanos Martyres, sub Iuliano Apostata olim martyrio coronatos, hospitio excepisse, & penu eius illorum beneficio ita auctum fuisse, vt pauper rusticus eo interregno, quod mortem Popielli Tyranni & parricidæ Principis consecutum est, vniuersum Procerum Polonorum, qui ad eligendum nouum Principem conuenerant, cœtum conuiuio exceperit, & ob eam causam suadentibus ijsdem Sanctis, Rex renunciatus fuerit. Quis enim non meritò in eam veniat suspicionem, Sanctos illos vitâ iam functos, siue etiam ij Angeli fuerint, vt aliqui existimant, non nisi viro, verâ pietate imbuto, apparere, eumque pietate cœlesti imbuere voluisse? Mieciflaus igitur simul atque sacro baptismate tinctus est, admonitus ab alijs Christianis, religionem eam quam susceperat, non nisi ex præscripto Summi Pontificis, IESV Christi Vicarij, ac Diui Petri Principis Apostolorum in Romanâ Cathedrâ Successoris, coli & fructuosè exerceri posse; Legatos suos misit ad Romanum Pontificem, qui suo nomine illi referrent, se & Christianum Principem esse, & cum vniuerso Regno suo in potestate Summi Ecclesiæ præsidis deinceps fore profiterentur, atque Episcopos Orthodoxæ religionis Magistros, ab Vrbe religionis & pietatis magistrâ, sibi submitti peterent. Præerat eo tempore Sedi Romanæ Ioannes Decimus Tertius, hoc ipso anno, posteaquàm Benedictus Quintus se Pontificatu abdicauit,

dicauit, vel potiùs ab Imperatore captus, & in Saxoniam (vbi exul mortuus etiam miraculis claret) abductus eſt, Ioanneſque Duodecimus fatis conceſſit, Pontifex renunciatus; Imperatoris Ottonis Primi numerabatur annus quartus, Nicephori Phocæ Imperatoris Orientis annus tertius, cùm hæc Polonica Miecislai ſiue Mieſconis Legatio in Vrbe comparuit. Dicere ille tum potuit, veluti religionis Chriſtianæ propagandæ minùs curioſus, illud Iſaiæ Prophetæ: Dices in corde tuo; quis mihi genuit iſtos? Ego ſterilis & non pariens tranſmigratus & captiuus, & iſtos quis enutriuit? Ego deſtitutus & ſolus, & iſti vbi erant? Quamobrem eâ legatione lætus Pontifex Romanus, Ægidium Tuſculanum Epiſcopum, ad confirmandum Principem & Proceres Regni, & ſtatum Eccleſiæ Polonicæ formandum, Sedeſque & Cathedras Archiepiſcopales & Epiſcopales erigendas, Legatum expediuit, inſtructum non ſolùm ijs monitis & præceptis, quæ tanta res poſcebat; verùm etiam additis, ad obeundum tantum munus, idoneis viris doctis & pijs, qui naſcentem in Poloniâ Eccleſiam auctoritate Epiſcopali, diſtributis per Ægidium Prouincijs, & Diœceſibus regerent, & gubernarent. Diuidit hanc Legationem Annalium Eccleſiaſticorum Illuſtriſſimus Scriptor Cæſar Baronius Cardinalis, exiſtimatque Ægidium quidem Epiſcopum Tuſculanum in Poloniam fuiſſe miſſum, ſocios verò futuri illius laboris, ad neſcio quos Vandalios, quorum Princeps Mieſco eſſet, ablegatos fuiſſe; nam poſteaquam de legatione in Poloniam miſsâ mentionem fecit, hæc addit. De aliâ legatione per eundem Pontificem in Vandaliam miſsâ, hæc apud Staniſlaum Orichouium Roxolanum: Admonitu piorum (verba ſunt Orichouij Poloni & de ſuis Polonis ſcribentis) virorum quorundam, Mieſcone Monarchâ (is fuit primus in Poloniâ, quæ tunc Vandalia dicebatur Chriſtianus Princeps) cùm audiuiſſemus eſſe Ciuitatem quandam Dei, cuius Antiſtes eſſet Romanus Petrus, penes quem auctoritas eſſet ſumma, ex ſeruitute Diaboli in libertatem Chriſti homines vendicandi, ab hoc ipſo Ciuitatis Antiſtite, Mieſcone Monarchâ auctore, opem aduerſus diaboli vim implorauimus. Itaque Ioannes Decimus tertius, Vicarius IESV Chriſti, Simonis autem Petri ſucceſſor, exoratus à Monarchâ, Senatu ac populo, doctiſſimos viros Italos, videlicet Vuillibaldum, Prochorium, Iordanum, Gotfridum, Lucidum, Angelotum, Octauianũ, Iulinum ad nos Vandalos ac Lechitas doctum miſit. Qui & Mieſconem Monarcham, & genus noſtrum illi ſubiectum, ſacri baptiſmatis vndis ab originali culpâ abluerent, & ex Ciuitate diaboli ablutos ac mundatos in Ciuitatem Dei transferrent, in Chriſtique Eccleſiam dicarent, quod etiam eſt factum. Nam illi viri Sanctiſſimi, Vandaliam (ſiue tu malis Poloniam dici) ingreſſi, prædicabant nobis Chriſtum, & gratiam eius, quâ nos in communionem ſuorum Deus conuocauerat celebrabant, homines turmatim ad flumina confluentes, baptizabant, Idola ex Vandaliâ exterminabant.

Nomina primorum Antiſtitum Poloniæ ad propagandam fidem Chriſtianam per Romanum Pontificem miſſorum.

Addit Baronius. Quomodo autem ſit cooperatus Otto Imperator, ad confirmationem Eccleſiæ Vandalorum, inferiùs ſuo loco dicturi ſumus. Diuerſam hanc fuiſſe legationem ab eâ, quæ in Poloniam miſſa eſt, diuerſitas planè Legatorum oſtendit, & alia plura. Quod audis Vandalos nomine Slauorum eſſe comprehenſos, ſcias in plures ampliſſimaſque Prouincias Slauoniam eſſe partitam, & inter alias Vandaliam eſſe comprehenſam, omnes verò ad fidem Chriſti conuerſas eſſe quæ de iiſdem Prouincijs dicturi ſumus inferiùs declarabunt. Hactenùs Baronius.

Non eſt meum cum tanto viro, quem orbis Catholicus, ſummum veritatis defenſorem & aſſertorem veneratur, deſcendere in certamen alicuius diſceptationis, ſed cùm veritas ſe ipſa manifeſtè prodat, non erit incongruum, conceſſuro haud dubio, ſi viueret, ipſomet Baronio, ad eam tuendam aliquid adferre. Ex Sandero libro de viſibili Monarchiâ n. 695. hęc Baronius exſcripſiſſe videtur; ille verò ex Staniſlao Orichouio Roxolano, hiſtoriam quandam recenſente, Orichouium quidem appellatione Roxolanum, Polonum tamen fuiſſe & Roxolanos inter Lechitas referri, quo nomine quæ olim fuit Vandalia, Polonia cenſebatur, quis in dubium vocauerit? cùm id ipſum Orichouius à Baronio citatus fateatur, ſeque Lechitam & Polonum eſſe ſcriptis prodat. Hic legationem eam miſſam eſſe ad Mieſconem Monarcham (is ille fuit Mieciſlaus, blandiori nomine Mieſco dictus, primus in Poloniâ Chriſtianus Princeps) diſertè ſcribit, idem cùm ab Vrbe ſubmiſſos religionis in Vandaliâ (quam idem ipſe Poloniam, vt vidiſti Lector, appellat) propagandæ causâ, à Ioanne Pontifice enumerat, primorum Archiepiſcopi & Epiſcoporum in Poloniâ nomina recenſet, ac inter alios Villibaldum, qui primus fuit Archiepiſcopus Gneſnenſis, Prochorium primum Archiepiſcopum Cracouienſem, Lucidum primum Vladiſlauienſem, & vt de reliquis, qui in Catalago ablegatorum huc in Poloniam ſuprà recenſentur taceamus, Angelotum qui Cathedram Epiſcopatus Plocenſis fundauit, primuſq; Plocenſis Epiſcopus fuit; reliquos item prout ſua cuique obtigit Cathedra, Epiſcopos in Poloniâ fuiſſe (nam octo Epiſcopatus ad numerum eorum qui ab Vrbe venerant, tum in Vandaliâ ſiue Poloniâ fundati fuerunt) ab alijs Scriptoribus relatos facilè qui voluerit, reperiet. Vandalos itaque eſſe Polonos, & hanc Ægidij Romani, Epiſcopi Tuſculani Cardinalis vnà cum recenſitis ſocijs, primis in Poloniâ Epiſcopis, legationem ad Polonos (ſiue Vandalos malis dicere) fuiſſe, ex ipſis Romani Archiuij monumentis ſatis probatur. Nec eo anno vllum alium fuiſſe Mieſconem, qui in aliâ Vandaliâ quàm in Poloniâ regnaret oſtendi ac probari poteſt, & Vandalos à fluuio Vandalo, qui ex montibus Carpatijs Vngariam à Polonis dirimentibus ortus, mediam ſecat Poloniam, dictos fuiſſe manifeſtum eſt. Scimus quidem antiquioribus temporibus latiùs patuiſſe Vandalorum imperium, priuſquàm patrijs ſedibus exuti, ad occupandum imperium Romanum ingenti facto agmine, pręter

ter

ter complura Europæ regna, Africam etiam ipſam armis occupaſſent; multa illorum præclara facta leguntur ab Hiſtoricis illorum temporum ſcripta. Eoſdem non diuerſos fuiſſe à Lechitis ſiue Polono-Vandalis, eiuſdem linguæ commercium luculentiſſimum eſt argumentum; quidquid modo Bohemiâ, Morauiâ, Boiariâ, nunc Bauaria dicta, Saxoniâ, quidquid Brandeburgicâ ditione, Pomeraniâ cum adiunctis Prouincijs, Luſatiâ, Syleſiâ, quidquid denique Moſchouitico, Ruthenico, & ampliſſimo Poloniæ Regno, ac ipſis etiam Daniæ & Sueciæ Coronis continetur, Vandalorum ſedes & patria fuit, prout id ſermo ipſe & lingua, cuius etiam in ijs regionibus, quas Germani, vel Nemetes potiùs, poſteà occuparunt, non obſcura extant veſtigia, abundè teſtantur. Et ne hæc ex noſtro ſenſu dicere videamur; libet hîc inſerere ea quæ doctiſſimus Martinus Cromerus Epiſcopus Varmienſis, libro ſecundo hiſtoriæ ſuæ de ſucceſſoribus & liberis Leſci tertij Monarchæ Poloniæ ſiue Vandaliæ, memoriæ prodidit.

Suſcepit autem Leſcus hic liberos mares, ex legitimâ quidem vxore Popielum, è Concubinis verò Boleſlaum, Caſimirum, Vladiſlaum, Vratiſlaum, Otam, Baruinum ſiue Barminum, Pribiſlaum, Præmiſlaum, Iaxam, Semianum, Zemouitum, Zemomiſlum, Bogdalum, Spicigneum, Spicimirum, Zbigneum, Sobeſlaum, Wiſſimirum, Ceſſimirum, & Viſlaum. Ex his Popielum in ſpem Principatus liberaliter educatum, ſucceſſorem ſibi viuens deſignauit, cæteris ſacramento vt Popielo pareant adactis, occidentalem & maritimam oram omnem inter Albim & Habelam fluuios, quemadmodùm Dlugoſſus prodidit, ad Oceanum & Germaniam ſpectantem inter eos partitus eſt. Et Boleſlao quidem natu maximo, Baruino ſiue Barmino atque Bogdalo Pomerania, quaſi tu maritimam dicas, obtigit: Caſimiro & Vuladiſlao Caſſubia: Iaxæ & Semiano Serbia ſiue Sorabia: Vratiſlao Rama ſiue Rugia, vt vult Vapouius: Pribiſlao, Ceſſimiro & Otæ Ditiuonia, quæ nunc à noſtris Luſatia, ab alijs Luſitia dicitur: Præmiſlao, Zemouito, & Zemomiſlo ea quæ nunc Marchia Brandeburgenſis à Metropoli Brandeburgo, quæ à noſtris Sgorelecia vocata fuit. Reliquis reliqua eius oræ, in quibus Viſlaus Mezibozum arcem, quam nunc Meideburgum ſiue Magdeburgum vocant: Sobeſlaus Dale, quod Dalenburgum, Viſſimirus in littore Oceani Viſſimirienſis quæ antiquum nomen in Viſmariam à Teutonibus deflexum retinet, condiderunt. Alias prætereà complures arces & oppida Duces poſterique eorum ædificarunt, & vernaculis ſuis linguis appellarunt, de quibus ſunt Brema, vt vult Dlugoſſus, in confinio Friſiorum & Veſtualorum; Luna quam Germani Luneburgum vocant à reſplendentiâ; Bucouicia quæ à Germanis Lubeca vocatur; apud Slauos verò accolas antiquum nomen etiam num retinet, tametſi Lubecæ quoque nomen Slauicam Etymologiam redolet; Bachiborum, Zuerinum, Lubouia ſiue Lucouia, Germani Mechelburgum à Michelo con-

Polonorum imperium olim latè patens.

 ditore,

ditore, eiuſque oræ Duces Mechelburgenſes, nonnulli Magnopolenſes ineptè compoſito vocabulo dicunt. Item Roſtocum, Verla, Suawouum, Oſtrouum, Ceſſinum, Marlouum, Polclum, Trebeſſouum, Vologoſſum, Ciaſni, Volineſſum; addit Crantzius Vinetam & Iulinum, quæ omnes fuerunt Polonorum coloniæ. Et ſubactæ quidem atque poſſeſſæ ſunt regiones illæ poſteriori tempore à Francis, Saxonibus, Turingis, Friſijs, Veſtualis & Hollandis, Teutonum populis, ſiue per ignauiam poſterorum Principum Poloniæ, ſiue per conniuentiam, cùm Duces earum Leſci huius nepotes, ab imperio Principum Poloniæ, quemadmodùm dicemus inferiùs, deſciuiſſent. hucuſque Cromerus. Et hæc quidem de Succeſſoribus Leſci, qui ſolus tam latè regnauit, cùm interim in alijs Vandaliæ partibus à nobis commemoratis, alij imperium exercerent. Vandalis migratio ad remota regna exitio fuit. namque quidquid erat roboris, & omni iuuentute domo abductâ, propè vacuas ſedes inuitati vicini populi facilè occuparunt, & Vandalicum nomen, quantum in illis fuit, extinguere conati ſunt: primò quidem religionis Chriſtianæ propagandæ prætextu, deinceps verò imperij dilatandi ambitione; ſoli ex Lechitis ſiue Vandalis Poloni, omnes omnium hoſtium conatus, innatâ quadam animi magnitudine, & libertatis auitæ conſeruandæ amore, armis coërcuerunt, fruſtrà, vt olim à Romanis Imperatoribus, vigente eorum in Germaniâ potentiâ, & à Turcis etiam, quorum opes & potentia vniuerſo orbi & fuit, & eſt formidabilis, appetiti, illibatam hactenùs conſeruant libertatem, nullius imperio, niſi quem ipſi liberis ſuffragijs Regem dixerint obnoxij: & in hoc Septemtrione Catholicæ Orthodoxæ religionis fortes & conſtantes defenſores, atque conſeruatores. Sed nos iam tandem ad id quod propoſuimus, nempe ad recenſendos Epiſcopos, qui Sedem Plocenſem, cui nos ad præſens indigni præſidemus, à tempore ſuſceptæ in Poloniâ religionis tenuerunt, accedamus. Sequemur autem hac in parte Ioannem Dlugoſſum ſiue Longinum Hiſtoricum, eorum qui res Sarmaticas explicarũt facilè principem. Ita autem illum nobis ſequendum proponimus, vt cùm is in ſupputatione temporum frequenter, vel memoriâ lapſus, aut certè parum in Scriptoribus Eccleſiaſticis verſatus videri poſſit, nos ad meliores calculos rem totam reuocandam ſuſcipiamus. Vixit Dlugoſſus ante annos centum & ſeptuaginta, vitaſque Epiſcoporum Plocenſium à ſe conſcriptas, Caſimiro Epiſcopo Plocenſi & Mazouiæ Duci dicauit: quam præfationem vt nos quoque hîc inſereremus, Viri tanti memoria, id à nobis exigere videbatur. Agnoſcet Lector ſtylum illius temporis, qui plus veritatis continet quàm elegantiæ. Sic igitur ille ſuam orditur Hiſtoriam:

Polonorum libertas, & magnanimitas.

Reuerendo in Chriſto Patri D. Caſimiro Dei gratiâ Epiſcopo Plocenſi, & Mazouiæ Duci, Domino meo Colendiſsimo, Ioannes Longini

gini Canonic. Crac. salute æternâ in Christo, qui omnium vera est salus, feliciter potiri. Non minimã inter Cathedrales Poloniæ Ecclesias, Reuerendissime in Christo Pater, sed raram & insignem, vt est, cui Diuino munere nunc præsides, Plocensem reputans Ecclesiam, Pontificum eius Epigrammata sub obscuro hactenùs latẽtia, & paucissimus nota, proferre in lucem, iuxtà ac cæterarum Gnesnensis Prouinciæ Ecclesiarum disposui; vt illius quoque decus, etiam hoc meo qualicunque officio enitescat: claris etenim & excellentibus fulsit quandoque Præsulibus, maioribus aliquantò & præstantioribus, quàm qui debeant occuli & sub obscuritate recondi, & qui legis Diuinæ & rationis, quemadmodùm & te facere conuenit, regebantur præscripto. Quorum nomina perpetuâ caligine, ob defectum Scriptorum obruta, etiam nec post cineres video resurrexisse, clarorum facinorum suorum ac virtutum fructu caritura, nisi scripturæ beneficio de tam iniquâ sorte fuerint vindicata. Verùm etsi is neglectus in transactis temporibus, quibus neque tot libri, neque tot literæ, neque tam feracia gymnasia, neque tàm splendidarũ doctrinarum lumen Regno Poloniæ obuenerat, tolerabilior veniabiliorq́ue videretur, at certè impræsentiarum, postquàm in Vrbe Cracouiensi studium generale resplenduit, postquàm pluribus Regni Poloniæ filijs, & his præsertim, qui ad oram Plociæ, siue Mazouiticam, cuius fertur Scorpio Dominus & gubernator, nascuntur; rara & singularia Scorpione adiuuante contigerunt ingenia, fœdum & iniquum parumq́ue officiosum reor, vt modernorum iuxtà ac priscorum illustrium heroum, & præsertim Pontificum animas, humanas simul & corpora ..... excolentium actiones, vitæ, & quæque insignia munera literæ, non debeant simplici stylo & ieiuno, & qualemcunque siue à naturâ, siue ab eruditione sortiti sunt extolli, & scripturis ad perennitatem consequendam mandari, cùm is labor eaq́ue exercitatio omnibus in commune pateat, & singulis sit ex æquo permissa, nocitura nemini, profutura vniuersis. Nascentis autem Plocensis Ecclesiæ, vt sese habet omnium rerum sors, natura, & conditio, primitiæ etsi fuerint ab exordio humiles, & ipsa Ecclesia, in Arce quidem locata, sed ex facilè corruptibili lignorum materiâ fabrefacta, processu tandem temporum, & dierum, per gratiam Altissimi, largitione & prouisione Regni Ducum, Regum, Pontificum, Principum, Heroum, cæterorumq́ue fidelium, breui coaluerunt, tantaq́ue sumpserunt in capite & membris incrementa, vt Plocensis Ecclesiæ status, decor, fabrica, & conditio, aliarum Cathedralium Ecclesiarum

Præfatio Ioannis Longini ad Casimirum Episcopum Plocensem super vitas Episcop. Plocensium.

Acad. Crac. plurimum splendoris Regno Poloniæ attulit.

Mazouia Scorpioni subiecta.

Ecclesiæ Cathedralis Plocensis status & amplitudo.

rum in Regno Poloniæ consistentium, sit amplitudinem supergressa. Quamuis autem priscorum negligentia, & parum vigilans cura, primorum Pontificum Plocensium, & nomina, & genus, & prosapiam obtenebrauerat, & merita, vtcunq; tamen potero confisus in præsidio Altissimi, studio altiori genus vnicuique coaptare curabo, mores, ingressum, excessum, & sortem, vt & probitas posterorum, & nobis succedentiũ, habeat quod sequatur, & quo se exerceat exemplum; & improbitas habeat terrorem, vt à suâ peruersitate resipiscat. Quod vt faciliùs proueniat, ab Angeloto primo Plocensis Ecclesiæ & talis nominis Pontifice, sumemus exordium, vsque ad Tuæ pietatis nomen peruenturi. Priùs tamen licebit mihi præfari Plocensem Ecclesiam, eâ excellentiâ (quod nemini ex omnibus sub Prouinciâ Gnesnensi consistentibus contigit) præditam esse, vt quilibet Gnesnensis Archiepiscopus, Canoniam & Præbendam in eâ habeat, & fructus ex illâ percipiens cum quotidianis refectionibus, quãdo præsens est Stalo in Choro, & voce vtatur in Capitulo, in quolibet Capitulari actu, & in Episcopi Plocensis electione, vnde & Ecclesiam ipsam in diuinâ re, & pro vice suâ per se aut alium administret.

Quilibet Archiepiscopus Gnesnensis est Canonicus natus Plocensis.

Opus autem hoc priùs aliquot dierum lucubratione à me contextum, Tuæ Paternitati dedico, obtestans illam, vt singula legens, æmuletur meliora, secuturus Apostolos merito, quos sequeris dignitate; atque id summo studio enitere, & contende, vt vitæ Apostolicæ sanctimoniam, obseruantiam, confirmationem, atque formam imiteris, conscensurus expleto cursu stadij, cum duodecim Orbem iudicaturis, supremum solium; & cum Paulo vltimo quidem in numero, sed primo in merito, pro virtuosis operibus tuis cœlestem municipatum.

Adhortatio Auctoris ad Casimirum Episcopum Plocensem.

Habes autem Pater Reuerende necessitatem indictam primam & præcipuam, optima quæque & sectandi & agendi, quatenùs omnes actiones Tuæ ad formam legis Diuinæ, tam Mosaicæ quàm Euangelicæ vno eodemq; tempore percussæ effigiatæq; sint, cùm vniuersa agas ante oculos tremendi Iudicis, singula & videntis & rimantis; habes & alteram necessitatem: etsi non æquè vt primam, duram, stimulosam tamen & cauteriatam. Singula enim & dicta & facta, siue bona egeris, siue quod auferat Deus, mala, in hominum post cineres Tuos versabuntur ore, & forsitan etiam à me, si fato non abrumpar, vel ab alijs superstitibus, iuxtà atque in speculo depingentur, cum perenni laude Tuâ, si clara, cum perpetuâ ignominiâ, si deformia apud posteros versatura. Habes & tertiam probitatis necessitatem, vt ex illustri Regum & Principum

cipum Poloniæ ſanguine ſatus, ad id vnum omnes Tuas curas, vigilias, & ſtudia intendas, vt Te clariſsimo generi conformans, excellentiam de Te exhibeas virtuoſorum operum, qui gloriaris Te natum eſſe magnificâ & celeberrimâ proſapiâ Regum & Principum Polonorum. Data Cracouiæ, Primâ Ianuarij Anno Domini 1478. Hæc Dlugoſſus.

Nos eius prementes veſtigia, noſtrum proſequimur curſum, & ab Angeloto Plocenſis Eccleſiæ regimen auſpicamur.

Angelotus I. Epiſcopus Plocenſis.

POſteaquàm Ægidius Epiſcopus Tuſculanus, Cardinalis, Ioannis Decimi Tertij Summi Pontificis, cum ſupremâ poteſtate, ad formandum ſtatum Eccleſię Polonicæ ſiue Vandalicæ Legatus, vniuerſam ampliſſimi imperij Polonici, ſiue Vandalici, ditionem & Prouinciam, animo & oculis complexus, in latè patentes Diœceſes partitus eſſet, eas inter non tam legationis ſocios, quàm ad gerendos in Vandaliâ, ſiue Poloniâ nouos Epiſcopatus miſſos diſtribuit. Ex ijs Cathedra & Eccleſia Epiſcopalis Plocenſis, Angeloto Romano, boni nominis & ominis, pio & erudito viro ſorte obtigit. Nobilis is fuit, è ſtirpe antiquâ Romanâ nobilitatis genus ducens, eruditus inprimis & pius, eas ſecum virtutes huc intulit, quę potiſſimùm religionis ſtudium, in pectoribus eorum quos Chriſtianis imbuebat præceptis nutrirent. Epiſcopatus eius initium, ad annum nongenteſimum ſexageſimum ſextum refert Dlugoſſus. Quo itidem anno, illuſtris & magnifica eluxit Mieciſlai Monarchæ Poloniæ, primi Principis Chriſtiani, erga Eccleſiam & religionem Catholicam liberalitas. namque is viros octo Epiſcopali dignitate conſpicuos, à Romano Pontifice, vt ex Baronio ſuprà retulimus, in Vandaliam ſiue Poloniam miſſos, ita veneratus eſt, ac ſi de cœlo delapſi, veritatis Catholicæ lumen Septemtrionalibus regionibus ſuo imperio contentis illaturi eſſent. Non ſunt (vt ille ait) tarda S. Spiritus molimina. Ab hoc imbutus Chriſtianiſſimus Princeps Mieciſlaus ſiue Mieſco, & ardore ignis cœleſtis ſuccenſus, non mortuâ ſed viuâ fide ſe pietatem colere velle, in ipſo ſuſceptæ Catholicæ religionis initio oſtendit. Itaque decimas, tam ex nobilium quàm agreſtium bonis, omnium frugum quæ ex culturâ agrorum totius Poloniæ colliguntur, (cenſus is fuit qui olim Principi, dum adhuc hîc nondum Chriſtiana religio illuxiſſet, debebatur, & quotannis in Fiſcum decimatione, vt aiunt, manipulari aſſignatis ad id Regijs horreis inferebatur) vnicuique in ſuo Epiſcopatu conceſſit: deinde vt Epiſcopi in Poloniâ maiori cum dignitate rem Eccleſiaſticam gerere, & Reipublicæ conſulere poſſent, ampliſſimas vnicuique poſſeſſiones, vnà cum Ducalibus iuribus, ac primo ſupra omnes Princi-

Exordium Cathedræ Plocẽſis, Anno Chriſti 966.

Decimæ omnium frugum ad fiſcum Regium olim pertinuerunt; in Epiſcopos poſtmodùm tranſlata.

Principes, qui tum in Poloniâ reperiebantur, in publico consilio & consessu Comitiali, locum iure perpetuo contulit; ac lege latâ sanxit, ne deinceps quispiam ex suis successoribus eam sacram donationem interuerteret, néve se sacrilegij crimine contaminaret. Sed vt ad Angelotum redeamus, sedulus is fuit in promouendâ fide Christianâ: vniuersam suam obibat Diœcesim, adhibitis in consortium laboris, non solùm ijs quos secum ex Italiâ adduxerat Presbyteris, verùm etiam si quos ex Polonis Sacerdotio dignos habere poterat; verbo & exemplo ad pietatem formabat rudem adhuc populum, Ecclesias Parochiales vbi commoditas loci erat statuebat, Diœcesim in Parochias diuidebat, Sacerdotibus in ijs collocatis, ne quid ad vitæ sustentationem deesset, Decimas à Principe sibi donatas, prout vnicuique expedire videbatur assignabat, ornandæ inprimis Ecclesiæ Plocensis Sponsæ suæ cupidus, Collegium Prælatorum & Canonicorum attributâ illis magnâ parte Decimarum suarum ita dotauit, vt Ecclesiæ Plocensis & numero Prælatorum, & opibus, vix cuiquam Cathedrali in Poloniâ Ecclesiæ illis temporibus cederet. Et quamuis sciret Canonicorum munus esse, & eo nomine illis quotidianas Distributiones deberi, vt Sacrificia, & Horas Canonicas in decantandis in Choro sacris Officijs per se obirent, cùm tamen videret operâ eorum ad alia negotia tractanda, sibi & successoribus suis opus fore, aliud Sacerdotum Collegium qui vices Canonicorum implerent, fundauit dotauitque. Denique vt plures haberet, qui in vineâ Domini excolendâ illi, & successoribus eius adiumento essent, lectis compluribus ex iuuentute ingenuâ & nobili iuuenibus, eos ipsemet latinis literis imbuere haud indecorum existimabat, magister domi, in templo doctor, in Republicâ, in quâ etsi natus non esset, tamen vt verus insitus Sarmatiæ ciuis, vt Patriam propriam amabat, summus vir & Senator, in dando consilio Principi liber, domi castus, in publico fortis, vtrobique summâ excellens prudentiâ. Obijt Plociæ Anno nongentesimo octuagesimo secundo, ibidemque honorificam accepit sepulturam, vniuersis Diœcesis suæ decoratus lachrymis.

Aliis Sacerdotibus ad sustentationē vitæ impertitæ.

Obitus Angeloti primi Episcopi Plocensis Anno Christi 982.

Martialis II. Episcopus Plocensis.

Viuente adhuc Miecislao supremo in Poloniâ Monarchâ, Angeloto vitâ functo, datus est à Romano Pontifice Benedicto Septimo, Anno Christi nongentesimo octuagesimo tertio, Ecclesiæ Plocensi, Episcopus Martialis Romanus, & ipse, Angeloto non solùm nobilitate generis, sed & sacrarum literarum notitiâ par, humanitate & benignitate insignis: cuius præclarum religionis propagandæ zelum, vel ex hoc agnoscere possis, quòd vt commodiùs ipse per se rudem populũ salutaribus instrueret monitis, linguam Polonicam magno conatu discere contenderit, tantumque profecerit, vt per se ipsum confessiones sacras excipere, & publicas

blicas ad populum conciones facere, non incongruè potuerit; quod qui-dem ita ſedulò præſtitit, vt nullam partem ampliſſimæ Diœceſis ſuæ reliquerit, quam non prædicando, Sacramenta adminiſtrando, recenter ad Chriſti fidem conuerſos Polonos pijs inſtitutis erudiendo, Eccleſijs nouis fundandis adierit, in omnibus ſe præbens exemplum boni Paſtoris. Denique id illi potiſſimùm curæ fuit, vt Miniſtros Euangelij, à ſe Sacris initiatos, ſibi ſimiles, id eſt caſtos, probos, in exercendâ curâ animarum non ſegnes redderet, ratus eorum viuo exemplo meliùs quàm doctrinâ, & rem Catholicam promoueri, & pietatem pectoribus hominum inſeri poſſe. Nec eum ſua ſefellit opinio, felici enim ſemente vſus, mox ingentem in ſuâ Diœceſi fidelium numerum creuiſſe vidit, & Deo laborum ſuorum fructus obtulit. Nec mirum videri poteſt Martialem tanto flagraſſe pietatis propagandæ ſtudio, cùm eo Pontificatum Plocenſem tenente in Poloniam venerit Woytechus, ſiue vt eum poſteà Germani appellarunt Adalbertus, illuſtri in Bohemiâ Roſeorum familiâ ortus, Ottonis Tertij Romanorum Imperatoris conſanguineus. Epiſcopus ille olim fuit Pragenſis, petentibus Bohemis, à Moguntino Archiepiſcopo datus, vir Sanctus & Apoſtolicus; ſed cùm videret Bohemos durâ ceruice monita pia aſpernari, & toties ſpretis illius ſalutaribus præceptis, ad ſordes veteris idololatriæ relabi, ſummi Pontificis permiſſu, primò in Hungariam, deinde in Poloniam venit, atque à Boleſlao Chobrio, Monarchâ adhuc & non Rege, benignè exceptus, & ab vniuerſo populo omni genere piæ hoſpitalitatis cultus eſt. Hunc idem Princeps, renitentem planè, & ſuſceptum propoſitum prædicandi Verbi Dei barbaris nationibus Pruſſis vrgentem, Archiepiſcopatum Gneſnenſem mortuo Roberto vacuum, ſuſcipere magnis precibus coëgit; quem cùm ille triennio adminiſtraſſet, martyrij conſequendi ardens ſtudio, ſubrogato in ſuum locum, & in Archiepiſcopatu relicto fratre ſuo germano Radzino dicto (ſiue tu Gaudentium Vandalico nomine in latinum verſo, dicere malueris) in Pruſſiam aſſumptis aliquot viris religioſis ſe contulit. Vbi Diuini verbi ſementem ſtrenuè ſpargens, vix vllo quæſito fructu, dum Chriſto ſacras ad aras, arcanum offert Sacrificium, à barbaris cæſus, optatam martyrij palmam obtinuit. Hunc tantum virum non ſolùm videre potuit Martialis Epiſcopus Plocenſis, verùm etiam eius præclaris actionibus, ſingulari erga Deum amore, ad fidem Chriſtianam ſedulò promouendam prouocari. Hoc eodem Martiali Plocenſi Epiſcopo viuente, famâ miraculorum, quæ ad Diui Adalberti à Pruſſis cæſi corpus Gneſnam relatum edi audiuerat, excitus Otto Imperator pacatus in Poloniam venit, atque comiter à Boleſlao Monarchâ exceptus, doniſque & muneribus magnificis cumulatus, coronam Regiam non tam ſuâ auctoritate, quàm Syluestri Secundi Papæ, cuius ſecum Diaconum Cardinalem Legatum de latere in comitatu habebat, capiti Boleſlai imponit, Regemque eſſe iubet. Non me ſanè mouet Dithamari & Petri Damiani,

S. Adalberti in Poloniam aduentus.

S. Adalbertus à Pruſſis barbaris Martyrio coronatur.

Boleſlaus Chobri Dux Poloniæ Regis Diademate inſignitur, & titulo Regali donatur.

Damiani, à Cardinali Baronio allegatorum Scriptorum auctoritas. Namque Dithamarus tot falsis narrationibus farsit suam Historiam, vt ei, vti nominis Poloni osori fides haberi non possit. Ac vt cætera taceamus, quis vnquam credet, Boleslao demum Principe, Archiepiscopum Gnesnensem esse constitutum, cùm parietes ipsi loquantur, ab Ægidio Episcopo Tusculano Cardinali, auctoritate Ioannis Decimi tertij Summi Pontificis, propè quadraginta antequàm Otto Imperator in Poloniam venisset annis, ita statum Ecclesiasticum formatum fuisse, vt & Gnesnæ ac Cracouiæ essent Archiepiscopi, & reliquas Cathedras tenerent Episcopi, ac Sanctus ille Adalbertus ab omnibus Scriptoribus Gnesnensis Ecclesiæ Archiepiscopali dignitate fuisse ornatus perhibeatur. Et Petrus Damiani, qui propè sexagesimo anno à susceptâ per Boleslaum Regiâ coronâ vixit, quamuis vir magnus & pius fuerit, tamen dum res externas, & longè ab Italiâ remotas scribere aggreditur, in multis falli & decipi potuit. Vt in eo, cùm referente Baronio scribit, Boleslaum Regem, quendam Monachum Ordinis Camalduensium, ad Summum Pontificem petendæ coronæ Regiæ causâ ablegasse, cuius ne nomen quidem refert, nec ex quo Monasterio prodierit, significat. Extant adhuc in Maiori Poloniâ, sexto à Gnesnâ milliario, quinque Martyrum Camalduensium, regnante Boleslao, quinto à Coronatione ipsius anno, à Christo verò nato, millesimo quinto, à latronibus immaniter cæsorum sepulchra, singulis cellis distincta, quorum nomina ea fuerunt, Benedictus, Ioannes, Matthæus, Isaacus, atque Christinus; Barnabas insuper, qui cædis tempore cùm abesset, martyrij coronam non est adeptus, sed posteà vitæ sanctitate illis par, & vitâ functus, separato itidem à fratribus tumulo conditus est. Fuisse hos Diui Adalberti socios peregrinationis, semper antiquâ traditione credidit Ecclesia Polonica, eorumque memoriam ad diem pridie Idus Nouembris piâ veneratione colit. Si suspicari libet, existimari potest Boleslaum primum Regem Polonię, cùm Henricum Secundum, nondum Imperatorem, sed tantum Romanorum Regem dignitati suæ minùs fauere sciret, idemque icto cum Harduigo Longobardorum in Italiâ Rege, cognato & gentili suo (quippe & Longobardis eadem quæ Vandalis stirpis origo fuit) Henrici imperium impugnaret, non sub Ottone Imperatore, vt relati à Baronio auctores falsò asserunt, sed sub Henrico, qui Anno Christi millesimo secundo Rex Germaniæ appellatus est, ad firmandum ius Regium beneficio Ottonis Imperatoris partum, hunc Monachum de quo Petrus Damiani scribit, secretò ad Summum Pontificem petitum, ne quid in præiudicium iuris sui, & quæsitæ, beneficio tam Pontificio quàm Imperatorio, Coronæ Regiæ, isthic vel decerneretur, vel impetraretur, ablegasse. nam si Coronæ nouum ius peteret, certè non Monachum, sed magni alicuius nominis virum, cum muneribus Summo Pontifice dignis, tam clarus & potens, atque etiam opulentus Rex, ad Vrbem misisset. Sed Dithamarus

Dithamari de rebus Polonorum falsa Historia.

Quinque Martyres Camaldueneses in Poloniâ.

rus quàm turpiter erret, dum Imperatoris ad Gnesnam accessum refert, audiamus. Videns, inquit, à longè Gnesnam vrbem desideratam, nudis pedibus suppliciter aduenit, & ab Episcopo eiusdem Vngero venerabiliter susceptus, in Ecclesiam introducitur & ad Christi gratiam sibi impetrandam Martyris intercessio profusis lachrymis inuitatur. Sistamus hic paulisper stylum, & ex Dithamaro quęramus, cuiusnam Vrbis Episcopus fuit Vngerus? respondebit ille paulò inferiùs, hunc Posnaniensem Episcopũ fuisse; cur igitur Gnesnę illum adscribit, cùm tum Radinium Diui Adalberti germanũ fratrem Archiepisc. Gnesna habuerit? Series verę historię ita habet: Boleslaum Principem, aduenienti Ottoni Romanorum Imperatori cognato suo, Posnaniam vsque obuiàm iuisse, ibi Ottonem & à Principe, & ab Vngero Episcopo Posnaniensi honorificè exceptum, tantã venerationem sepulchro Diui Adalberti habuisse, vt per septem germanica milliaria, (tot enim Gnesna Posnaniâ distat) vijs panno, iussu Boleslai constratis, tantum itineris spatium nudis pedibus confecerit. Sed pergit deinde Dithamarus. Nec mora; fecit ibi Archiepiscopatum, vt spero legitimè, sine consensu tamen præfati Præsulis, cuius Diœcesi omnis hæc regio subiecta est, committens eundem prędicti martyris fratri Kadimo, (Radinum rectiùs dixisset) eique subijciens Reinbernum Sanctæ Cholbergiensis Ecclesiæ Episcopum, Popponẽ Cracuensem, Ioannem Vuioteslanensem, Vngero Posnaniensi excepto. Factoq; ibi altari sanctas in eo honorificè reliquias cõdidit. Somniare videtur nescio quas tricas iste bonus Scriptor, & de re sibi ignotâ texit fabulam, dum & Archiepiscopum, & aliquot Episcopos, corruptis, & in Poloniâ vix auditis nominibus, ab Ottone nobis datos temerè fingit, quos & plures alios, Summi Pontificis Ioannis Decimi tertij auctoritate constitutos iam dudum habuimus. Errantem corrigere voluit Cardinalis Baronius, asserens hos Archiepiscopatum & Episcopatus, auctoritate Archidiaconi Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui cum Ottone huic actui præsens adfuit, ordinatos fuisse. sed bonâ veniâ tanti viri dictum sit: meminisse enim debuerat quid sub annum nongentesimum sexagesimum sextum scripserit, de misso in Poloniam, à Ioanne Decimo tertio Ægidio Episcopo Tusculano Cardinali, formatoque in Poloniâ Ecclesiastico statu, nosque ab eo ipso Ægidio in Poloniâ Episcopos ordinatos fuisse, suprà ostendimus. Sed nos auctoritate Sanctissimi Pontificis Gregorij Septimi, vrget Baronius, eiusdemque Pontificis literis probare nititur, Polonos & Ecclesiam Sarmaticam, seu Vandalicam, vsque ad Annum Christi millesimum septuagesimum quartum, dignitate Metropolicâ & Archiepiscopali caruisse. sed ipsum audiamus Baronium, de hac ipsâ Dithamari narratione, suum iudicium adijciente. Porrò cùm audis tot sacra munia exhibita ab Imperatore, scias malè ipsi vt auctori esse tributa, quæ legatus à latere cũ eo missus, Archidiac. Cardinalis Sacrę Romanæ Ecclesię, suâ auctoritate facienda curauit. Legati namque auctoritate factũ oportuit, quod narrat

Refellitur iterum ab auctore Dithamarus Historicus.

de Archiepiſcopatu ibidem tunc erecto. Verùm an iſta à Romano Pontifice probata fuerint, vehementer dubito: ſiquidem aſſertione Gregorij Septimi Romani Põtificis, apparet vſque ad ſua tempora, nondum fuiſſe inſtitutam Sedem Archiepiſcopalem in Poloniâ. Nam ipſe ſcribens ad Boleſlaum Ducẽ Poloniæ, cùm Legatos illuc mittit, ad hoc ipſum agendum, hæc ait: Illud nobis primò attendendum eſt, quòd Epiſcopi terræ veſtræ non habentes certum Metropolitanæ Sedis locum, nec ſub aliquo poſiti magiſterio, huc atque illuc pro ſuâ quiſque ordinatione vagantes, vltra Regulas & decreta Sanctorum Patrum, liberi ſunt, & abſoluti. Deinde verò quòd inter tantam multitudinem, adeò pauci ſunt Epiſcopi, & amplæ ſingulorum Parochiæ, vt in ſubiectis plebibus curam Epiſcopalis officij nullatenùs exequi aut ritè adminiſtrare valeant. Pro his igitur, &c. Data eſt Epiſtola ſeptimo Calendas Maij, Indictione decimatertiâ, anno Chriſti milleſimo octuageſimo quarto. Hucuſque Baronius.

Centum igitur & tredecim annis caruiſſe debebat Polonia Sede Archiepiſcopali, & tam nobile Regnum fundatis iam ampliſſimis Epiſcopatibus, conſtitutâ & ordinatâ per Ægidium Tuſculanum Epiſcopum Cardinalem Catholicâ Eccleſiâ, vigente & florente non ſolùm fide, ſed & pietate Catholicâ, ita vel à Summis Pontificibus, & ab ipſo vigilantiſſimo Paſtore Gregorio Septimo, cuius literæ decimo demum eius Pontificatus anno datæ referuntur; vel ab ipſis pijſſimis tum & vigilantibus, in ipſo ſuſceptæ religionis primo feruore, Epiſcopis, curam Paſtoralem neglectam fuiſſe quis credet? Series ipſa Archiepiſcoporum Gneſnenſium, qui quot fuerint, & quibus annis vixerint, eorum Catalogus Poloniam Archiepiſcopo caruiſſe refellit. Duo, vt ſuprà diximus, erant ab initio ſuſceptæ religionis in Poloniâ fundati Archiepiſcopi, Gneſnenſis & Cracouienſis: ille quidem nunquam intermiſſâ eâ dignitate ad noſtra vſque tempora, per tot ſucceſſores, quos propè ſeptingenti anni continuò ſuppeditarunt, retinet Sedem & præeminentiam Metropolicam; hic verò cùm eadem etiam ab initio dignitate fulgeret, ſeptem Archiepiſcopos ſibi inuicem ſuccedentes habuit, quorum vltimus fuit Aaron ex Abbate Tinecenſi, per Caſimirum Primum Monachum ad Archiepiſcopatum Cracouienſem promotus, & à Gregorio Sexto Romano Pontifice, anno Chriſti milleſimo quadrageſimo ſexto confirmatus. Eius ſucceſſor Lampertus Zula, primus non petito à Summo Pontifice Leone nouo pallio, dignitate Epiſcopali contentus fuit. Huic cùm Staniſlaus Epiſcopus, vitæ ſanctitate & coronâ martyrij orbi Chriſtiano notus, electione liberâ ſubrogatus eſſet, nec ille ob eximiam animi ſubmiſſionem, intermiſſo ab anteceſſore ſuo titulo ſplendeſcere voluit. Geſſit is Epiſcopatum Cracouienſem vſque ad annum milleſimum ſeptuageſimum nonum, magno & inuicto animo, ita munus paſtorale obiens, vt ne Regi quidem Boleſlao cognomento Audaci, parceret. Erat is Princeps bellicoſus & victorioſus, ſed turpibus & obſcæ-

obscænis immersus libidinibus, quo nomine cùm sæpiùs à Stanislao Episcopo redargueretur, & ad extremum à cœtu fidelium remoueretur, in rabiem versus, eundem Sacris operantem, immani crudelitate, in frusta concidit. Quod quidem anno Gregorij Romani Pontificis septimo accidit, qui tanto impij Regis scelere commotus, & Poloniæ vniuersæ Sacris interdixit, & Boleslaum Regem exauctorauit, executionemque edicti sui Petro Archiepiscopo Gnesnensi, ac cæteris Episcopis demandauit. Cumque idem Pontifex videret Poloniam altero orbatam Archiepiscopo, hoc nomine literas suas ad Boleslaum (crediderim potiùs Vladislaum Hermanum successorem Boleslai à se Regno exuti) direxisse, eumque de restituendo Archiepiscopatu Cracouiensi monuisse, cùm eodem tempore, & eodem Pontifice Gnesnensis Ecclesia Petrum Archiepiscopum haberet. Habuit itaque Polonia semper Archiepiscopum, neque ostendi potest illum alio tempore, nisi sub initium susceptæ religionis, constitutum & ordinatum fuisse: immò verò manifestè apparet, ab Archiepiscopo Gnesnensi Radimo, siue Radzino Diui Adalberti fratre, viro sancto, pio & religioso, atque in Vrbe Romanâ vnà cum Sancto Adalberto educato, pręsente Ottone Imperatore & Archidiacono Sacræ Romanę Ecclesiæ Cardinali, Summi Pontificis Syluestri Secundi auctoritate accedente, Boleslaum primum Poloniæ Regem diademate Regio exornatum fuisse. Ad cuius rei confirmationem placuit hîc inserere Epitaphium huius Regis Boleslai Chobrij, tumulo eius, quod adhuc Posnaniæ in Ecclesiâ Cathedrali visitur, vetustissimis literis & iam antiquitate arrosis scriptum, his vetustatem satis redolentibus, incomptis quidem, nec satis suis numeris constantibus, vt rude illud sæculum quiuis agnoscat versibus comprehensum.

Hic iacet in tumbâ, Princeps gloriosa columba: *Epitaphium Boleslai Chobri primi Regis Poloniæ.*
Chobri tu es dictus, sis in æuum benedictus:
Fonte sacro lotus, seruus Domini puta totus:
Præcidens comam septennij tempore Romam.
Tu possedisti velut Athleta Christi
Regnum Slauorum, Gotthorum seu Polonorum,
Cæsar præcellens, à te Ducalia pellens.
Plurima dona sibi quæ placuere tibi,
Huic detulisti, quia diuitias habuisti.
Inclyte Dux tibi laus Serenissime Boleslae,
Perfido Patre natus, sed credulâ Matre.
Vicisti terras faciens bellum quoque guerras:
Ob famam bonam, tibi contulit Otto coronam.
Propter luctamen, sit tibi salus. Amen.

Ex hoc vetusto Epitaphio animaduerte & disce Lector, olim hos qui

nunc Poloniæ Reges dicuntur, Slauonico & Gotthico fulsiſſe titulo, ſed poſteaquàm Gotthi hinc oriundi, ſub varijs nominibus, vel Vandalorum vel Longobardorum, Bulgarorum, vel denique Gotthorum, in Italiâ, Hiſpaniâ, ac Africâ, noua Regna, nouaque condiderunt imperia, Poloniæ Principes, qui emiſſis tot nationum ad debellandum Romanum Imperium agminibus, in ipsâ vetuſtâ ſede Regni Sarmatici, latè patentes ditiones ſuo continebant imperio, Polonos ſe dici maluiſſe, & ſub hoc nomine, vetuſtam gentis Gotthicæ bellicam gloriam, & libertatem conſeruaſſe, & quidem ſatis feliciter; nam in ijs remotis regionibus, quas Gotthi olim & Vandali occuparunt, nomen, & lingua ſermonis Gotthici penè extincta eſt, nullaque ſanguinis noſtri iſthic extat memoria; ſed omnes hæ gentes in vetuſtam Hiſpanorum, Italorum & Gallorum appellationem tranſierunt, ſoli Poloni Vandalicam, Gotthicamque linguam retinent, & priſtinæ libertatis decus ſummâ cum laude tuentur. Suiones autem ſeu Sueones vetuſtus Sarmatiæ & Gotthiæ populus, qui vltra mare Balticum Septemtrionem verſus ſedem poſuerũt, vnà cum Dauis ſiue Dauunis, quod nomen Vandalicè antiquum ſonat, vt & in Italiâ, quò Dauunus ſiue Saturnus ex Illyrico veniſſe fertur, & noui Regni poſuiſſe initia, antiquior idem omnium Hiſtoricorum memoriâ celebratur, quos nunc Danos appellamus (hi quoque Gotthi fuerunt, & in illis locis vbi nunc Dacia eſt, proximas Danubio ſedes tenuerunt) vnde illi Daui inter Græcorum ſeruitia olim numerati, quorum illa vox; *Dauus ſum, non Oedipus* apud Terentium, vt & Gettæ à Gotthis initium habuerunt, longè imperium extenderant, ſed ſucceſſu temporis Nemetum linguâ (gens hæc fuit nota antiquiſſimis Hiſtoricis, ex quâ eos, qui nunc Teutones appellantur, traxiſſe originem argumento eſt, quòd omnes ij qui Vandalicè aut Slauonicè loquuntur, Teutones omnes Nemetes appellant) & moribus infecti, miſtum Nemetico & Gotthico idiomati ſermonem retinent, Gotthorum tamen & Vandalorum ſe eſſe ſtirpem, ſuorum Regum titulis teſtantur. Clarum eſt apud illos nomen Volodimiri (quaſi tu dicas pacis potentis) Regis, qui primus Reges Suecis & Danis dediſſe ſcribitur, cùm totam illam Inſulam ſuo teneret imperio. Cæterorum quoque Regum nomina, ſi quis ea ad trutinam linguæ Gotthicæ expenderit, ex Vandalico ſermone ea fluxiſſe comperiet. denique extant adhuc in Sueciâ monumenta linguæ Vandalicę, quâ faſti ſacri, paucis iam tantùm ruſticis noti, continentur. Cùm autem legis Epitaphij Boleſlai quartum verſiculum : *Præcidens comam ſeptennij tempore Romam* : eum vt intelligas, reuoca tibi in memoriam fuiſſe illo tempore moris, vt pij & Chriſtiani Principes, depoſitis liberorum ſuorum comis, eos ad ſummum Eccleſiæ Catholicæ Præſidem in perpetui obſequij & piæ ſeruitutis ſignum mitterent; id à Miecislao quoque Boleſlai Parente fuiſſe factum, vt ſeptimo nati ſibi Boleſlai filij anno, ſolenniter præciſàm comam, Summo Pontifici Dono, eius nominis ſecundo offerret

NOTA.

offerret ac dedicaret; Chobri autem nomen illi inditum fuit à fortitudine quâ præstabat, quippe Chobri fortem, & strenuum in linguâ Gothicâ seu Slauonicâ significat. Sed vt ad institutum nostrum redeamus, si hos versus Baronius vidisset, haud dubiò quin antiquitatem ipsam miratus, nostræ accessisset sententiæ, & Boleslaum Chobrium auctoritate summi Pontificis, præsente eius Legato Cardinali, ab Ottone tertio Imperatore, Coronam Regiam accepisse sibi persuaderi passus fuisset; interim ad Martialem Episcopum Plocensem, cuius vitam scribimus, reuertamur. Qui cùm multa præclara in Episcopatu gessisset, ac Regis Boleslai Chobrij coronationi Gnesnæ interfuisset, quarto post eius actus celebritatem anno, Episcopatus verò sui vigesimo secundo, senio pariter & labore confectus, morbo item scabiei contracto, tandem anno Christi millesimo quinto piè obdormiuit in Domino, Benedicto Octauo Romanam Sedem tenente.

Obitus Martialis II. in ordine Episcopi Plocensis Anno Christi 1005.

Martinus Episcopus Plocensis III.

DIutiùs nos & supra votum nostrum tenuit de iure in Poloniâ Coronæ Regiæ disceptatio, non incommodè nec sine fructu suscepta; ad dignitatem enim Sarmatici populi pertinere videbatur, magnis quibusdam Scriptoribus, sed rerum nostrarum ignaris, hunc ex animo eximere scrupulum, ne ampliùs ambigerent, cuius nomine Reges in Poloniâ regnare cœpissent. Martiali Episcopo Plocensi successit Martinus è nobilitate Gallicâ ortum ducens, sed Romæ educatus, & pietate imbutus. Hunc Apostolicâ Benedicti Octaui Romani Pontificis auctoritate Episcopum ordinatum, & in Poloniam missum, læto animo excepit Plocensis Ecclesia. Eruditum hunc fuisse, & in iure Pontificio præclarè versatum inprimis constat, qui suscepto Episcopatu, in primis ad exemplum Martialis Prędecessoris sui, in omni Pastorali functione obeundâ, sese accõmodare studuit, illius præclaras virtutes, piâ æmulatione ad se deriuare contendens. Nec absque digno Pontifice comitatu in Poloniam venerat; nam & multos pios & eruditos viros secum adduxerat, & complures Sacros Codices ac Canonicos secum detulerat, his vsurus ad confirmandos in fide populos sibi subiectos, cumque ipse religiosam & continentem duceret vitam, exemploque magis quàm verbo, & populum & Clerum ad pietatis studia formare eniteretur, nullâ re magis offendebatur & commouebatur, quàm si quę vestigia in hominibus Sacro altari addictis, intemperantiæ & libidinis comperisset, castus ipse & castitatis rigidus exactor. Sacerdotes labe turpitudinis maculatos, non salutare verbi Dei pharmacum pectoribus hominum illaturos, sed turpitudinis sordibus tanquam certo veneno polluturos, ac propè necaturos existimabat. Quamobrem Presbyteros flore continentiæ conspicuos, eximio prosequebatur amore, eorumque ita singularem gerebat curam, vt ad

necessitates eorum releuandas vniuersam substantiam Episcopalem piâ liberalitate partiretur. Denique cùm in Cathedrâ Plocensi decem & octo annos explesset, febre quartanâ propè integro anno debilitatus, condito testamento, & libris quos ex Italiâ secum aduexerat Ecclesiæ Plocensi donatis, anno restitutæ humanæ salutis millesimo vigesimo quarto, Ioanne Decimonono Pontificatum Romanum tenente, in Poloniâ verò Mieciſlao Boleſlai Chobrij filio regnante, vitam mortalem cum immortali cõmutauit gloriâ, & in Plocensi Ecclesiâ honorem sepulchri accepit.

Obitus Martini III. in Ordine Episcopi Plocensis, Anno Christi 1024.

Albinus Episcopus Plocensis IV.

AD Italicum iterum, eundemque Romanum res Plocensis redijt, namque Ioannes Decimusnonus Pontifex, Mieciſlao Poloniæ Rege petente, Albinum nobilem Romanum, Decretorum Doctorem, & Ecclesiæ Sancti Petri de Vrbe Canonicum, mortuo Martino, Episcopum Plocensem renunciat, virum sanè eruditum, & iam satis maturum ætatisque prouectioris. Hic posteaquàm de mandato Pontificis per Cardinalem Ostiensem Romæ consecratus fuit, atque delati ad se Episcopatus curam suscepit, nihil antiquius habuit, quàm vt se Sponsæ suæ præsentem exhiberet. Exculti iam erant mores & ingenia gentis Polonæ, neque vlla extabant vestigia veteris barbariei; expertus est id magnâ suâ lætitiâ Albinus Episcopus, namque ei fines Diœcesis suæ ingredienti, ita & ab Ecclesiastico, & ab Equestri ordine obuiàm itum est, vt, quod dicitur, propè omnium manibus exciperetur. Prȩlati & Canonici numero satis amplo, veluti magnæ alicuius Reipublicæ Senatus, aduenientis sui Episcopi latus cingebant; magna etiam pars nobilitatis non mediocriter à literis latinis instructa fuit, studio potissimùm Martialis & Martini, vt iam Albino Episcopatum ineunti, latinâ linguâ ferè cum præcipuis quibusque agendum loquendumque fuerit. Quâ re exhilaratus, tantò magis incumbendum sibi putauit, vt quȩ ex prisco inanium Deorum cultu remanebant sordes, eas doctrinâ, & moribus suis elueret, atque ad pietatem Christianam conformaret. Hærebat adhuc in pectoribus quorundam memoria eorum, qui Dȩmonibus auctoribus freti, artes lege Diuinâ vetitas exercuerant, aliosque vel pollicitatione falsæ vtilitatis, vel terrore denunciati periculi, si maleficis creditum non fuisset, terrebant. Ad hanc pestem funditùs eradicandam omnes machinas admouit Albinus Episcopus, effecitque, vt Ministri diaboli fateri cogerentur, potentiores esse vires fidem Catholicam prædicantium, quàm totius infernæ potestatis; non erat grauis labor Albino, quem suscepit in excolendâ vineâ Domini, & dum vires suppetebant, tantum fecit quantum potuit; eodem tamen labore & senio, frequentique ægritudine quæ inde augebatur confectus, ad æterna laboris sui præmia, Deo vitæ auctore iubente, euocatus est, cùm in sede Cathedræ Plocensis annis sexdecim sedisset.

Obijt

Obijt Plociæ anno Domini millesimo, quadragesimo primo, & in templo Cathedrali Plocensi sepultus, cùm eo tempore Benedictus Nonus Sedem Romanam regeret, ac Henricus tertius Occidentali, Michaël quartus Orientali imperio præesset, ac Casimirus cognomento Monachus, è Cluniacensi monasterio, in quo religiosam vitam professus fuerat, eodem Benedicto Nono annuente, sacrisque illum votis soluente euocatus, Miecislai Regis filius, ex Rixâ Hezonis Palatini Rheni filiâ, ac Ottonis tertij Imperatoris ex sorore germanâ Malthilde nepte natus, Regium decus in Poloniâ hoc eodem anno susceptum præclarè tueretur. Hic ille est, ad quem redimendum censu Ecclesiastico, quem nummum Sancti Petri appellamus, vniuersa Polonia Sedi Apostolicæ se in perpetuum obstrinxit, ac vt tum latè Regni patuit imperium, omnes Regni ditiones (qualis fuit ea pars Poloniæ quæ nunc Silesia appellatur, Magna Lusatia, Marchia Brandeburgensis, & Pomerania, & Prussiæ ea pars, quæ sacris Christianis iam imbuta fuerat) hoc pium & religiosum onus susceptum, multis sæculis deinceps libentissimè tolerarunt, donec perfidia hæretica hoc ipsum aboleret.

Obitus Albini IV. in ordine Episcopi Plocensis, Anno Christi 1041.

Casimirus I. è Monacho Rex factus.

Nummus S. Petr. à Polonis Sedi Apostolicæ solui consuetus.

Paschalis Episcopus Plocensis V.

HIc quoque genere Italus fuit Hetruscus natione, genere nobilis, sed sanctitate & morum probitate longè nobilior. Pius erat & pietatis studiosus Casimirus Rex, nec dispendium curæ animarum facilè admittebat. Itaque simul atque Albinus è vitâ cessit, per literas, & nuncios Benedictum Papam Nonum flagitauit, ne diutiùs Sedem Plocensem vacare, & Pastore carere pateretur. Paruit hic, atque obsecutus est precibus pij Principis, huncque ipsum Paschalem ob morum suauitatem, mansuetudinem, modestiam, & pudicitiam cunctis acceptum, ac inprimis Papæ ipsi & Cardinalibus optimè notum, & commendatum, maiori etiam in ipsâ Vrbe dignitate, si diutiùs ibi substitisset augendum, inauguratum Episcopum Plociam ire iussit. Exceptus is est summâ Regis Casimiri beneuolentiâ, tum quòd ab Vrbe pietatis magistrâ, huc missus veniret, tum quòd honestate morum, & integritate vitæ, non solùm Regis, verùm etiam & Procerum omnium amorem & studia sibi conciliare optimè nosset. Res tum in Diœcesi Plocensi valdè turbatæ erant, namque Casimiri iuuenis & pij Principis, Maslaus quidam è Procerum numero aspernatus imperium, Masouiam vniuersam, aduocatis in auxilium Prussis, sui iuris fecerat. Vi & armis coërcendus erat; quod quidem præclarè à Casimiro Rege præstitum ac effectum est, victusque Maslaus à socijs conspirationis in patibulum actus futuris Principum desertoribus exemplo est, ne datam fidem frangant, neué altiùs conscendere contendant. Eo bello durante, fieri non potuit, quin Paschalis multas iniurias, bona Ecclesiæ Plocensis ingentia damna acceperint, quæ tamen libera-

litate Caſimiri Regis, conſtituto Reipublicæ ſtatu, & deuictis hoſtibus, reſarcita fuêre. Palam quidem iam in Diœceſi Plocenſi cultus Diuinus vigebat, caueri tamen vix potuit, vt aliquæ clandeſtinæ ſuperſtitiones non exercerentur; ad hoc lolium extirpandum, ſordeſque ex animis iam Chriſto conſecratorum hominum eximendas, ſummo ſtudio incubuit Paſchalis Epiſcopus, & non contentus falce ſpirituali, & Diuini verbi ſecuri, gladium quoque ſæcularem, & Caſimiri pij Principis fauorem, contra tales ſuperſtitioſos homines, in ſubſidium aduocauit. Agreſtes homines & agro colendo intenti, facilè parebant monitis optimi Antiſtitis; nobiles & milites Regijs edictis armiſque coërcendi erant. Sic tandem peſtiferum virus à ſtirpe euulſum, & ſincerus religionis cultus firmatus, auctore Paſchali Epiſcopo. In quo præter iram fortaſsè, quod reprehendas, non reperias, (quam ratione moderatam virtutis cotem eſſe, viri docti exiſtimarunt) hac ille commoueri ſolebat, non tamen vt affectui ſuo indulgeret, ſed vt vitijs ſe infenſum eſſe oſtenderet. Sex & viginti annos Paſchalis Plocenſem rexit Eccleſiam, anno Chriſti milleſimo ſexageſimo ſeptimo, debita in cœlis præmia ſuſcepturus, vitam cum morte commutauit, corpus vitâ caſſum Plocenſis tenet Eccleſia. Et vt tempora vitæ ipſius certioribus notis conſignata habeantur, dum ille è vitâ excederet, Alexander Secundus Romæ ſedit, Henricus Quartus Occidentale, Conſtantinus Duca Orientale rexit imperium, Boleſlaus audax ſceptra Poloniæ tenuit.

Obitus Paſchalis V. in ordine Epiſcopi Plocenſis, Anno Chriſti, 1067.

Marcus Epiſcopus Plocenſis VI.

VSa eſt hactenùs Eccleſia Plocenſis Epiſcoporum ex Italiâ, & Galliâ accitorum magiſterio, nondum enim centum & ſeptem annorum decurſu in eam excreuerat magnitudinem, vt ſe per ſe tueri, ac domi natis viris ſuam ſalutem concredere poſſet. Quare Paſchali defuncto, auctore Boleſlao Secundo Poloniæ Rege, Româ, & à Summo Pontifice dare ſibi Præſulem ampliſſima Plocenſis Diœceſis poſtulauit. Annuit optimus Pontifex Alexander Secundus votis & deſiderijs Plocenſium, lectumque ex domeſticâ ſuâ familiâ Marcum Cameræ ſuæ Clericum, virum pietate & eruditione præſtantem, humanioribus literis, & altioribus ſcientijs ſingulariter excultum, ſibi totique Curiæ Romanæ gratum, & acceptum, atque à ſe Epiſcopum conſecratum, in Poloniam Plocenſibus miſit. Latium quoque huic Patria fuit, natus in Lucanis, non ignobili generis ortu, & penè à puero pietati addictus. Vt autem non ſine ſupellectili Eccleſiaſticâ in Poloniam veniret, ac Sponſæ ſuæ dotem adferret, libros multos, Diuinæ Scripturæ & ſacrorum Canonum ſcita continentes, ſecum aduexit, Bibliothecamque Eccleſiæ Plocenſis tanto beneficio exornauit & auxit. Læta ſanè & proſpera initia Epiſcopatus ſui habuit: lætabatur vir pius, & zelo cultus Diuini propagandi incenſus, in tan-

tantum iam curâ & ſolicitudine Deceſſorum ſuorum excreuiſſe in agro Plocenſi pietatem, vt vix iam aliqua veſtigia extare viderentur ſpurcitiarum & ſuperſtitionum veteris impietatis, & culturæ Dæmonum. Exculta quoque Polonorum vnius Dei notitiâ ; & religionis Orthodoxæ amore pectora , ac latè longeque propagata Chriſtiana fides , non poterant niſi magnam ei adferre lætitiam , quippe qui idem optaret , idem ſperaret, eò toto animo ferretur , vt Deus ab omnibus cognoſceretur, ab omnibus glorificaretur. Impendit is quoque Epiſcopus multum operæ , vt Polonici idiomatis vſum aliquem ſibi acquireret , multumque cum naturâ & difficultate linguæ luctatus , tandem tantum magno labore conſecutus eſt, vt priuatim in audiendis ſacris confeſſionibus , & in conſilijs pietatis dandis , ore & opere ſuo, paſtorali curâ defungi poſſet ; in Diœceſi ſuâ viſitandâ, in Cleri moribus ad purioris regulæ normam formandis , ſedulus & aſſiduus verſabatur ; vt plebs vſu ſacratiſſimorum Sacramentorum aleretur, vt Sacerdotes ad excipiendas Confeſſiones, ſacramque Euchariſtiam diſtribuendam, ad Baptiſmum infantium , pij & idonei præſtò eſſent , omni curâ prouidebat. Boleſlaum Secundum Regem tum Polonia habuit. Pronepos is fuit Boleſlai primi, Rex coronatus numero quartus , Audacis nomen promptus ad quæuis bellica pericula ſubeunda animus illi pepererat. Quod ſi ſola bella geſſiſſet, magnum & victorioſum Principem habuiſſet Polonia ; ſed ille victor hoſtium, victus à delicijs & illecebris Ruſſicarum mulierum , turpi & obſcænæ libidini ſuccubuit , vniuerſus quoque exercitus eodem intemperantię reti veluti captus, ij quoque qui ſacri matrimonij legibus tenebantur , quique caſtis & pudicis vxoribus domi relictis in Regijs caſtris erant , obliti officij ſui, in alienarum mulierum amplexus ruebant. Hinc ingens pernicies & penè excidium totius Regni conſecutum eſt. Marcus Epiſcopus Plocenſis , haud dubio vt erat pius , ſummo dolore Regis magni lapſu afficiebatur : ſed quid faceret externus homo , & ad quem multorum opinione ea res minùs pertinere exiſtimaretúr ? omnium Epiſcoporum oculi in Petrum Archiepiſcopum Gneſnenſem verſi erant , hunc vltorem Regiarum libidinum omnes poſcebant , ſed nec ille tantum habuit animi, vt Audacem Regem Eccleſiaſticâ diſciplinâ coërcere auderet. Staniſlaus Scepanouius Epiſcopus Cracouienſis , gemma Sacerdotum , caſtitatis exemplar, rectè gerendi Epiſcopatus magiſter & dux, in ſe ipſum ſeuerus, erga omnes benignus, animi magnitudine , quam in eo generis quoque & nobilitatis ſplendor augebat, totque virtutibus fretus, pro gloriâ Dei murum ſe contra furentem Regis audaciam oppoſuit; monebat, orabat, obſecrabatque ſæpiùs Regem, vt cùm licitis vti poſſet delicijs, ab illicitis & obſcænis abſtineret; cumque leuioribus monitis nihil omnino proficeret , imò Regem acriùs obiurgatum , adhibitis etiam ſecundùm præſcriptum Chriſti aliquot viris pijs , furere cædemque minari videret, fruſtra monitum anathematis Eccleſiaſtico gladio illum percellit : vetat

Boleſlaus Audax IV. in ordine Rex coronatus

Polonia bellicoſiſsimus, ad illecebras & obſcænas libidines prolapſus.

ſacra

ſacra fieri in totâ Vrbe Cracouienſi vbi Rex morabatur, quo ille conuicio populi, qui ſacris arcebatur, ad meliorem mentem reuocari poſſet. Exarſit impio furore ſceleratus Princeps, ac Staniſlaum in priuato Diui Michaëlis Archangeli ſacello, ſecreto Sacris operantem, immiſſis ſatellitibus ſuis cædi iubet: fruſtra ſtrinxêre gladios impij carnifices: nam cum nondum ſacrificium Præſul finiret, ter conati ſacrum ferire caput, toties retroacti & quaſi proſtrati ceciderunt; accurrit & Rex ipſe, Epiſcopumque benedictionem ſacram etiam hoſtibus ſuis impertientem, ferinâ actus rabie obtruncat gladio, & in fruſta conciſum (martyrij laureâ, Deo æterno munerario coronandum ſanctum Martyrem) coruis canibuſque prædam inſepultum relinquit. Hoc Regis facinore vulgato, cùm ad Vrbem ipſam eius fama perueniſſet, à Gregorio Septimo Romano Pontifice, vniuerſæ Poloniæ ſacris interdicitur, atque Rex Boleſlaus & eius ſucceſſores, iure Coronæ priuantur, executio decretarum pœnarum Archiepiſcopo Gneſnenſi, & cæteris Poloniæ Epiſcopis demandatur; Rex Boleſlaus inuiſus cunctis, & furijs conſcientiaque, effuſi innoxij ſanguinis, in præceps actus Regno excedit; ſed beneficio Dei, & Martyris, vt credibile eſt, non vltionem ſed miſericordiam expoſcentis interceſſione ad ſe reuerſus, depoſitis Regalibus inſignijs, ignotus ignoratuſque cunctis, æterno Monaſterij arctioris obſeruantiæ carceri ſe includit, & vilibus miniſterijs coquinæ Monachorum inſtruendæ addicit. ſic expiatus in Monaſterio dicto Oſiach, quod in Carintiâ ſitum eſt, piâ morte extinctus eſt, & à Monachis tumulo cum illo titulo illatus: HIC IACET REX BOLESLAVS POLONIÆ, OCCISOR SANCTI STANISLAI EPISCOPI CRACOVIENSIS. nam paucis ante mortem diebus, & genus & cauſam pœnitentiæ, Sacerdoti cui peccata confitebatur, aperuit.

D. Staniſlaũ Epiſcopum ſuum Sacris operantem ad Altare obtruncat.

Hæc quidem ſcribenti mihi venit in mentem, non ſatis proſpero omine, prætermiſsâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ab Ottone tertio Coronâ Regiâ Reges Poloniæ exornatos fuiſſe. Per annos ſeptuaginta octo, quatuor Reges regnarunt, Boleſlaus quidem Rex primus coronatus, multum decoris, & incrementi Poloniæ adiecit, ſed eius filius Teutonicæ coniugis Rixæ, muliebri imperio obnoxius, vixit penè inglorius, inuidiamque malè geſti Regni, & vxoriæ ambitionis ad poſteros tranſmiſit: huius quoque filius, ſiue pulſus, ſiue ſponte matre Rixâ malè erga Poloniam affectâ volente è Poloniâ excedens, puer adhuc orbam Rege Patriam per aliquot annos deſeruit, ac religioſam in Cluniacenſi Monaſterio vitam profeſſus, ſpem quoque prolis Regiæ abſcidiſſe videbatur. Eo abſente turbatę in Poloniâ res, partim Procerum diſcordiâ, partim vicinorum ambitione in peſſum ibant, laceratum Regnum, multæ amiſſæ Prouinciæ, extremi periculi metus coëgit Polonos, vt Caſimirum quæſitum mitterent: inuitus penè is & non niſi Summo Pontifice Benedicto Nono iubente, Monaſterio ſe extrahi paſſus eſt, & Regno ſuſcepto, multiſque præclarè rebus geſtis, pietatem, quâ ſub Monaſticâ

diſciplinâ

disciplinâ imbutus fuerat, semper retinuit, felix omnino Rex, nisi ex eo Boleslaus Audax natus esset. Sic decus regium non à solo tantùm, vt debuit, summo religionis Christianæ Præside, sed ab Ottone quoque Imperatore, cuius auus, & pater, plurimum iuris sibi in Sedem Apostolicam arrogauerat profectum, diu durare non potuit, & ob impietatem Boleslai Regis, cæsumque Sanctum Stanislaum, in tot penè partes, in quot Martyris corpus sacrum diuisum fuit, regnum diuisum, multisque Prouincijs truncatum, magno nostro dolore cernimus. Quomodo autem posteriori tempore, annis propè ducentis quinquaginta exactis, beneficio Summi Pôtificis Ioannis Vigesimi primi, Regnum Poloniæ redintegratum fuerit, alibi à nobis dicendum erit. Cæterùm Marcus Episcopus Plocensis, cùm nouemdecim annos in Episcopatu exegisset, ætate ac laboribus, morbisque confectus, anno Christi millesimo octuagesimo septimo, piè, pijs operibus plenus cessit è vitâ, in Ecclesiâ Plocensi, quam bibliothecâ instruxerat, sepultus, Vladislao Hermano iam non Rege, sed Monarchâ res Poloniæ moderante, cùm eodem tempore Henricus Quartus in Occidentali, Alexius Comenus in Orientali imperio summæ rei præessent.

Obitus Marci VI. in ordine Episcopi Plocensis An. Christi 1078.

Stephanus Episcopus Plocensis VII.

HActenùs Ecclesia Plocensis contenta fuit Episcopis ab Vrbe religionis Orthodoxæ magistrâ petitis, neque nos etiam nunc pænitet, tales præfuisse Cathedræ nostræ, qui vitæ sanctitate, & eruditione, summâ cum laude præluxerunt futuris successoribus, manent etiam nunc tantorum virorum pietatis, propagandæ religionis studij, erudiendi rudioris populi, imbuendæ nobilis iuuentutis artibus liberalibus, exornandarum Ecclesiarum vestigia, neque vnquam deterentur, etiamsi tot qui illis successerunt piâ imitatione toties ea triuerint: vno verbo dicam, sex primis Diœcesis Plocensis Episcopatus fundatoribus, quidquid dignitatis, quidquid opum habet Ecclesia Plocensis debet; viuat in æternâ memoriâ nomen Apostolicorum virorum, quos Sedes Apostolica huc destinauit, Roma aluit, Polonia vt patronos & suæ salutis auctores colit ac veneratur. Non tædebat Maiores nostros eiusmodi sacræ doctrinæ Magistrorum, etiamsi externi & longè petiti essent. Nec Marco Episcopo Plocensi vitâ functo existimandum est, Prælatos, & Canonicos Ecclesię Plocensis, ambitione aliquâ ductos, ad electionem eius, qui natione Polonus esset, animos adiecisse. Creuerant iam educati, sub paternâ curâ Italicorum Episcoporum, magno numero aucti erant, & cùm sese mutuo circumspicerent, facilè animaduertebant & iudicabant, non deesse Sacerdotes iudicio maturos, vitę probitate notos, eruditione pręstantes, qui munus Episcopale ritè, & ex dignitate gerere possent: maximè autem eo loco dignus visus est Stephanus Prępositus Plocensis, vt quem

quem iam dudum priorem fortuna cæteris Canonicis fecerat, is idem veluti ad Episcopatum facto gradu, concordibus omnium Canonicorum sententijs, anno Christi millesimo octuagesimo octauo, in defuncti Marci locum liberâ electione subrogaretur. Non temerè suspicabatur Clerus Plocensis, Vrbanum Secundum Pontificem Maximum, eâ electione commotum iri, neque permissurum, vt cùm anteà simplici Romanorum Pontificum prouisione, Episcopi Plocensibus darentur, deinceps ad Capitulum Plocense potestas eligendi Episcopos transferretur. Itaque ad Vladislaum cognomento Hermanum, post abrogatum Polonis ius Regium, primum Poloniæ Monarcham confugiunt, eius opem implorant, suam vt apud Sedem Apostolicam auctoritatem interponat, efficiatque, vt ad normam aliarum Cathedralium Ecclesiarũ, quæ liberis suffragijs electos Episcopos habent, Ecclesia Plocensis imposterum componatur, iusque eligendi Episcopi, & Summo Pontifici ad confirmandum offerendi, Capitulo Plocensi in perpetuum ratum sit. Promouit eam electionem Vladislaus Princeps, non solùm literis, sed & nuncijs missis ad Vrbanum Papam, idque iteratis vicibus; nam Summus Pontifex, ad primam famam factæ electionis, ægrè ferre videbatur ius Sedis Apostolicæ sibi eripi: cæterùm cùm eo tempore bellum sacrum contra Saracenos à Victore tertio, qui vno tantum anno Sedi Romanæ præfuit, indictum & cœptum, magno conatu vrgeret, iamque eo auctore, Godefredo Bullionio duce, in Syriam exercitus duceretur, multum, vt alijs Christianis Principibus, ita & Poloniæ Monarchæ, quo eos in societatem belli sacri alliceret, indulgendum illi erat. Quamobrem seriùs aliquantò quàm oportebat petitioni Cleri Plocensis annuit, ac Stephanum Polonum Episcopum Plocensem electum, confirmauit, renunciauitque. Nobili genere is fuisse ortus creditur, ignoratur tamen quo insigni nobilitatis, quóve stemmate censeretur; modesti mores, & quòd vitæ castæ & pudicæ esset, magis quàm excellens aliqua doctrina, hoc decus illi pepererant: quanquam nec doctrina ea deerat, quæ ad gerendum Episcopatum requiritur: negotiorum verò publicorum tractandorum inprimis peritus habebatur, animi verò eâ magnitudine fuit, vt non solùm hæc, quæ ad Ecclesiasticam functionem pertinent, exequeretur, verùm etiam in publicis Regni consilijs, optimæ, & salutaris sententiæ auctor esset. Is cùm Patriæ magno amore teneretur, dignitatemque nominis Poloni auctam vellet, primus durum olim iugum seruitutis, quo nobilitas Polona ad nutum imperiumque Principum obstricta erat, eoque quasi vincta tenebatur, demere orsus est, idque summâ curâ, cęteris etiam adnitentibus Proceribus Regni obtinuit, vt cùm olim soli Episcopi Senatoriâ dignitate fulgerent, paucique alij ad id munus arbitrio Regum adsciscerentur, deinceps per omnes districtus & regiones, Senatores Maiores & Minores, qui & in Prouincijs ius dicerent, & Regi iudicanti, ne omnia suo arbitratu faceret, quasi libertatis custodes,

des, & conſeruatores adhiberentur, præſtoque eſſent. Namque vt alia, quę à Boleſlao Audace contra Nobilitatem Polonam crudeliter geſta erant, ſic vel maximè rabioſa cædes, quâ idem Rex Sanctiſſimum Epiſcopum Cracouienſem Staniſlaum immaniter occiderat, admonuerat Polonos, vt Principum ſuorum deinceps manus arctiùs ſtringerent, ne ij ſolâ libidine, ſed legibus etiam ac Senatorum adſcitis conſilijs, imperium exercerent, cuius malè geſti in publico Regni Comitio, ratio aliquando illis reddenda eſſet. Cæterùm Stephanus Epiſcopus Plocenſis, conciliato ſibi & generis ſplendore, & tantâ libertatis tuendæ atque augendæ curâ omnium Polonorum amore, geſtoque magnâ virtutis & pietatis exiſtimatione Epiſcopatu, calculi dolore, quo frequenter vexabatur, extinctus eſt Anno Chriſti milleſimo nonageſimo nono, tenuit Plocenſem Sedem annis vndecim, & in eadem Eccleſiâ ſepulturam accepit. *Obitus Stephani in ordine VII. Epiſcopi Plocenſis natione Poloni Anno Chriſti 1090.* Hoc eodem anno quo Stephanus Epiſcopus Plocenſis mortuus eſt, exercitus Chriſtianorum Duce Godefredo Bulliōnio, Hieroſolyma die ſeptimâ Iunij obſeſſa, die decimâ quintâ Iulij, qui in ſextam hebdomadæ feriam inciderat, cæſis Mahometanis, per vim capta & recepta eſt, ac Godefredus Primus Rex Hieroſolymitanus renunciatus, cùm Henricus quartus Imperator Romanorum omnes Pontifices, orſus à Gregorio ſeptimo, vſque ad Paſchalem ſecundum, impijs premeret armis, immemor quòd puer quinque annorum à patre relictus, beneficio Victoris Secundi, cui pater illum moriens commendauerat, Regnum Germaniæ adeptus eſſet.

Philippus Epiſcopus Plocenſis VIII.

CReuerant animi Plocenſis Cleri, & ad eligendum alterum è numero ſui, ſtudia voluntateſque eorum incitatæ erant; videbant enim Stephanum, à ſe ex gente Polonâ primum lectum, non ſolùm decus ſummum præclarè geſto Epiſcopatu ſibi & Eccleſię Plocenſi promeruiſſe; verùm etiam id præclaris ſuis conatibus conſecutum, vt neminem pænitere poſſet ad Polonum, & in Poloniâ natum, tantæ dignitatis decus, quod hactenùs in poteſtate Summi Pontificis, & manibus ab eo ablegatorum Epiſcoporum erat, delatum eſſe. Itaque Comitijs nouæ electionis, ad diem feſtum Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Aſſumptæ in cœlum indictis, ſecretis votis, per viam quod aiunt Scrutinij, omnes vnanimi conſenſu Philippum Decanum Plocenſem Epiſcopum eſſe iubent, & ritè electum pronunciant. Nobilis hic quoque gente & genere fuit, familiâ eâ ortus quæ gentilitium ſtemma Doliuam habet, vir conſilio & æuo maturus, tractandorum tam Eccleſiaſticorum, quàm etiam politicorum negotiorum experientiâ, quam longo rerum vſu ſibi comparauerat, præſtans. Hanc electionem non ſolùm ratam habuit Vladiſlaus Princeps & Monarcha Poloniæ, verùm etiam ijſdem Plocenſis Ec-

clesiæ Prælatis & Canonicis petentibus à Summo Romano Pontifice Paschali Secundo, vt eam auctoritate Apostolicâ confirmaret, electumque & confirmatum Episcopum Philippum ab Archiepiscopo Gnesnensi Martino consecrari iuberet, obtinuit. Anno igitur Christi millesimo centesimo suscepto Episcopatu Plocensi Philippus, præter alias muneris sui functiones, quas summâ cum laude obibat, totum se impendit pijs operibus, & sacris in pauperes largitionibus, pupillorum & viduarum tutor, egenorum patronus & benefactor, omniumque aliquâ necessitate pressorum defensor, virtutum amator, vitiorum hostis, piam hospitalitatem in excipiendis peregrinis non solùm ipse exercuit, sed etiam eius exercendæ alijs auctor & dux fuit. Mirum dictu, sed nō noua hæc sunt pietatis incrementa, dum ille pauperes alit & vestit, dum hospites & peregrinos libenter excipit, & liberaliter fouet, dum nullum sumptum, nullum laborem in tuendis pupillis & viduis subterfugit: opes facultatesque eius tantò magis crescebant atque augebātur: diceres Deum, cui grata est in pauperes pietas, pietate & liberalitate cum Philippo Episcopo certasse. Milites quoque & nobiles vniuersi, ad exemplum Pontificis eodem pietatis studio flagrare cœperunt. Sed Philippus exactis in Pontificatu septem annis, febri tertianâ quam vno anno pertulit, ordinatâ domo suâ, sacrisque Sacramentis ritè munitus, Anno Domini millesimo centesimo septimo, vitâ mortali perfunctus, ad cœlestem euolauit, Paschali Pontifice Romanam Sedem gubernante, Boleslao verò Criuoustio iuuene admodùm res Polonicas moderante.

Obitus Philippi VIII. in ordine Episcopi Plocensis genere Nobilis de armis Doliua, Anno Christi 1107.

Simon Gozdavva Episcopus Plocensis IX.

PHilippo Episcopo vitâ functo, non erat necessaria diuturna deliberatio, quę mentes & studia Prælatorum & Canonicorum Plocensium, quem electuri essent distraheret: nam Simonis Archidiaconi Plocensis eximiæ virtutes, pietate, & eruditione ornatæ, facilè omnium desideria ad renunciandum eum Episcopum ad se traxerunt. Diu ille luctatus, & reluctatus studijs hominum honorem eum sibi deferentium, loci tam excelsi dignitatem æstimans, de se verò quasi hoc loco minùs dignus esset submissè iudicans: sed quantò magis ille honorem à se depellebat, tantò plus studia hominum incitabantur, ad eum exornandum eâ dignitate: victus tandem precibus omnium, cessit & ipse non tam hominum, quàm Diuinæ voluntati. Erat hic Simon singulari præditus prudentiâ, modestiâ, & doctrinâ ita ab ineunte ætate creuerat, vt in adolescente adhuc, maturi iam & graues resplenderent mores. Nobilis erat, & nobili genere ex eâ familiâ quæ Gozdauam insigne gentilitium gerit, ortum ducens, & vt ea tempora ferebant, diuinis humanisque literis præclarè instructus. Grata fuit Boleslao Criuoustio Monarchæ Poloniæ, tam præclari viri ad Episcopatum Plocensem promotio; quare eam ratam habuit, patrociniumque suum electo detulit. Præerat tum

Sedi

Sedi Romanę Paſchalis ſecundus Pontifex, cui ſuſceptum adhuc ab Henrico quarto Romanorum Rege, contra anteceſſorem ſuum Gregorium ſeptimum, cum eodem Imperatore ingens certamen erat: iura Eccleſiæ tuebantur Summi Pontifices, quę Imperator vt oppugnaret & expugnaret, iterum atque iterum excitatis Schiſmaticis Antipapis, turbare rem Eccleſiaſticam nitebatur. Itaque eo auctore hoc etiam tempore mortuo Guiberto, qui Clemens dici voluit, operâ eiuſdem Henrici Imperatoris, tres alij ſucceſſiuè Pſeudo-pontifices, Albertus, Theodoricus, & Magnulfus, inane Pontificium nomen ſibi arrogarunt. Pericula denique itinerum vbique fuiſſe, atque omnes vias quibus Roma adiri poſſit, ab Imperatore obſeſſas, ſcribit Domniſo illorum temporum Poëta. Atque viam Domini Petri faciebat hic hoſtis (Henricum Imperatorem intelligit) cuſtodire viros, ſpoliare iubens peregrinos. His itinerum difficultatibus, & Schiſmate Eccleſiâ Dei diſtractâ, factum crediderim, vt Simon Epiſcopus Plocenſis, non à Romano Pontifice, ſed ab Archiepiſcopo Gneſnenſi Martino confirmari ac conſecrari voluerit, Anno Chriſti milleſimo centeſimo octauo. Regnabat in Poloniâ tum, vt ſuprà diximus, Boleſlaus Criuouſtius, Princeps acer & bellicoſus, cui ingentium bellorum Zbigneus ex concubinâ à Vladiſlao Hermano ſuſceptus, occaſionem præbuit: namque is à patre certis Prouincijs donatus, indignè tamen ſpurius & nothus tulit, legitimè natum Principem, ſummo cum imperio, ita vt decuerat, à patre renunciatum fuiſſe. Itaque motis armis, cùm ea parum ſuccederent, Zbigneus ſæpiùs victus, ad extremum exilio mulctatus, ad Henrici Imperatoris opem, & auxilium confugit. Lætus ille hac occaſione, quaſi eâ ratione Poloniam imperio eſſet ſubiugaturus, bellum Poloniæ & Boleſlao intulit, ſed eo demum exitu, vt commiſſo ad Vratiſlauiam prælio, acceptâ ingenti clade, vix Imperator ipſe ſaluus euaſerit: campus, vbi pugnatum eſt plenus cadauerum, acerbum & miſerabile ſpectaculum exhibebat, ac noſtri quidem qui eo prælio ceciderant, curâ victorum conquiſiti & ſepulti ſunt, hoſtes inſepulti, & à ſuis deſerti, canibus & volucribus eſca iacuêre. Inde cùm eò tanta vis canum conueniſſet, vt difficilem tranſitum paucis iter facientibus præberet, Caninus campus à Polonis & Germanis locus ille dictus eſt, & in hodiernum vſque diem, vtraque linguâ nomen hoc is qui ibi eſt vicus retinet; abeſt autem vno à Vratiſlauiâ milliari. Sed Simon Epiſcopus, quâ vitæ puritate, dum priuatus eſſet, enitebat, eâ renunciatus Pontifex quaſi candela in candelabro poſita, in cunctos lucis ſuæ radios ſpargebat, ieiunijs & orationibus intentus, in templo ſedulus, mediâ nocte ad preces Matutinas in choro cum cæteris Sacerdotibus abſoluendas ſurgebat, ſacroque officio dum in templo caneretur, quod & ipſe per ſe quotidianis ſacrificijs obibat, præſens ſemper aderat. Non me pigebit verbis Vincentij Kadlubconis de Karnowo Epiſcopi Cracouienſis, à Dlugoſſo relatis,

tis ſanctitatem huius Epiſcopi quâ excelluit hîc inſerere. Sic igitur habet Dlugoſſus: Huius etiam Pontificis Simonis quanta probitas fuerit, Vincentius Kadlubconis de Karnowo Epiſcopus Cracouienſis, in Chronicâ ſuâ, quam de Polonorum geſtis diſerto ſtylo contexuit, meminit ita ſcribens: Zelus nimirùm domus Dei aureo inſcribendus calamo, Simonem, & Alexandrum Plocenſes Antiſtites armauerat, qui vtroſque hoſtes, peruigili ſolertiâ, ſtudioſiſſimè ab arce Diuinâ arcere ſatagebāt. Item in ſubſequentibus. Magnus quidem Alexander Epiſcopus Plocenſis, ſed maior, vt video, Simon Alexandro, (Alexander iſte ſucceſſor Simonis in Epiſcopatu Plocenſi) qui Patriarchæ, & legiſlatoris Moyſis, animando Polonos contra barbaros ad prælium, & pro illis feruenter priùs aſſiduè, donec vniuerſus profligatus eſſet hoſtis, orando, in ſe virtutem expreſſit. Et poſt pauca. Adeſt Pontifex Simon inſtitis & infulis Pontificalium inſignis, non tam luctu, quàm precum & ſuffragiorum deuotione, miſerabile ſpectaculum proſecutus, qui eminùs exclamat: In vno tantùm filioli ſpes eſt vincendi, non in multis victoriæ, nec mortis metuendū eſt diſcrimen, maximè cùm pro ſalute agitur proximorū, quia mors corporis hominem non extinguit, ſed ad præmium virtutis admittit. Quo dicto ſuos pugnæ, ſeſe orationi committit, nec ceſſat donec omnis illa prędonum curioſitas ſuccumbit, paucis admodū fugâ elapſis. hæc Dlugoſſus. Quod autem, & quale id pręlium fuerit, ex Martino Cromero accipe. Excurrerant Pruſſi, & Pomerani prędabundi in Maſouiam, vaſtatiſque raptim agris & pagis permultis, celeriter ſe cū prædâ domū recipiebant. Præerat tunc Maſouiæ Magnus Comes, quē à Vratiſlauienſi præfecturâ amotum fuiſſe, ſuperiùs in Vladiſlao expoſuimus. Is tumultuariâ manu factâ, reuertentes barbaros perſecutus, & primâ luce inopinantes, & poſt populationis laborē largioreſq; ex prędâ epulas, altùm dormientes adortus, ad internecionem omnē illā hoſtilem manū deleuit, nullo de ſuis deſiderato. Hoſtes autèm ſexcenti interfecti ſunt, capti mille ducenti. cæteri qui in proximas ſyluas effugerant, ſequentibus aliquot diebus ab agreſtibus excepti, ac trucidati ſunt, quin à mulieribus quoq; duabus fraga legētibus vnus captus, & reuinctis poſt tergum manibus, adductus eſſe memoratur. Atque hæc victoria de barbaris Simoni Epiſcopo Plocenſi, pietate & ſanctimoniâ vitę venerādo ſeni refertur accepta, quòd is & animauerit noſtros in hoſtem, & pugnātibus ijs Dei opē implorare nō ceſſauerit, Moyſen populi Dei ducē imitatus, cuius precibus, & extēſione manuū, magis quàm armis atque viribus Amalechitas profligatos eſſe, ſacris Hebręorum literis proditum eſt. hæc Cromerus. Kadlubcus verò cuius ſuperiùs fecimus mentionem, vixit circa Annum Domini milleſimū ducenteſimum inſigni ſanctitate, geſtoq; per aliquot annos Epiſcopatu Cracouienſi, eo ſe ſponte abdicauit, vitæ in Monaſterio Andreiouienſi, ſub Regulâ Diui Bernardi Claręuallenſis arctioris amore incenſus, ibidem ſanctè, & piè actam ætatem finijt, cuius memoria nuper curâ, & diligentiâ Remigiani Koniecpolij, Epiſcopi Chel-

Kadlubcus Epiſcopus Cracouienſis Monachatum profitetur.

Chelmensis, & Abbatiæ Andreiouiensis Administratoris, pietatis propagandæ studiosissimi, ita renouata est, vt tanti viri iam functi sanctitas miraculis etiam declarata nunc in Poloniâ magis ac magis celebretur. Noster autem Simon Episcopus Plocensis, cùm sedisset annos viginti & vnum, plenus bonorum operum senex, Anno Domini millesimo centesimo vigesimo nono, septimo Idus Mensis Maij in viuis esse desijt, Honorio Secundo Pótifice Maximo, Romano imperio præsidente Lothario secundo Imperatore. Sed nos vt pietatis quoque, quâ Boleslaus Criuoustius flagrauit, aliquod argumentum publicis monumentis inseramus, id inprimis commemorandum duximus, hunc Principem frequentissima toto imperij sui tempore bella cum Pomeranis gessisse, non alio certè conatu, aut intentione, nisi vt eos Christo & religioni Catholicæ lucrifaceret. Eius rei cùm vix aliquam Scriptores rerum Polonicarum mentionē fecerint, nos ex Illustrissimo Cardinali Baronio, ea in medium adferemus, quæ fidem posteritati facient, Boleslaum Principem Poloniæ pia gessisse bella; namque cùm Baronius Annum Christi millesimum centesimum vigesimum quartum suis inserit Annalibus, ac Ottonis Episcopi Bambergensis gesta, & Apostolatum ad Pomeranos auctoritate Callisti Secundi Papæ susceptum, ex Abbate Vrspergensi describit, post multos apparatus Sancti Ottonis Episcopi, hæc ex eodem Vrspergensi addit:

Obitus Simonis IX. in ordine Episcopi Plocensis Anno Christi 1129.

His ita dispositis & stabilitis, ad Apostolatus suscepti munus, diuini Spiritus roboratus gratiâ se accinxit, cùm iam ante à Polonorum Duce Boleslao his literis fuisset inuitatus:

Domino suo, & patri amantissimo, Ottoni Venerabili Episcopo, Boleslaus Dux Polonorum, filialis obsequij humilem deuotionem. Quia in diebus iuuentutis tuæ, apud patrem meum decentissimâ te honestate conuersatum memini, & nunc quoque Dominus tecum est, firmans te, & benedicens tibi in omnibus vijs tuis, si tuæ non displicet Dignitati, veteres tecum renouare amicitias, tuoque consilio simul & auxilio vti ad Dei gloriam promerendam, ipsius gratiâ coadiuuante cupimus. Nosti enim, vt arbitror, quomodo Pomeranorum crudâ barbarie, non meâ quidem, sed Dei virtute humiliatâ, societati Ecclesiæ per Baptismi lauacrum se admitti petunt: sed ecce per triennium laboro, quòd nullum Episcoporum vel Sacerdotū idoneorum mihive affinium, ad hoc opus inducere queo. Vnde, quia tua Sanctitas ad omne opus bonum prompta & indefessa prædicatur, rogamus Pater amantissime, non te pigeat nostro comitante seruitio, pro Dei gloriâ tuæque beatitudinis incremento, id laboris assumere. Sed & ego tuæ Paternitatis deuotus famulus impensas omnes & socios itinerum, & linguæ interpretes, & coadiutores Presbyteros, & quæcunque necessaria fuerint præbebo, tu tantùm Sanctissime Pater venire dignare. Hactenùs, inquit Baronius, Ducis Poloniæ ad Ottonem Epistola de Apostolatu ad Pomeranos suscipiendo.

piendo. Sunt Pomerani (inquit idem) populi Slauiæ, ita Slauico siue Vandalico nomine dicti, quòd iuxta mare sunt positi.

Rectè quidem Cardinalis Baronius nititur testimonio Abbatis Vrspergensis sui temporis Historiam scribentis: sed animaduertere debuerat, non Vrspergensem tantùm, sed omnes eius æui Historicos Germanos, laudi nominis Poloni nimiùm inuidisse, offensos victorijs & Criuoustij, & eius filij Boleslai Crispi, illius quidem contra Henricum Imperatorem, huius verò contra Fridericum gloriosè obtentis. Itaque quantum in illo fuit, omnem conuersæ ad fidem Catholicam Pomeraniæ laudem alijs tribuit, de Polonis silet, & quos Lechitas appellare debuit, Lutitas ficto nomine supprimit, cùm res ipsa & Annales nostri testentur, Boleslaum Criuoustium Principem Poloniæ, Anno Christi millesimo ducentesimo decimo tertio, redactâ in formam Prouinciæ vniuersâ Pomeraniâ, eique Suentopelco Grifio, consiliario suo nobili Polono præfecto dato, ad Sanctum Ottonem Episcopum Bambergensem, in aulâ Regis Poloniæ educatum, & Cancellarij munere functum, (nam & is Slauus fuit, vt ex ipsius nomine apparet) scripsisse, eumque ad Pomeranos siue Lechitas euocasse, ita vt quòd Christianam religionem Pomerania susceperit, Boleslao & non vlli alij Imperatori vel Regi, Ecclesia Catholica acceptum ferre debeat. Quòd autem in literis Boleslai habetur, illum promittere Sancto Ottoni linguæ interpretes, non in eum sensum accipias, quasi Sanctus Episcopus linguam Polonicam siue Slauonicam ignorauerit, cùm regnante Vladislao eius Boleslai patre, Poloniæ Regni Cancellarius esset: sed quòd sciret Boleslaus, eum ex Germaniâ Presbyteros huius idiomatis gnaros secum habere non posse, suos ex Poloniâ lectos Sacerdotes & Presbyteros illi se submissurum pollicetur. Extant adhuc in Pomeraniâ, iam nunc armis, & nouis colonijs Germanorum oppressâ, multi pagi & villæ, à priscis Vandalis siue Lechitis cultæ, & inhabitatæ, non obscura vestigia referentes Polonici imperij, ij etiam nunc fidem Catholicam, quantum in illis est, & per potentiam hæreticorum Principum Germanorum licet, tuentur profitenturque, à Germanis Pomeraniæ nunc dominis, Vandali dicti. Hæc hîc inserere libuit: interim ad successorem Simonis Alexandrum stylum conuertamus.

Alexander Episcopus Plocensis X.

EA fuit illius temporis Episcoporum Plocensium probitas, & sanctitas, vt si corruptos sæculi illius, & ipsius Romani Cleri mores, turpemque ambitum quo potissimùm Ecclesiastici infecti erant, expenderis; Episcopos Plocenses exemplo cæteris fieri, & ad imitationem proponi potuisse animaduertes. Longè alieni erant ab ambitu, & vt vidimus, inuitus Simon & penè coactus acceptauit hoc munus, quo se indignum piâ animi submissione censuit: inuitus & Alexander eius successor,

ſor, totius Collegij conſenſu Epiſcopus electus, Sedem Epiſcopalem conſcendit. Sperare quidem hunc honorem potuit: nam & eruditione, & ſanctitate præſtans, omnium iudicio magis ad gerendum eum Magiſtratum idoneus cenſebatur. ſed ambire noluit. Cuius electio grata fuit Boleſlao Criuouſtio, Principi victorioſo, qui tum ſceptra Poloniæ moderabatur. Alexander autem morem & exemplum ſui prædeceſſoris ſecutus, electionem ſuam non à Romano Pontifice, qui tum Honorius Secundus erat, ſed à Iacobo Archiepiſcopo Gneſnenſi confirmari & conſecrari voluit, Anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimo nono. Crediderim ego, etiamſi nullus Scriptorum noſtrorum huius rei mentionem faciat, illo ſæculo Romanos Pontifices ambitione Regum Germanorum preſſos, Germaniâ ipsâ bellis ardente, ob difficilem ad Vrbem Romanam acceſſum, Poloniæ Archiepiſcopis indulſiſſe eam poteſtatem, vt electos Epiſcopos iure Metropolico confirmarent, & conſecrarent. Nobilis is fuit ex eâ familiâ quæ Dolengam inſigne habet, eruditione eâ præſtans, quæ ad gerendum munus Epiſcopale illo ſæculo requirebatur. Et quamuis & Epiſcopus, & Senator Regni eſſet, magis tamen ſpirituali quàm ſæculari curæ intentus eſſe videbatur, cùm mores corruptos, præcipuè verò Cleri corrigeret, vitia extirparet, abuſus tolleret, improborum hoſtis, & ſeuerior in eos, qui minùs corrigibiles aut ſcandalo cæteris eſſent; benignus & affabilis ijs, quos virtute & præcipuè pudicitiâ eminere cerneret: & vt paucis omnia complectar, hic primus generis Poloni ſplendorem, dignitate Epiſcopali fulgentem orbi oſtendit. Poſtquàm viginti annos in Cathedrâ Plocenſi ſediſſet, Anno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto, in Plocenſi Eccleſiâ tumulatus eſt. Hunc fuiſſe primum qui Eccleſiam Plocenſem olim ligneam è muro ſtruxerit, ex verbis Vincentij Kadlubconis à Dlugoſſo relatis credibile eſt. Sic igitur Dlugoſſus habet. Meminit & huius Pontificis Vincentiana Chronica, & ſingulari illum laude efferens ſcribit Maſouiam conſilijs eſſe fortem, & vernatiſſimam militiæ flore, & maieſtate: inter quos Alexandrum Pontificem Plocenſem ſummâ dignum admiratione duco, qui tam diuerſis & ſummis rebus ſufficere potuerit; idem agnus & leo, idem lupus & dux gregis, idem Præſul & miles, ſimul armatus & deuotus, vt inter iuges armorum excubias, nihil quod fuit deuotionis neglexerit. Magnus quidem Alexander Macedo in prælijs, ſed in Diuinis maior Plocenſis Epiſcopus Alexander obſequijs, nam vt extructas ab eo Baſilicas cuiuſlibet inuidia ſilentio ſepeliat, indeuotus autem quo pacto exiſtimabitur, qui tam conſpicuum Beatæ Virginis templum à primis initiat fundamentis; & conſummat, quod non tantùm intrinſecis & ſpecialibus locupletauit ſtudijs, ſed etiam armis communiuit neceſſarijs, vndique ſeptum præſidijs? Ex quibus nimirum verbis elici poteſt, quod ipſe fuit muralis fabricæ Plocenſis Eccleſiæ primus initiator. Hucuſque Dlugoſſus.

Obitus Alexandri X. in ordine Epiſcopi Plocenſis, Anno Chriſti 1156.

Vernerus Episcopus Plocensis XI.

ILluxit nouum sidus in celso & vniuersæ Sarmatiæ conspicuo Episcopatus Plocensis candelabro Vernerus; qui cùm esset Scholasticus Plocensis, ad diem secundam Maij, totius Collegij Plocensis consensu, delatum sibi Episcopatum Plocensem multùm reluctatus, sed tandem precibus omnium victus acceptauit. Si genus spectes, nobili & vetustâ stirpe ortus fuit, eâ familiâ quæ Rosam pro stemmate defert: si eruditionẽ, eâ cæteris omnibus præcelluit; sed maior, & non nisi Verneri propria laus, quòd vitæ sanctitate, morum grauitate maximè enituerit. Electus itaque Episcopus ad Archiepiscopum Gnesnensem Ianislaum, vt ab eo confirmaretur, & consecraretur, se contulit; à quo Louicij ritè seruatis omnibus, quæ ex præscripto Sacrorum Canonum vsurpari solent, Episcopus Plocensis renunciatus est, Anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo sexto. Moris erat Vernero ab eo tempore quo Episcopatum Plocensem suscepit, vt ad custodiam earum v rtutum, quibus egregiè ornatus fuit, semper testes vitę suæ viros probatos & religiosos adhiberet, eorumque contubernio vteretur, vt & ad eorum exemplum vitæ suæ statum formaret, & conuersatione eorum in meliorem virum euaderet: hi cum eo in eodem dormitorio cubare soliti erant, his solis conscijs Sanctus Episcopus, cilicio, & virgâ affligebat corpus castigabatque, & non solùm his exercitijs, verùm etiam frequentibus ieiunijs eò adigebat, vt spiritui seruiret: deuotus erat & religioni pietatique addictus, pijs operibus, & potissimùm piæ in egenos largitioni deditus: idem tamen bonorum Ecclesiæ adscriptorum defensor acerrimus. Non meis verbis vitæ ipsius pręclarum exitum, sed Martini Cromeri Historici Polonici referam. Is igitur Historię Polonicæ libro sexto, dum Boleslai Crispi, Boleslai Criuoustij (qui Anno Christi millesimo centesimo trigesimo nono, cùm in Polonia triginta sex annos regnasset, ac contra diuersos Regni hostes quadragies semper feliciter pugnasset, eosque vicisset, ad cœleste regnum translatus, & in Ecclesiâ Plocensi, vbi & pater illius Vladislaus tumulatus fuit, sepulturam accepit) secundò geniti filij Principatum describit, hæc de exitu Verneri habet: Præerat tunc quartum decimum annum Plocensi Ecclesiæ Episcopus Vernerus, equestri Rosarum familiâ, integritate & sanctimoniâ vitæ clarus, & eleganter eruditus: ei per vim, & iniuriam Bolesta vir potens, & violentus, ex eâ familiâ ortus, quæ Soleam equi cum cruce altrinsecus superpositâ insigne gerit, Carscum pagum adimebat (erat autem is Castellanus Visnensis, & oram illam Prussis finitimam pro Boleslao Crispo administrabat.) Eum igitur comiter, & blandè Vernerus per se & per amicos orat & admonet, ne vim faciat Ecclesiæ: vbi nihil proficit, in ius vocat, causam obtinet, in possessionem reponitur. Molestissimè id ferebat Bolesta, multaque maledicta

ledicta in mansuetum Episcopum ingerebat, & necem ei machinari cœpit. Erat ei non modica cum vicinis Prussis consuetudo, qui cùm non pauci fortè ad eum vel ius petituri, vel compotaturi conuenissent, acceptos lautè & benè potos, promissis etiam oneratos, noctu ad obtruncandum Vernerum, qui tunc fortè ad Biskupice villam suam venerat, cum Bieniasso fratre suo germano misit. Peragunt illi iussa, effractisque portis, in cubiculo dormientem Episcopum, cum fratre Benedicto monacho Benedictensis sectæ, trucidant. Delituerat per eum tumultum sub lecto Episcopi puer Cubicularius: is igitur auctores sceleris prodidit. re cognitâ Archiepiscopus Gnesnensis Petrus familiâ Srzeniauius, qui Ianico non multò antè successerat, de consilio & voluntate cęterorum Episcoporum, toti Prouinciæ Sacris interdixit. Motus & atrocitate facti, & interdicto Archiepiscopi Boleslaus Princeps, comprehendi Bolestam, & ex vinculis causam dicere apud se, condemnatumque in foro Gnesnensi, vbi hęc agebantur, extructo rogo cremari iussit. Bieniassus verò, post patratum illud scelus nusquam posteà comparuit, creditumque est vulgò eum terræ hiatu absorptum, meritum Sancto Episcopo supplicium expendisse. Verneri corpus Ploscum delatum honorificè sepultum est. Hæc Cromerus. Dies huius parricidij adnotatur pridiè Idus Februarij, Anno Christi millesimo centesimo septuagesimo secundo, vt mirum merito haberi debeat, inter Verneri & Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, ab Henrico Anglię Rege cæsi martyrium, triginta & octo dies tantùm intercessisse, credas eos pari fulsisse sanctitate, par quoque in cælis præmium consecutos esse. Illud sanè dolendum, quòd hactenùs ignoretur sepulchrum in quo Vernerus conditus est, cùm illum magnis miraculis claruisse omnes testentur Historici. Rexit Vernerus Ecclesiam Plocensem annis quatuordecim, Alexandro Romanorum Pontifice Vrbem & orbem moderante, ac cum Friderico Ænobarbo Ecclesiæ hoste bellum pium & Catholicum gerente.

Vernerus XI. in ordine Episcopus Plocensis à Bolestâ Cast. Visnensi trucidatur Anno Christi 1172.

Lupus Episcopus Plocensis XII.

VErnero successit Lupus; nam Prælati & Canonici vnà cum totâ Diœcesi, mortem optimi Pastoris gemitu & lachrymis prosecuti, ad diem vigesimam sextam Martij, Comitijs electionis noui Episcopi indictis, cùm tres tribus diuersis sententijs propositi essent, breui tamen Nicolao & Martino in suum fauorem latis renunciantibus, Lupus Custos Plocensis eligitur Episcopus, Boleslao Crispo assentiente, cuius electione ad Petrum secundum Archiepiscopum Gnesnensem relatâ, atque eodem Lupo ad eum Vnieiouiam, quod oppidum in territorio Syradiensi ditionis Archiepiscopi Gnesnensis est, veniente, ab eodem confirmatus, & Episcopus Plocensis consecratus est. Hunc quoque Episcopum vt superiores Polonia dedit, genere nobili ex familiâ Gozembarum ortum

ortum ducentem, vir frugi & temperatus fuiſſe dicitur, ſed ad iracundiam procliuior, bileque accensâ non facilè eam coërcere poterat, rei quoque familiaris parandæ, augendiſque opibus magis intentus, quàm Epiſcopum decuit. Geſſit Pontificatum Plocenſem annis nouem: paralyſi tactus, eaque ægritudine propè anno vexatus, ad extremum ſanctiſſimis Eccleſiaſticis Sacramentis expiatus, Anno ſaluati mundi milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono moritur, & in Eccleſiâ Plocenſi ſepelitur, cùm tunc Sedem Romanam idem qui ſuprà Alexander tertius teneret. Maſouia verò & Plocenſis Palatinatus, Caſimiro cognomento Iuſto Monarchæ Regni Poloniæ, pareret. Sed cùm à Martino Cromero Lenciciæ Comitijs Anno milleſimo centeſimo octuageſimo indictis interfuiſſe cum cæteris Epiſcopis ſcribatur, diutiùs eum vixiſſe quàm Dlugoſſus notat credibile eſt.

Obitus Lupi XII. in ordine Epiſcopi Plocenſis, Anno Christi 1179.

Vitus Epiſcopus Plocenſis XIII.

LVpo vitâ functo Vitus ſubrogatus eſt, genere Nobili natus, è familiâ Ianinâ, opulentus admodùm & multarum poſſeſſionum dominus, quarum ad extremum, fundatis tam virorum, quàm mulierum Monaſterijs, hæredem Chriſtum ſcripſit. Canonicus is fuit Plocenſis, & die Beatæ Virgini Natæ dicatâ, omnium Prælatorum & Canonicorum Plocenſium conſenſu electus, atque à Ziliſlao Archiepiſcopo Gneſnenſi, annuente Caſimiro Iuſto Poloniæ Monarchâ confirmatus, & in Eccleſiâ Metropolitanâ Gneſnenſi conſecratus eſt. Literis Diuinis & humanis præclarè eruditus, virtutum omnium ſtudioſiſſimus, ſingulari pietate fulgens, ac ardenti in Deum amore feruens; Monaſteriorum Vitouienſis & Buſcenſis bonis paternis illis donatis, & Plocenſis ex patrimonio Plocenſis Eccleſiæ, compluribus villis & prædijs illi adiunctis, liberalis fundator, quæ Monaſteria Monachis Ordinis Præmonſtratenſis attribuit, ac vt in ijs tam viri quàm fœminę, ſeparatis diſtinctæ habitationibus Deo deſeruirent, Monachique fœminarum regimen tenerent, conſtituit. Sed deinceps gubernatio eius Monaſterij, olim non ex præſcripto ſacrorum Canonum per Monachos adminiſtrata, ad Epiſcopos Plocenſes, cum ſummâ poteſtate inſtituendi & deſtituendi Præpoſiti, & iure in vitam, & mores ſacrarum eius Monaſterij Virginum inſpiciendi, tranſlata eſt; & ne quid iuris ſibi Abbas Vitouienſis in eo Monaſterio vſurparet, Epiſcopi Plocenſes legitimè euicerunt, id quod deinceps etiam Sacrum Concilium Tridentinum ſanxit, & ratum eſſe voluit. Obijt Vitus Epiſcopus, Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſexto, cùm Plocenſem Eccleſiam rexiſſet annis viginti & ſeptem. Quo tempore Innocentius Petri Cathedram Romę tenuit, Philippus Romano, Balduinus Belga Comes Flandriæ, pulſo Alexio Angelo paucis annis Conſtantinopolitano præfuit imperio.

Obitus Viti XIII. in ordine Epiſcopi Plocenſis Anno Chriſti 1206.

Goſlaus

Goslaus Episcopus Plocensis XIV.

IAm Polonia grandi piaculo ob cædem Sancti Stanislai obnoxia, sublato Regio decore, ac ornamentis magni quondam Regni spoliata, à multis regnabatur Toparchis, qui etsi regio orti sanguine, tamen partitis inter se prouincijs, tyrannicum magis quàm legitimum exercebant imperium. Ferunt eo tempore, cùm Diuus Stanislaus occideretur, pijs quibusdam hominibus diuinitùs reuelatum fuisse, Regnum Poloniæ subsequenti tempore, in vltionem innoxiæ cædis in Sanctum Episcopum perpetratæ, in multas partes discerptum iri, quemadmodùm corpus Stanislai sectum fuerat; id non temerè creditum successus ostendit. Nam & Vladislaus Hermanus, huius Boleslai qui Sanctum Stanislaum occidit frater, susceptis duobus filijs, quorum alter Zbigneus nomine spurius, alter Boleslaus Criuoustius erat, domi natum bellum expertus est, & Boleslaus Criuoustius diu cum eodē fratre spurio ancipiti euentu bellum gessit, & ipse legitimâ prole fœcundus susceptis Vladislao, Boleslao, Miecislao, Henrico, Casimiro, regnum inter illos exitioso Reipub. consilio partitus est. Existimabat quidem ille, cæteros filios suos imperium fratris maioris natu æquis animis laturos, & Vladislaum cui summam rei detulerat, fraternum erga sanguinem suum amorem conseruaturum: sed regnandi libidinem frustrà legitimis terminis circumscripseris, maximè alienâ accensam persuasione. Erat Vladislao vxor Christina Cęsare Henrico genita, cuius elatior animus magis veterem quàm præsentem spectabat fortunam, seque imperatoriâ stirpe ortam, eâ spe nuptui in Poloniam datam, vt maritus non vnius partis, sed totius Regni esset dominus, frequentèr marito multâ cum exprobratione, & odio leuirorum, secretis susurris inspirabat, tantumque effecit, vt Vladislaus primò tributo fratres grauare vellet, mox cùm id negabatur, ad occupandas eorum possessiones bellum susciperet; sed ijsdem arma opponentibus, ad Posnaniam victus fugatusque, qui aliena appetijt sua amisit; namque omnium Polonorum odio flagrans, ab ijsque destitutus ac memor, quâ superbiâ fratres supplices olim à se reiecisset, idem ne sibi ab illis fieret veritus, ad Conradum tertium Imperatorem Romanorum, vxoris suæ consobrinum, opem ab eo petiturus confugit: secuta maritum exulem, vxor cum liberis. Hinc bellorum maximorum causæ, hinc regni in minores etiam partes sectiones, ita vt per ducentos & quinquaginta annos, qui à cæde Diui Stanislai vsque ad Vladislaum Locticum Regem Poloniæ renunciatum intercesserunt, nunquam Polonia armis ciuilibus, ac mutuis inter se cædibus non laborauerit, ac sæpissimè proxima supremo exitio fuerit. Auulsa per eandem occasionem maxima maioris Poloniæ pars, & totum id, quidquid Silesię finibus continetur cum Lusatiâ, quam Maiores nostri Lusitiam, quasi

restagnantem dicebant. Ex ruinis Patriæ nostræ creuerunt Pomeraniæ Duces, olim Poloniæ subditi, qui commisso ad certum tempus regimine per fraudem abusi, directi dominij titulum sibi vsurparunt. Creuerunt & Brandeburgenses Marchiones, vsurpatâ sibi eâ Poloniæ parte, quæ nunc noua Marchia appellatur. Russia quoque Boleslaorum & Vladislaorum victorijs domita, & in formam Prouinciæ redacta, turbatis in Poloniâ rebus, in potestatem Lithuanorum, gentis eo tempore satis obscuræ, venerat. Hi sanè sunt fructus violatæ libertatis Ecclesiasticæ, tales libidinosorum amorum infelices euentus, vt dum monenti à Regibus non paretur Sacerdoti, regna vel amittantur, vel transferantur. Sed nos ad nostra. Regnabat in Masouiâ, & Plocensi Palatinatu Conradus Boleslai Criuousti nepos, cùm defuncto Vito Episcopatus Plocensis vacaret; cui vt Prælati & Canonici Plocenses successorem eligerent, ad diem primam Augusti Comitia electionis indixerunt, ac dum de nouo Episcopo substituendo deliberatur, facilè omnium studia in Gedeonem Scholasticum Plocensem flexa sunt; erat enim nobilissimo Griphorum genere ortus, Sacerdotio per multos annos piè & præclarè functus, eruditus, & ad quæuis negotia suscipienda maximè idoneus: solius choleræ intemperiem in eo reprehendere possis, nisi quòd ea quoque, quia breui temporis spatio deferuebat, non multùm præclaras illius virtutes obscurare videbatur. Electus, electionem suam probante Conrado Duce, ad Henricum primum Archiepiscopum Gnesnensem se contulit, ab eoque ritè examinatus & confirmatus, Gnesnæ consecrationis munus suscepit. Magnam is quoque commendationem apud posteritatem obtinuit præclarè gesti Episcopatus, in quo gubernando nihil vnquam intermisit, in quo salutis gregis sibi commissi cura & solicitudo Pastoralis opem eius postularet. Sed enim cùm per aliquot annos pacatum Episcopatum teneret, ac Conradus Princeps iuuenis adhuc Cristini Palatini Plocensis, viri prudentis & bellicosi consilijs niteretur, victorque semper contra Prussos finitimos suos hostes euaderet, accidit vt idem Palatinus, accusatione Ioannis Czapla Scholastici Plocensis ac Cancellarij Ducis, quasi plus sibi arrogaret, in suspicionem appetiti imperij adduceretur. His incitatus Conradus, Cristinum de se optimè meritum in vincula conijcit, excæcat, & postremò necat. Eo scelere versâ fortunâ Conradi, Prussi qui semper victi erant, sublato è medio Cristino Masouiam vniuersam armis incursarunt, Ploscum ipsum oppidum Masouiæ caput exusserunt, ingensque breui tempore clades accepta est & Ecclesia Plocensis, supellectilis Ecclesiasticæ aureæ & argenteæ incendio templi Cathedralis grandem iacturam subijt. Ad arcendos itaque Prussos, cùm Conradus cæteros Poloniæ Duces aduocasset, eisque victis Culmensem Palatinatum recuperasset, Christiano primo Episcopo Culmensi reditus annuos assignauit: in quem vt Episcopus quoque Plocensis Gedeon liberalis esset, eidem, Cromero teste, toto Collegio Sacerdotum assentiente, Tar-

nouiam,

nouiam, quæ fortaſſe Torunia eſt, & Papouiam cum omnibus pagis ac prædijs adiunctis, itemque ius omne Eccleſiaſticum, quod habebat in ditione Culmenſi, adiecit; id, inquit Cromerus, Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo actum eſt, vti videre eſt ex diplomate à Conrado & Gedeone ſuprà memoratis, pariterque à Leſco Poloniæ & Henrico Sileſiæ Ducibus, Vincentio Archiepiſcopo Gneſnenſi, Cracouienſi, Poſnanienſi, Vratiſlauienſi, Lubeſenſi, & Cuiauienſi Epiſcopis, conſignato. Cuius exemplum extat in Archiuio regio, vnde licet colligere Archiepiſcopum quoque ac cæteros Epiſcopos, Conrado contra barbaros adfuiſſe. Hunc Gedeonem Dlugoſſus Goſlaum primum, vel molliori nomine Getkam appellat; ſed diuerſis nominibus fuiſſe appellatum grandis ſuſpicio eſt. Is vbi ſeptemdecim annis ſedem Plocenſem tenuit, ac precibus lachrymiſque dum adhuc Criſtinus Palatinus Plocenſis viuebat, præclaras victorias Maſouijs ſuis à Deo impetrauit, religionemque Chriſtianam fundato Epiſcopatu Culmenſi in Pruſſiâ promouit, tandem Anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo tertio, in viuis eſſe deſijt, ſub Honorij tertij Pontificatu, & Friderici Secundi Romanorum Cæſaris imperio.

Obitus Goſlai Gryphij Epiſcopi Plocenſis XIV. Anno Christi 1223.

Ioannes Epiſcopus Plocenſis XV.

NOuum ambitionis genus collegium Eccleſiæ Plocenſis occupaſſe videbatur, cùm illo in electione, quæ mortem Gedeonis ſubſecuta eſt, in varias diſtracto ſententias, aliquot factiones vnaquæque ſecum ſuum electum trahens, prodierunt. Ex hac diſſenſione biennio per eam diſcordiam vacauit Sedes Plocenſis, fruſtrà intereà vno ex electis Guntero Canonico Plocenſi, fauore Conradi Maſouiæ Ducis, electi Epiſcopi prærogatiuam ſibi arrogante; nam Prælati & Canonici Plocenſes, meliori & ſaniori vſi conſilio, Anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto, abrogatâ omni aliâ electione, Ioannem Canonicum Plocenſem Epiſcopum eſſe iuſſerunt, eundemque & confirmari & conſecrari per Vincentium primum Archiepiſcopum Gneſnenſem curarunt. Vir nobilis is fuit, de genere Gozdauitarum ortum ducens, prudens, pius, modeſtus, ſed ætate ad ſenium inclinante, ob aduerſam valetudinem rebus gerendis minùs idoneus, ac podagricis doloribus continuò obnoxius. Itaque cùm biennio tantùm Eccleſiæ Plocenſi præfuiſſet, Anno Chriſti milleſimò ducenteſimo vigeſimo ſeptimo, morte ſuâ vacuam Cathedram Plocenſem reliquit, ſacro refectus viatico, domoq; ſuâ ritè ordinatâ, honorem quoque ſepulturæ in Eccleſiâ Plocenſi obtinuit. Accidit huius Epiſcopi mors Gregorij Noni Pontificis Maximi Anno primo, quo anno etiam Leſcus Albus Monarcha Poloniæ, fraude Suentopelci, quem Pomeraniæ ſummo cum imperio præfecerat, & rebellantem in ordinem redigere volebat, Ganzauiæ, quod oppidum eſt Abbatis Tremeſnenſis, vbi Comitia cum cæteris Principibus obibat, occiſus eſt.

Obitus Ioannis XV. in ordine Epiſc. Plocenſis Anno Chriſti 1227.

Gunterus Episcopus Plocensis XVI.

CVm in electione Ioannis proximè vitâ functi Episcopi Plocensis, priores partes Gunterus Canonicus Plocensis tenuisset, concordiæ tamen & boni publici causâ iure suo cessisset, facilè vitâ functo Ioanne omnium voluntates ad sui electionem recentis modestiæ memoriâ traxit; ita virtute honos, si interdum non acceptetur, cumulatior redire solet. Libenter & Conradus Masouiæ Princeps vidit electum Gunterum Episcopũ, cui etiam in præteritâ electione suum fauorem accõmodauerat, quemque videbat animi magnitudine cæteris omnibus præstantem, plurimum suis rationibus commodaturum. Nec Vincentius Archiepiscopus Gnesnensis eius legitimam electionem suspensam habuit; verùm anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo septimo, eundem in Ecclesiâ Gnesnensi confirmauit & consecrauit, virum planè dignum eo loco, & qui vtrumque gladium in hostes Christiani nominis stringere auderet, vtpote vir nobili genere Prussorum ortus, & tam ad bella gerenda, quàm Episcopales quoque functiones sustinendas idoneus. Is cùm videret Episcopatum suum impunè à Pruthenis vastari, innoxios homines cædi, alios, simulque sexum imbellem in seruitutem abduci, eaque Conrado penè inspectante fieri, sumptis armis, defensionem Episcopatus sui suscepit, leuioribusque prælijs coërcitis Pruthenorum latrocinijs, castrum Dzierzgow, ex quo illi prædas acturi excurrere solebant, & vbi Christianos captos detinebant, deiecto Pruthenorum præsidio, intercepit. Sed cùm hi præclari boni Episcopi ausus, ad arcendam rabiem hostium non sufficerent, idem ipse auctor fuit Conrado Masouiæ Duci, vt milites Theutonicos cruce signatos, & ipsos piam contra barbaros militiam, sub titulo Beatissimæ Virginis MARIÆ professos, qui paulò ante à Saracenis è Syriâ eiecti fuerant, misso ad Gregorium Nonum Pontificem Maximum Christiano Episcopo Prussię siue Culmensi, acciret, Chelmensemque tractum, & quidquid terræ est inter Vistulam, Mocram, & Drwenczam eis traderet, his legibus, vt contra Prussos sedulò & suis viribus bellum gererent: vbi verò eos domuissent, Chelmensem quidem ditionem redderent, cætera verò quæcunque de barbaris cepissent, arbitrio bonorum virorum, ex æquo cum Conrado seu posteris eius partirentur: Polonis ne quam vim aut iniuriam facerent, néue hostes eorum receptarent, aut vllo fauore prosequerentur: contra barbaros autem, & à religione Christianâ alienos, vt ipsis, cùm opus fuerit, pręstò essent; si quid horum transgrederentur, pœnæ, quæ ingratos iure gentium manet, subiacerent; hoc est, beneficia accepta amitterent. De quibus omnibus inter Conradũ & suprà memoratos fratres Cruciferos, quo-

quorum tunc Hermanus de Salza ſummus Magiſter erat, cùm legitima pacta interceſſiſſent, eadem à Gregorio Nono Pontifice Maximo approbata & confirmata fuerunt. Adiecit etiam militibus illis Cruciferis idem Gunterus Epiſcopus Plocenſis villam Epiſcopalem, cum inſulâ magnâ, in eo ipſo territorio ſitam, itemque Decimas ad Epiſcopam ſuam in Culmenſi ditione pertinentes. Verùm ex his modò agris, quos Germani agricolæ ab iiſdem fratribus Crucigeris, vti Germanis ex Germaniâ accerſendi, culturi eſſent. Acta hæc eſſe ſcribuntur à Chriſto nato, Anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo octauo. Crediderim ſanè Gunterum Epiſcopum Plocenſem, zelo promouendæ religionis ductum, ad obtinendam à Summo Pontifice earum rerum confirmationem, legationem ad Vrbem ſuſcepiſſe; nam Dlugoſſus teſtatur, cùm quinque annos in Pontificatu exegiſſet, eum apud Viennam Auſtriæ, iter Romanum continuantem, rebus humanis exceſſiſſe, & illic peregrinam ſepulturam obtinuiſſe, Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo.

Petrus Epiſcopus Plocenſis XVII.

SImul atque de morte Gunteri notitia Plociam perlata eſt, Prælati & Canonici ad diem S. Laurentij Martyris comitijs Capitularibus promulgatis, ad nouum Epiſcopum eligendum proceſſerunt. Secreto itaque ſcrutinio quæ vniuſcuiuſque eſſet ſententia, quemvé quilibet ex eis digniorem Epiſcopatu cenſeret, inquirentes, animaduerſum eſt, Petrum dictum Romanum natione Polonum, genus ex nobili familiâ Pulcozitarum ducentem, ab omnibus Epiſcopum Plocenſem depoſci. Ex frequenti ad Vrbem ad viſitanda limina Apoſtolorum peregrinatione, cognomen Romani is adeptus fuit: vir pius, moribus grauis, ſermone modeſtus, conuerſatione ſuauis & iucundus, vtpote qui exteras etiam nationes viderat, & multorum populorum ac vrbium mores inſpexerat. In aulâ quoque Conradi Ducis ita verſatus fuit, vt non ſolùm notus eſſet Principi, verùm etiam ob virtutem & prudentiam adeò charus, vt eius electionem conſenſu ſuo facilè ratam haberet. Vincentius quoque Archiepiſcopus Gneſnenſis, venientem ad ſe Petrum electum Plocenſem paternè excepit, viſâque legitimâ & Canonicâ electione, cùm eo tempore in oppido Gregorowo moraretur, ibidem eundem benedictione Metropolicâ ei impertitâ pleno iure Epiſcopum eſſe iuſſit. Is in Comitijs Syradienſibus, quibus Conradus Dux præfuit, præſente Fulcone Archiepiſcopo Gneſnenſi, effecit & obtinuit, vt publico Comitiorum decreto, Eccleſia Plocenſis cum vniuerſo ſuo Clero, omnium onerum, quibus bona Eccleſiæ ab impijs Principibus grauata erant, & præcipuè à ſtatiuis militaribus, à collectis & tributis quibuſuis, tum & ſuffragijs (quo nomine Dlugoſſus intelligit Principum preces importunè à ſpiritualibus

pecuniam poſcentium) immunitatem & libertatem haberet. Ac cùm ſex annis Eccleſiam Plocenſem rexiſſet, pulmonis vitio contracto morbo, Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo octauo extinguitur, atque in Cathedrali Eccleſiâ ſepelitur.

Andreas dictus Cracouienſis Epiſcopus Plocenſis XVIII.

ILluſtrem & illuſtri ortum ſanguine, terra Cracouienſis dedit Plocenſibus Epiſcopum, Andream ex vetuſtâ Griforum familiâ, patre Marco Palatino Cracouienſi natum. Hic cùm eſſet Canonicus Plocenſis, primâ die Auguſti, quæ Comitijs habendis dicta erat, concordibus Prælatorum & Canonicorum ſententijs, Epiſcopus renunciatus eſt, Conrado Duce Maſouiæ electioni huic conſenſum ſuum accõmodante; Fulcone verò Archiepiſcopo Gneſnenſi munus confirmationis & conſecrationis illi in Eccleſiâ Metropolitanâ Gneſnenſi impendente. Pius is fuit & deuotus, Deique amore flagrans, quo accenſus totum patrimonium ſuum, quod amplum ſatis in Palatinatu Cracouienſi habuit, Clementis Caſtellani Cracouienſis (qui Monaſterium Staniatecenſe Monialium Regulæ Diui Benedicti ſtruxit) liberalitatem æmulatus, in augmentum eiuſdem fundationis effudit, multiſque prædijs & poſſeſſionibus locupletauit. Hoc Epiſcopo res Plociæ moderante, impium parricidium per Conradum Plocenſium & Maſouiorum Ducem, in Ioannem Czaplam iuris peritum, Vladiſlauienſem & Plocenſem Scholaſticum, atque Ducalem Cancellarium perpetratum eſt. Cuſtos & moderator is erat datus à patre, Caſimiro filio adoleſcenti adhuc, Vratiſlauiam ad Henricum Barbatum ad inuiſendam ſponſam eiuſdem Henrici neptem profecturo; vbi cùm diutiùs moratus fuiſſet, Conradus qui de Henrico malè ſe meritum meminerat, & cui datam fidem ſæpiùs ruperat, in eam ſuſpicionem venit, quaſi filius cum ſocero in ſuam perniciem noua conſilia moliretur auctore Ioanne Czapla, quem reuocatum captumque causâ non cognitâ in carcerem coniecit, ac mox quæſtionibus ſubiectum eodem furore in patibulum egit. Quæ res quantâ crudelitate acta & tractata fuerit, vt in corpus mortui ſæuitum ſit, malo non meis, ſed Cromeri verbis exequi. Ioannis Czaplæ cadauer cùm Dominicani Fratres (quos Ploſcum Conradus ante aliquot annos, cõdito eis Monaſterio induxerat) depoſuiſſent, & Chriſtiano ritu funus deducerent, Agathia Conradi vxor, mariti furori ſuffragata, ereptum & in plauſtro duobus bobus contumeliæ causâ vectum, nouâ furcâ ad id ex tempore ad ædem atque monaſterium Dominicanorum ex aduerſo Baſilicæ erectâ, iterum appendi iuſſit. Nec tamen deterriti ſunt Dominicani, quin iterum id deponerent, atque honorificè ſepelirent. In quo quidem euidenter Diuina iuſtitia apparuit, ſceleſtâ & ſacrilegâ tyranni manu, ad vltionem patrati priùs à Ioanne illo ſceleris vſa: propterea quòd is iniuſtè & nefariè Criſtini Palatini ne-

cis

cis auctor aut sanè incentor fuerat. Et sanè huiusmodi ferè sunt susurronum ac delatorum, quibus aulæ & aures Principum patent, exitus. Hoc verò Conradi facinus, & patratum in sacerdotem Dei parricidium, Andreas Plocensis Episcopus, Marci Palatini Cracouiensis filius, vindicare ausus non est, ne quid & ipse à tyranno pateretur. Cæterùm Petrus Archiepiscopus Gnesnensis, cuius genus & familia non memoratur recognita, maiore animo vniuersę Plocensi Diœcesi sacris interdixit. Quãobrem excanduit quidem primùm Conradus; verùm pòst ad se reuersus, agnouit culpam, & Lenciciam ad Archiepiscopum, vt ille iusserat, venit, de admisso scelere Archiepiscopi arbitratu satisfecit. Louiciam villam cum circumiacentibus syluis sanè quàm vastis, Archiepiscopo Gnesnensi sempiterno iure donauit, eâ quidem lege, vt is Plocensis Canonicus semper esset, & libram siue marcam auri, Duci Masouiæ eorum bonorum nomine quotannis penderet. Vladislauiensi item & Plocensi Ecclesijs, idem Conradus multa largitus est, atque ita Archiepiscopus interdictum suum relaxauit, & Conradus à delegatis Pontificis Maximi Gregorij noni, Episcopo Vratislauiense & Scholastico Cracouiense à crimine absolutus est, cùm ea quæ Archiepiscopo & Vladislauiensi atque Plocensi Episcopis receperat ac donarat, vnà cum filijs suis confirmasset. Id adeò in Anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo actum est. Hæc ex Cromero. Cur autem Andreas Episcopus Plocensis, non eâ animi magnitudine quę patritiâ gente natum Nobilem decebat, in Conradum Ducem gladium spiritualem strinxerit, causam iustam quam adferamus, non habemus. Scribit Dlugossus, hoc Episcopo auctore impetratum fuisse à Boleslao Masouiæ Duce Conradi filio, vt censum annuum quem Episcopus Plocensis Castellaniæ Pultouiensis nomine, Duci Masouiæ veteri instituto dabat, nimirùm sex boues, sex arietes, sex vrnas mellis, in perpetuum remitteret ac condonaret, & non magno quidem tributo, sed minùs honesto sedem Plocensem grauatam solueret ac liberaret. Sed nec illud silentio prætereundum est, hoc Pontifice sedente, Anno videlicet millesimo ducentesimo quadragesimo, Tartaros, seu rectiùs dixerim Tattaros, ferè enim omni linguâ pater dicitur Tatta. Asiaticam Scythicam gentem (longè diuersam & moribus & origine ab eâ, quæ olim in Europâ consederat, atque nationes plurimas, vt Gottos, Vandalos, Sarmatas, Hunnos, Boios, Boiaros, omnemque eam Germaniæ partem, quę nunc mista cum veteri Gallicâ linguâ quam Vandali Nemetam appellant complexa, à mari glaciali vsque ad Rheni ripas, & parte aliâ ad Adriaticum mare, ab Oriente Danubio, ab Occidente mari Baltico, & Oceano Germanico septa, in vniuerso Septemtrione sedem imperij tenuerat, & libertatis quàm Regni amantior, suis contenta sedibus, & non nisi Romanorum potentia irritata, quid bello & armis posset ostenderat) per Russiam in Poloniam ingentibus agminibus irrupisse. Iam illi ante annum millesimum ducentesimum duodecimum, posteaquàm In-

dorum Regis, eo occiso, imperium excussissent, ac penè vniuersam Asiam armis victores longè latéque peruagati essent, superatis angustijs Caucasi montis, & portis ad Caspium mare perfractis, transmisso flumine Rha siue Volga, Polowcijs à campo, vt & Poloni, dictis (quos Gottos olim appellabat antiquitas, quòd nullis tenerentur oppidis, semperque arma circumferentes ad prælia Hotoui, siue Vandalicè Gotoui dicebantur) bello victis, penéque ad internecionem deletis, ac Russis ipsis quorum tum ingens inter Sarmatas potentia erat, occisis eorum duodecim Ducibus, imperio subiugatis, in campestribus locis circa Tanaim & Meotidem paludem, ac in Taurica Chersoneso consederant. Origo eius gentis, si linguam spectes, ad Hebræos vel Chaldæos referenda videtur: & quis suspicari non possit decem olim Tribus ita ex Palæstinâ in seruitutem abactas, vt nunquam (hoc enim decreto illos Deus apud Ezechielem damnauerat) in patriam redirent, in extremasq; Orientis, &, vt nunc vocamus, orbis noui partes translatas, illic, vt erat gens Dei benedictione fœcũda ingentem sobolem, quæ ex promissione Abrahæ factâ numerari non posset, propagasse? Hos veteribus Græcis ac Latinis pariter Historicis ignotos multis seculis delituisse, ad extremum deinde auctâ multitudine, ad quærendas nouas sedes emigrasse, & vt in alias Asiæ partes, sic & in has Septemtrionis oras venisse. Turcas verò etiam hoc nomine à Plinio appellatos circumcidi (quæ nota est Hebraici ritus) solere, idem auctor testatur. Denique & Turcas & Tartaros, legem Mahumeticam licet ob circumcisionem asperiorem visam, idcircò libentiùs accepisse credi potest, quòd iam olim huic cærimoniæ assueti essent. Hęc itaque moribus barbara, ignota & inculta gens, à Russis Polonorum hostibus, vt tunc creditum est, euocata, & in Poloniam immissa, vniuersam eam, simulque Vngariam, Bohemiam, ita est peruagata, vt aliquoties collatis armis semper victoriam obtinuerit, atque cùm ad Legniciam Henricus Henrici Barbati & Sanctę Heduigis Ducum Poloniæ filius, vniuersas Regni vires, accitis etiam Cruciferis, & ex Germaniâ euocatis subsidijs, illis opposuisset, & ipse, vt Boleslai Criuousti Poloniæ totius Monarchæ pronepotem decuit, in primâ acie pugnans occisus, & totius Nobilitatis Polonæ militaris soboles ad internecionem profligata est, paucis admodùm relictis, qui vel ante prælium inter syluas se abdiderant, vel certè è prælio fugâ euaserant. Hæc acciderunt anno à Christo nato, millesimo ducentesimo quadragesimo secundo. Quę quidem vberiùs à scriptoribus rerum Polonicarum relata, vnicuique ex illis petere licet. Cęterùm Andreas cùm in Sede Plocensi vndecim annos exegisset, varijs maceratus febribus, die decimâ septimâ Ianuarij moritur, & in Plocensi Ecclesiâ sepelitur, Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, Pontificis summi Innocentij quarti Anno septimo, post Friderici secundi mortem Imperio Romano vacante.

Obitus Andreæ Episc. 1249.

Petrus

Petrus II. dictus Breuis Episcopus Plocensis XIX.

PAruum hunc staturâ, sed ingenio acrem, animi magnitudine præstantem, sortita est Episcopum Plocensis Ecclesia. Quo genere is ortus fuerit incertum habetur, sed nobili indole, & elegantioris literaturæ scientiâ facilè obtinuit, vt comitijs eligendi noui Episcopi, ad diem vigesimum tertium Aprilis, qui Diuo Adalberto sacer est, indictis, per compromissum, vt vocant, ex Scholastico Plocensi Episcopus renunciaretur. Ad discrimen Petri primi Petrus paruus dictus est, cùm hoc nomen ei natura ipsa, vt diximus, imposuisset: petentibus autem Ducibus Masouiæ Semouito, & Casimiro, à Fulcone Archiepiscopo Gnesnẽsi, Calissij confirmatus & consecratus est. Non diu tamen rei Plocensi præesse potuit, nam quinto à suscepto Pontificatu anno, cùm etiam prouectioris esset ætatis, colicis doloribus extinctus est, & in Plocensi Ecclesiâ *Moritur an.* tumulatus, Anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo quar- *1254.* to, cùm eodem quoque anno Alexander quartus Pontifex Maximus renunciatus esset, ac in Syriâ res Christianę, captis à Melechalo Sultano Ægypti, Sancto Ludouico Rege Galliæ, itemque Rege Cypri, ac Magistri Templariorum ac Hospitaliorum, vniuersoque Christianorum profligato exercitu in pessum irent; quod quidem ante hæc tempora, nimirum millesimo ducentesimo quinquagesimo Christi nati anno, accidisse scribunt Historici.

Andreas II. dictus Ciolek Episcopus Plocensis XX.

ACcelerarunt Prælati & Canonici nouam futuri Episcopi electionem, quâ profesto ad diem Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ more veteri indictâ, Andream Ciolek siue Vitulum dicere malueris, Prępositum Plocensem Episcopum eligunt. Nobilis hic fuit de familiâ quæ Taurum pro stemmate gerit, callidus idem & prudentiâ sæculari ad res agendas & tractandas vsu & experientiâ partâ præstans, animosus item, & in propulsandis Ecclesiæ illatis iniurijs, atque tuendis iuribus acerrimus defensor. Cumque alij in electione non postremas quoque tulissent partes, solerti prudentiâ effecit, ne ius suum vrgerent, sed sua potius suffragia ad eum deferrent. Fauebant eidem Semouitus & Casimirus Masouiæ Duces, quibus commendantibus Fulco Archiepiscopus Gnesnensis, Andream Episcopum Plocensem Gnesnam ad se venientem, & confirmauit, & ritu solenni inaugurauit. Sex annis rexit Ecclesiam Plocensem, quibus expletis, apoplexiâ extinctus est, Anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo.

Obitus Andreæ XX. in ordine Episcopi Plocensis Anno Christi 1260.

Petrus III. dictus Niedich Episcopus Plocensis XXI.

NEc Petro tertio, qui Andreæ ſucceſſit diuturnus fuit Epiſcopatus; electus enim eſt conſentientibus omnium ſtudijs, & annuente Semouito Maſouiæ Duce, per Ioannem Archiepiſcopum Gneſnenſem Gneſnæ conſecratus. Nobili is quoque ortus eſt ſanguine, eâ familiâ quæ Serpentem pro inſigni gentilitio gerit. Sed cùm admodùm prouectæ eſſet ætatis, dum corruptos Clericorum mores magno ſtudio corrigit, dum ſcandala hinc orta eliminat, dum ſummâ cum laude munus Epiſcopale exequitur, annis & morbis fractus, tertio à ſuſcepto Epiſcopatu anno, ad præmia æterna euocatus, migrauit è vitâ poſteaquàm domum ſuam optimè diſpoſuiſſet, ac ſacroſanctis Eccleſiaſticis Sacramentis deuotè expiatus eſſet. Quod accidit Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio.

Obitus Petri 3. XXI. in ordine Epiſcopi Plocenſis Anno Chriſti 1263.

Thomas I. dictus Tomka Epiſcopus Plocenſis XXII.

CVm viderent Prelati & Canonici Plocenſes, aulicos Prælatos inſolito exarſiſſe ambitu, & operam ſuam interponentibus Ducibus Maſouiæ, cùm alter alterum promoueret, ad dignitatem Epiſcopalem aſpirare, aliquandiu hæſerunt, neque more ſolito ad electionem noui Antiſtitis progrediendum ſibi exiſtimarunt, rati interpoſitâ aliquâ temporis intercapedine, prauas cupiditates & ambitiones tepeſcere poſſe. Cùm tamen ſine Paſtore illis viuere non liceret, & ne ius eligendi Epiſcopi ad Sedem Apoſtolicam deuolueretur, die Sancti Ioannis Euangeliſtæ ſacro, tacitâ inter ſe factâ conſpiratione, ne Principum importunis precibus perturbarentur, facto compromiſſo, certis ex ſe lectis, qui nouum Epiſcopum dicerent, demandarunt. Et quamuis ita ſatis cautè procederent, euitare tamen non potuerunt, quin ad aulæ fauorem electio inclinaret. Thomas itaque Canonicus Plocenſis, Maſouiæ Cancellarius, omnium conſenſu Epiſcopatum Plocenſem conſecutus eſt. Acceſſit & fauor Semouiti, & Caſimiri Ducum, quorum commendationi id tribuit Ianuſſius Archiepiſcopus Gneſnenſis, vt Thomam electum Epiſcopum & confirmaret & conſecraret. Is octo annis geſto Epiſcopatu, paralyſi ictus obijt Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo, atque in Eccleſiâ Plocenſi ſepelitur. Hoc eodem Epiſcopatum gerente, Sara Marcuſſij militis filia, nobilis & pia matrona, moriens Chriſtum & Eccleſiam Plocenſem hæredem ſcripſit, villâ ſuâ patrimoniali Piaski dictâ, iure perpetuo Eccleſiæ Plocenſi donatâ. Eodem Epiſcopo viuente, longa inter Plocenſem & Culmenſem Epiſcopos controuerſia, arbitrio Epiſcopi Vladiſlauienſis & Magiſtri Cruciferorum ſublata eſt, ita vt Culmenſis pagum Orechouum, ac trecenta iugera inculti adhuc agri, in Territorio Luba-

Obitus Thomæ XXII. in ordine Epiſcopi Plocenſis Anno Chriſti 1270.

Lubauiensi daret Plocensi Episcopo, pro decimis & possessionibus, quas ille sibi in Culmensi Diœcesi, præter eas quas Episcopo Culmensi sui Antecessores donarant, vendicabat. Quanquàm posteriori tempore, anno videlicet millesimo trecentesimo septuagesimo octauo, inter Episcopum & Prælatos Culmenses alia transactio facta est, ita vt Plocensis Episcopus, redditis Capitulo Culmensi istis trecentis in Territorio Lubauiensi iugeribus, finibus Dobrinensis Terræ contentus, ab eo fonte ex quo fluuius Brinnica primum ortum habet, & Terram Culmensem & Dobrinensem dislimitat, quidquid in Terrâ Dobrinensi continetur, vnà cum vtraque ripâ eiusdem fluuij sibi reseruauit. De quo extant Diplomata, vt & illud quo Terræ Culmensis & Masouiæ, seu Palatinatus Plocensis, in ipsis orientis Brinnicæ fontibus, vetustissimi priuilegij testimonio termini figuntur. Extant priuilegia vetustissima in Archiuio Plocensi hac de re conscripta.

Goslaus II. siue Gedeon Episcopus Plocensis XXIII.

GOslaum quoque aula Ducum Masouiæ prodidit; nam cùm illustri Griforum familiâ ortus esset, multosque in comitatu Ducum Masouiæ, qui tum iam plures erant, cognatos & consanguineos, qui apud eosdem Duces gratiâ & auctoritate plurimùm valebant, haberet; eorum suffragio adiuto etiam in Capitulo suffragatores non deerant, quorum subsidio ex Custode Episcopus Plocensis renũciatus est: ac cùm eo tempore Ecclesia Metropolitana Gnesnensis Archiepiscopo careret, ad Martinum quartum Romanæ Sedi præsidentem confugere necesse habuit, à quo ritè examinatus, confirmatus, & Episcopus consecratus est. Ab aulâ hunc venisse credideris, namque vt omni splendore exornaret Ecclesiam, omnem toto Episcopatus sui tempore curam impendit, aureis argenteisque calicibus, & sacris crucibus pretiosioreque supellectili Ecclesiasticâ, & altarium, ita Cathedram Plocensem cumulauit, vt quasi nouam dignitatem consecuta esse videretur. Vigesimo sexto Episcopatus anno, calculi dolore grauatus viuere desijt, anno millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, Bonifacio Octauo Romano Pontifice in Cathedrâ Petri sedente. *Obitus Goslai XIII. in ordine Episcopi Plocensis Anno Christi 1296.*

Ioannes II. dictus Altus Episcopus Plocensis XXIV.

INtra ipsas festi Paschatis sacras ferias, vt celeriùs defuncto Goslao successor subrogaretur, Prælati & Canonici Plocenses Plociæ congregati, Ioannem cognomento Altum, quòd procerioris staturæ esset, Scholasticum Plocensem Episcopum dicunt & renunciant genere nobilem; nam è Prauditarum familiâ ducebat genus, & talem qui morum ciuilitate & humanitate, omnium tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium amo-

amorem ſibi conciliare ſciret, comis enim & frugi erat, beneuolentiæque & fauoris ſui fructus in omnes effundere præclarè nouerat. Ducum quoque Maſouiæ Semouiti & Caſimiri ſuffragabatur illi gratia & auctoritas, quâ adiutrice facilè à Iacobo Swinka Archiepiſcopo Gneſnenſi obtinuit, vt ab eo & confirmaretur & conſecraretur Epiſcopus. Dum priuatus eſſet, boni viri iudicio omnium habebat opinionem: Epiſcopus factus, quaſi illi dictum eſſet, hæc dies alios mores affert, aliam vitam poſtulat, veluti in alium mutatus virum, contemplationi ſacræ & orationi ita intentus fuit, vt huic vni vacare videretur: neque tamen alias functionis ſuæ partes intermiſit, quin Clerum arctiori Eccleſiaſticâ diſciplinâ contineret, & à vitâ turpiori exemplo caſtimoniæ ſuæ coërceret. Quatuordecim annis ſummâ cum laude geſto Epiſcopatu, Anno Chriſti milleſimo trecenteſimo decimo ad immortalem tranſiuit vitam, & in Eccleſiâ Plocenſi tumulatus eſt.

Obitus Ioannis Alti XXIV. in ordine Epiſcopi Plocenſis Anno Chriſti 1310.

Ioannes III. Nalecz, Epiſcopus Plocenſis XXV.

EXcepit Ioannes Ioannem, Polonus Polonum, nobilis nobilem; nam & is qui tertius eius eſt nominis, patre Abrahamo Nalæcio natus eſt, quem Prælati & Canonici Plocenſes, die Aſſumptæ Virginis MARIÆ ad cœlum celebri, non ſine aliquâ nonnullorum diſſenſione alium poſcentium, maiori & potiori parte præualente, Epiſcopum Plocenſem eſſe iuſſerunt; hunc & Duces Maſouiæ Semouitus, Caſimirus, & Boleſlaus, electum libenter viderunt, & Ianiſlaus Archiepiſcopus Gneſnenſis eo nomine compellatus, Louicij cùm eò ſe electus contuliſſet, confirmauit, & ritè inaugurauit. Vir erat doctus, negotiorum Reipublicæ tractandorum peritus, idem tamen eâ opinione non caruit, quaſi in vitam delicatiorem & voluptates propenſior eſſet; fama id tenuit; nos nihil certi aſſerimus. Octo annis præfuit Epiſcopatui Plocenſi, ad extremum peſte, quæ tum in vniuerſo Poloniæ Regno graſſabatur, infectus obijt, cùm ante mortem & teſtamentum condidiſſet, & Sacramentis Eccleſiaſticis contra ſupremum certamen ſe religiosè muniuiſſet. Obitus eius incidit in annum milleſimum trecenteſimum decimum octauum, ſepulchri honorem in Eccleſiâ Plocenſi accepit.

Obitus Ioannis Nalecz XXV. in ordine Epiſcopi Plocenſis Anno Chriſti 1318.

Florianus I. Epiſcopus Plocenſis XXVI.

NOn rerum geſtarum narrationem ſcribendam ſuſcepimus, nec eo animo hæc tractamus, vt Plocenſium Epiſcoporum Vitas, quæ longâ obliuione obſcuratæ ſunt, in lucem proferre velimus. Ne ipſe quidem Dlugoſſus antiquitatis peritiſſimus, hæc, niſi per tranſennam, attigiſſe videtur; interdum tamen ea commemoramus, quæ cohærere temporibus illis videntur. Defuncto Ioanne tertio, ſubrogatus eſt Florianus primus, qui

qui Laskaryz vnde dictus sit, me ignorare fateor; ex familiâ Coryllorũ, & domo Koscielecciorum illum fuiſſe affirmat Dlugoſſus. Corylli autem nomen in ſtatutis noſtris notum eſt; putant aliqui eſſe bacillos tenuiores nucis auellanæ; exponit Dlugoſſus hanc familiam Coryllorum ſeu Aceruorum notum in Poloniâ inſigne nobilitatis: fuit is Vladiſlauienſis & Plocenſis Canonicus, concordi voce lectus Epiſcopus Plocenſis, vir eâ tempeſtate prudens, maturus, modeſtus, ſcripturis Diuinis & humanis præclarè eruditus. Electio ipſius cõprobata fuit ſuffragio, & calculo Venceſlai Ducis Maſouiæ: nec Ianiſlaus Archiepiſcopus Gneſnenſis cunctatus eſt, quin eum id ipſum à ſe petentẽ, in prærogatiuâ iuris Epiſcopalis conſeruaret, & Epiſcopũ ritè electum renunciaret. Colica paſſio huic vitam ademit Pultouiæ, milleſimo trecenteſimo trigeſimo quarto. *Obitus Flariani XXVI. in ordine Epiſcopi Plocenſis Anno Chriſti 1334.* Et cùm vigeſimâ primâ Iunij mortuus eſſet, Pultouiâ Plociam tranſlatus, die Natalis Sancti Ioannis Baptiſtæ ſepultus eſt. Ex quo ſcire licet illâ tempeſtate, ambitioſas & ſumptuoſas ſepulturarum curas nondum in Poloniâ locum habuiſſe. Hic primus Pultouiæ, quod oppidum arce nobile, à primis fundati Epiſcopatus Plocenſis diebus Caſtellaniæ nomine cenſebatur, quaſi in meditullio Epiſcopatus ſui ſedem poſuiſſe memoratur. Hæc illa ſunt tempora memoratu digniſſima, cùm poſt annos circiter ducentos quinquaginta nouem, poſt amiſſum in Poloniâ Regium decus, iterum hæc noua laudis corona refulſit in Poloniâ, cuius recuperandæ cùm multi ante Principes Poloniæ ſtudio flagrarent, & Præmyſlaus Maioris Poloniæ Dux, ex Miecislai Criuouſtij filij dicti Senis ſtirpe natus, Regios titulos, coronatione etiam priuatâ auctoritate vſurpatâ ſumeret, nomenque ſuum & pingi, & nummis inſculpi iuberet hoc carmine: *Reddidit hic primus victricia ſigna Polonis*; tamen cùm id ſine ſcitu Summi Pontificis & approbatione factum eſſet, ſucceſſum res non habuit: nam Præmyſlao, octauo à die Coronationis menſe, à Marchionibus Brandeburgenſibus Regni Poloniæ ratione nouæ Marchiæ ſubditis, ijſdemque incrementorum eiuſdem Regni oſoribus, Rogoznij fraude proditoriâ occiſo, (addunt Scriptores noſtri Zaræbas quoque & Nalæcios huius cædis conſcios fuiſſe, quòd ſeueriorem eum vindicem ſcelerum, & inhoneſtas parandæ rei familiaris rationes refrenantem ferre non poſſent, manſiſſeque patrati ſceleris notam in his familijs, vt neque rubris veſtibus vti, neque inter equeſtres homines in acie conſiſtere eis liceret, vſque ad id prælium quo Caſimirus II. cum Ruſſis conflixit) ius Regni ſine ſcitu Summi Pontificis vſurpatum euanuit. Meliùs Vladiſlaus Locticus & feliciùs, vir quidem exiguæ ſtaturæ, ſed ingentis animi, ad capeſſendum Regium decus ſe accinxit. Huic Conradi Maſouiæ Ducis ex Caſimiro eius filio nepoti, non niſi Syradienſium ditio contigerat, quorum innatâ virtute & bellicæ rei ſtudio fretus, iam olim in ſpem Regni adipiſcendi venerat; nam cùm Leſcus Niger à Boleſlao Pudico in ſpem Regni adoptatus, imperiumque adeptus, ſegnior ad maiores curas

ras suscipiendas haberetur, morte ipsius, quæ anno millesimo ducentesimo octuagesimo nono contigit, circumspectis rebus omnibus, desidiaque aliorum Principum animaduersâ, tum quòd Lencicienses & Sendomirienses ditiones ac Cuiauiensis magna pars ei accesserat, facilè omnium animos in se vertit, effecitque vt Posnaniæ ad nonum Calendas Maij, anno millesimo ducētesimo nonagesimo sexto, summa rei ad eum omnium consensu deferretur. Quo successu deinceps vsus fuerit, qui scire vult, petat ex Cromero; ille certè apud Poëtam Ianicium hæc de se testatur: *Fortunam vici cum quâ mihi bella fuêre.* Diu sanè nomine Regio abstinuit, donec misso ad Summum Pontificem Ioannem Vigesimum tertium, Gerardo Vladislauiensi Episcopo, ius redintegrandæ Coronæ Regiæ (frustra obnitentibus nominis Poloni osoribus, & beneficiorum acceptorum ingratis Cruciferis, & Ioanne Lucemburgico Rege Bohemiæ) Apostolicâ auctoritate concessum obtinuit.

Clemens I. Pierzchala Episcopus Plocensis XXVII.

REgnabat in Poloniâ Casimirus, Vladislai Loctici hoc ipso anno, quo Florianus extinctus est, vitâ functi filius, atque ita potestatem Regiam extendi volebat, vt in Duces quoque Masouiæ iura regia non temerè vsurparet, quod & in electione Clementis Episcopi Plocensis ostēdit. Concordi omnium Prȩlatorum & Canonicorum sententiâ is electus erat die vigesimâ quintâ mensis Iulij, vir nobilis, eo insigni nobilitatis vtens quod Pierzchala siue Roch dicitur. Obstabat illi Casimiri Regis aduersa voluntas, donec tandem precibus amicorum expugnato Rege, eoque assentiente, ab Archiepiscopo Gnesnensi Ianislao iura Episcopalia canonicè & legitimè adeptus, & Episcopus consecratus est. Vixit in Pontificatu annis viginti tribus. Mortuus est anno millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo.

Obijt Anno 1358.

Bernardus I. Episcopus Plocensis XXVIII.

NOn recenserem hunc in Albo Episcoporum Plocensium, neque enim electus vnquam fuit, sed cùm Polonus esset, alium ritè electum iure & fauore Romano, sede deturbare nisus est, &, quod mireris, eam rem ausus homo ex familiâ Sancti Dominici. Hic auditâ morte Clementis Episcopi, confestim Innocentium Papam eius nominis sextum, cuius Pœnitentiarius fuisse dicitur, adijt. Episcopatum Plocensem tenui esse censu, qui centum florenos non expleret, asseruit. Hærebat in eo quoque paterni vitij turpitudo, arguebatur à Casimiro Rege proditionis fuisse reus; nam pater huius Bernardi, præsidio Sendomiriensis ciuitatis Prȩfectus, hostibus Regis arcem & ciuitatem prodiderat, eiusque proditionis conuictus, crimine læsæ Maiestatis in iudicio succubuerat, decretoque

toque Comitiali, & patri & filio eius Bernardo, eorumque successoribus aquâ & igni interdictum erat. Nullâ earum rerum mentione factâ Bernardus effecit mox vt Episcopus absolutâ Summi Pontificis potestate renunciaretur, & Romæ consecraretur. Cæterùm Prælati & Canonici Plocenses, iure & prærogatiuâ suâ freti, inter quos tum erat Zbilotus Prępositus, Ioannes Decanus, Nicolaus Cantor, qui & nobilitate & doctrinâ cæteris præstabant, statim à morte Clementis Episcopi ad electionem noui Antistitis accesserunt, ac die 7. mensis Aprilis, Ianislaum Wronski Præpositum S. Michaëlis in Arce Cracouiensi, & Canonicum Plocensem consensu legitimo Episcopum renunciarunt. Non huic defuit Semouiti Ducis Masouiæ patrocinium, nec Ianislai Archiepiscopi Gnesnensis fauor, quin eum ritè electum, ritè quoque & canonicè confirmaret & consecraret. Ortę inter eum qui à sede Apostolicâ promotus fuit, & Ianislaum lites, septennio perdurarunt, cùm Pontifex censuris Ecclesiasticis, quibus & electum Ianislaum Episcopum, & eos qui eum elegerant, ac denique ipsum Archiepiscopũ stringebat, vt ad adipiscendam possessionem Episcopatus Plocensis, à se prouisus & ordinatus Bernardus Episcopus promoueretur, vrgeret; vicissimque Semouitus Dux Masouiæ, & quod plus ponderis habuit, Casimirus Rex Poloniæ, hostem Patriæ in Senatum sacrum adsciscі non sineret. Magna iam erat in Christianâ Republicâ Casimiri Regis auctoritas; augebat dignitatem ipsius affinitas contracta cũ præcipuis Europæ Principibus, & summorum Pontificum tum Auenione sedem habentium, quasi Cathedræ Romanæ desertorum, non vt prisco æuo ratio habebatur. Itaque Innocentius sextus, cùm pro vtraque parte diuersa allegarentur, ad cognoscendam causam Franciscum Gambaram S. Marci Cardinalem Presbyterum delegat, qui re cognitâ, ea quæ Bernardo obijciebantur vera esse retulit, ac summus Pontifex datis literis secundo Idus Augusti, in loco qui noua villa vocatur Auenionensis Diœcesis, hisque quæ à Cardinale Gambara relata fuerunt assentiens, censuras omnes Ecclesiasticas, quæ ex petitione Bernardi Episcopatum ambientis latæ & fulminatæ fuerant, suspendit; negotiumque Archiepiscopo Gnesnensi, ac Episcopis Vladislauiensi & Posnaniensi dedit, vt hanc ipsam suspensionem censurarum publicarent, Bernardoque quinque mensium spatium ad negotium istud determinandum præfigerent, denique Clericos Plocensis Diœcesis, à sententijs latis & irregularitatis vinculis soluerent. Vidisse se has literas scribit in Archiuio Gnesnensi Dlugossus, & nos non dubitamus, quin etiam nunc ibi reperiantur. Ita tunc ambitio viri religiosi cohibita, atque restricta fuit, vt id quod appetierat, consequi non posset.

Ianiſlaus I. Epiſcopus Plocenſis XXIX.

CEſſit tandem ambitio canonicè & legitimè quæſito iuri, & Ianiſlaus ſeptimo ab electione & conſecratione anno ſedem Plocenſem conſcendit, cùm intereà reditus omnes Epiſcopales in litem quæ ambitionem coërceret inſumerentur. Nec Bernardus ampliùs contra niti auſus, Regiamque potentiam veritus, ceſſit obtento per nefas iure. Itaque Ianiſlaus pacificam Epiſcopatus Plocenſis poſſeſſionem adeptus, dum iura Eccleſiæ tuetur, dum tam diuturno interregno corruptos mores ad meliorem frugem reducit, vix vno anno & ſex menſibus exactis viuere deſijt, eamque laudem ſepulchro ſuo quod in Eccleſiâ Plocenſi ſortitus eſt, præclaro cum titulo intulit, vt defenſor iurium Eccleſiæ & haberetur & diceretur, ita eo animo omnes hoſtium iuris Eccleſiaſtici inſultus ferre ſolitus, vti virum nobilem ac magno animo præſtantem decuit. Obijt anno Chriſti milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Ianiſlai vigeſimi noni in ordine Epiſc. Plocenſis obitus 1367.

Nicolaus I. Epiſcopus Plocenſis XXX.

TRes Epiſcopos ijſdem parentibus natos, in eadem Sede ſibi continuè ſuccedentes, haud ſcio an vlla vnquam ætas vel viderit, vel Prouincia habuerit. Fœcunda bonæ prolis mater Plocia, nobiliſſimo genere natos fratres tales protulit, quorum felicis ſucceſſionis memoria vt æternùm vigeat, eorum virtus expoſcit. Quâ cùm cæteris præſtaret Nicolaus de Gulczewo, trium fratrum maior natu, de domo & familiâ Prauditarum, Cantor Plocenſis, monſtratus eſt Prælatis & Canonicis morte Ianiſlai Epiſcopi Plocenſis qui in eius locum ſucceſſurus eligeretur ; id quod factum fuit 7. die menſis Auguſti. Et ne exiſtimes illum ambitione lectum, arcano ſcrutinio in Cathedrâ Epiſcopali collocatus eſt. Viderat idem haud recto ordine eos, qui antè Epiſcopi Plocenſes renunciati erãt, eam dignitatem fuiſſe conſecutos, & gnarus id munus non niſi à ſummâ Sede peti debere, non ampliùs ad Archiepiſcopum Gneſnenſem, ſed ad Vrbanum Quintum Romanum Pontificem ſe contulit, atque ab eodem Idibus Decembris electionis ſuæ comprobatione obtentâ, eiuſdem mandato à Cardinali Hoſtienſi conſecratus fuit. Itaque in Curiâ Romanâ negotiorum Eccleſiæ causâ aliquantulùm moratus, ad Epiſcopatum reuerſus non diu ſuperuixit; nam altero ſuſcepti Epiſcopatus anno, podagræ doloribus grauatus, vitam cum morte commutauit, & in Eccleſiâ Plocenſi ſepultus eſt, milleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono Chriſti nati anno.

Nicolai trigeſimi in ordine Epiſcop. Plocenſis obitus anno 1369.

Stani-

Stanislaus I. Episcopus Plocensis XXXI.

SAcrum & venerabile erat in Poloniâ Diui Stanislai Martyris nomen, adeò vt maiores nostri illud temerariè vsurpare, & populariter ex se natis imponere veluti quadam religione obstricti noluerint. Nec sanè vnquam, etiamsi multa viderim & legerim, videre mihi contigit, in ijs quæ in Archiuio Regio & Ecclesiarum cõtinentur monumentis, multos hoc nomine insignitos. Episcopus Cracouiensis vnus tantùm fuit; Archiepiscopum Gnesnensem primum Stanislaum Karnkouium ætate nostrâ vidimus, nec in alijs Cathedris relatos multos huius nominis numerare licet. Cæterùm humanitas & liberalitas quâ Nicolaus de Gulczewo proximè vitâ functus enituit, in eam sententiam traxit studia & volũtates Prælatorum & Canonicorum Plocensium vt primâ die Octob. eligendo nouo Pontifici dictâ, Stanislaum de Gulczewo Præpositum Vladislauiensem & Canonicum Plocensem Episcopum Plocensem renunciarent: viderant eum idoneum satis esse, qui temporalem & spiritualem iurisdictionem exerceret; nam & eruditus erat, & singulari pudicitiâ præditus, pietate verò in Deum, & erga egenos munificentiâ insignis. Is quoque electionem suam niti voluit approbatione Vrbani V. Romani Pontificis, quo mandante ab Archiepiscopo Gnesnensi Iaroslao consecrationis munus accepit. Ad extremum cùm biennio Plocensi Ecclesiæ præfuisset, paralysi tactus, anno Christi millesimo trecentesimo septuagesimo primo cessit è vitâ. *Obitus Stanislai Episcopi Plocensis in ordine 31. Anno 1371.*

Dobeslaus I. dictus Sovvka Episcopus Plocensis XXXII.

CVm duo fratres eadem familiâ, ijsdem parentibus orti, Episcopatu Plocensi functi essent, ac tertius inter Capitulares adhuc viuus existeret eorundem germanus, Prȩlatos & Canonicos vel ipsa rei nouitas permouit, vt duobus fratribus præclarè Episcopatu functis, tertium successorem subrogarent. Is fuit Dobeslaus, cognominatus Sowka, qui statim post fratris decessum electus est. Accessit ad consensum Capituli Plocensis, Ducum quoque Masouiȩ Semouiti & Ianussij voluntas, & Metropolitani Gnesnensis Ianussij electionis confirmatio, à quo etiam benedictionis gratiam electus obtinuit. Magnanimus hic Dobeslaus fuisse dicitur; nam dum toties vacua esset Pastore Ecclesia Plocensis, contigerat vt cupiditate quoque hominum possessiones Episcopales inuaderentur ac occuparentur, decimarum ius interuerteretur. Non passus est Dobeslaus hanc fieri Ecclesiæ iniuriam; nam & prædecessorum suorum negligentiâ, amissa recuperauit, & temerè occupata iure vindicauit; denique Terram Dobrinensem vniuersam negãtem decimas, & cæteris iniurijs Ecclesiam Plocensem afficientem, Ecclesiastici interdicti fulmine ictam à cœtu fi-

 delium

delium arcuit. Hæc eum agentem dum Pultouiâ versus Plociam proficisceretur, subita extinguit apoplexia die tertiâ Septembris. Illud sanè dolendum est, quòd tantum spatij illi concessum non fuerit, vt ante supremum exitum rationes vitæ suæ recensere, & sacris Sacramentis procurari potuisset. Ita sanè cùm trium fratrum continuata successio prosperum haberet successum, hoc vnum defuit, vt diutiùs in munere Pontificali versarentur, Episcopatusque à tribus fratribus gestus, longioris temporis spatio quàm decennio compleretur.

Stiborius I. Episcopus Plocensis XXXIII.

SEmouitus & Ianussius Duces Masouiæ, simul atque intellexerunt Dobeslaum vitâ functum esse, tantoperè vrserunt noui Episcopi Stiborij de Radzimino Archidiaconi Plocensis electionem, vt ne spatium quidem quo se Prælati & Canonici Plocenses recolligerent, dare illis vellent. His igitur auctoribus sextâ die mensis Decembris, renunciatur à Capitulo Plocensi Episcopus Stiborius. Ijsdem auctoribus Ioannes Suchowilkius Archiepiscopus Gnesnensis eundem die decimâ octauâ Gnesnæ confirmat, & consecratum Episcopi charactere insignit. Sed Stiborius, cùm subductis rationibus videret promotionem suam nimiùm acceleratam, in Curiâ Romanâ in disceptationem vocari posse, quamuis per aliquot annos eo metu se carere ostendisset, tamen cùm post mortem Gregorij XI. Romani Põtificis, qui primus Auinione Romam, veterem summorum Pontificum sedem transtulit Vrbanus VI. cui Clemens Antipapa obiectus fuerat, Pontificatum inijsset, vt certiori iure niteretur, ab eodem Vrbano VI. vt in possessione Episcopatus Plocensis auctoritate Apostolicâ retineretur, obtinuit, cùm presens ipse ad Vrbem accessisset, grandemque pecuniæ summam sub grandis vsure censu, à Iudeis Cracouiensibus, qui tum locupletes erant, mutuò acceptam, in soluendis sacris Diplomatibus expendisset, gloriæ & laudis sæcularis appetentior, quàm iuris Ecclesiastici tuendi studiosior videbatur. Idem enim ingentem censum, qui ex decimis Terræ Dobrinensis Episcopo Plocensi debebatur, & quem vt vindicaret, Dobeslaus qui proximè ante ipsum fuit, gladio spirituali totũ illud Territorium mulctarat, facilè remisit, & exiguâ acceptâ satisfactione, vt verbis Dlugossij vtar, improuidè & incautè iure Ecclesiæ in perpetuum cessit, cuius cessionis, & quid hactenùs Nobilitas Terræ Dobrinẽsis Episcopo Plocensi debeat, extant instrumenta publica, ac transactiones, quibus ne nunc quidem Dobrinenses, quamuis in fauorem suum factæ fuerint, satisfacere volunt. Fuit autem Stiborius nobili domo, cuius insigne est Ostoia, natus, ville Radzimino dominus, in quâ demolitâ Ecclesiâ olim ligneâ, nouam cocto latere struxit, ornamentisque decorauit, quã nunc interuersis à possessoribus eorundem bonorum Ecclesiæ eius reditibus, proximam ruinæ conspicimus. Moritur Stiborius anno Christi millesimo trecentesimo nonagesimo.

Obitus Stiborij Episcop. in ordine 33. Anno 1390.

Hen-

Henricus I. Dux Masouiæ Episcopus Plocensis XXXIV.

REgio quondam Regum Poloniæ sanguine ortos Duces Masouiæ, eò vel egestas, vel ambitio traxit, vt cùm in multas stirpes excreuissent, non contenti amplissimis ditionibus, Ecclesiastico pane nutriri appetierint, infelici sanè successu, & ad perpetuam posteritatis memoriam deplorando. Henricus erat Semouiti Ducis Masouiæ filius, Semouiti Ducis Plocensis frater, quem parentes in spem adipiscendi honoris Ecclesiastici educauerant; & ne ambigeret quem statum suscepturus esset, iuuenem admodùm gradus Subdiaconatus vinculis adstrinxerant: idem vt vitâ functo Stiborio subrogaretur, magnâ contentione omnes Duces Masouiæ flagitabant. Nec erat integrum Prælatis & Canonicis Ecclesiæ Plocensis, eum qui & iam esset in sacris Subdiaconatus Ordinibus constitutus, & qui genus ex sanguine Regum Poloniæ Ecclesiȩ Plocensis fundatorum duceret, aspernari; illum itaque ritè electione institutâ die vigesimâ primâ Februarij Episcopum Plocensem eligunt, & electum Bonifacio Nono confirmãdum commendant. Nec Pontifex Maximus moram vllam interposuit, quin electionem eius confirmaret; sed Henricus longè alia animo voluens, toto biennio quo Episcopatui præfuit consecrationis Episcopalis gratiam acceptare renuit, suis obsequens moribus & libidinibus indulgens; quas vt sacrilego expleret coniugio, cùm à Rege Vladislao Iagellone missus, legatione apud Vitoldum Magnum Ducem Lithuaniæ, tunc apud Crucigeros delitescentem fungeretur, & secreta cum eo in castro Ritteruerdero negotia tractaret, visâ (vt Dlugossus ait) sorore Vitoldi (vt Cromerus) filiâ Ringulâ, ita in eius amorem exarsit, vt oblitus voti & instituti sui, vel potiùs dignitatis & generis, incestas cum eâ contraheret nuptias. Sed non diu execrandâ libidine illi licuit frui; nam intra alterum mensem veneno amoris imbutus, extinctusque est; nec eum honore sepulchri Prælati & Canonici inter Episcopos Plocenses dignum esse censuerunt; itaque inter Duces Masouiæ tumulum sortitus est. Magna suspicio fuit fraude incestæ vxoris fuisse è vitâ sublatum; documento cæteris esse potest, non facilè votis sacris ludendum esse, nec deserendum statum quem quis vocatione Diuinâ susceperit.

Mamphiolus Episcopus Plocensis XXXV.

AVdiuit & obstupuit atque detestata est Curia Romana ingens & indignum sacerdotali ordine facinus, Episcopum videlicet à Sede Apostolicâ confirmatum, incestis nuptijs ordinem sactum polluisse. Itaque summus Pontifex Bonifacius IX. veritus ne eâ res in exemplum transiret, neuè quis alius tantum scelus committeret, eâ ratione huic rei obuiàm se ire posse existimauit, si non admissâ electione cleri

 Plocensis,

Plocensis, Italum cuius virtutem nouerat, Ecclesiæ auctoritate Apostolicâ præficeret. Mamphiolus is fuit Pontificis consanguineus, nobilis Romanus; hunc à se consecratum impensiùs studuit fauore Regis Poloniæ, & Ducum Masouiæ in sede Plocensi collocare. Sed cùm eo quoque iam tempore, Reges Poloniæ aliquid de iure suo detractum putarent, si nutu & arbitrio summi Pontificis Episcopi, ijque externi darentur; ne id fieret, quamuis summus Pontifex pœnas & censuras Ecclesiasticas stringeret, Rex Ducesque Masouiæ, ad futurum summum Pontificem qui sine schismate sederet prouocantes obstiterant. Nec Prælati & Canonici Plocenses, in tuendo iure liberæ electionis sibi defuerũt. Quadriennium in hac contentione consumptum est: quo expleto, Mamphiolus iam Episcopus à summo Pontifice consecratus, & sine possessione titulo Episcopatus Plocensis vsurpato morbo grauatus, Romæ anno Christi millesimo trecentesimo nonagesimo nono moritur, & in celeberrimâ Fratrum Diui Francisci Ecclesiâ, quæ in Capitolio ad Aram cœli dicitur, cum titulo Episcopi Plocensis sepelitur.

Iacobus I. Episcopus Plocensis XXXVI.

VIdit summus Ecclesiæ Romanæ Pastor Bonifacius Nonus, arduum & difficile esse, Polonis iam veteri abstersâ ignorantiâ, eruditione ac pietate florentibus, dare Episcopum qui in Vrbe natus, & linguam Polonicam nesciret, & à moribus eorum, quibus præfuturus esset vitæ ratione discreparet, solas denique adepto Episcopatu quæsiturus opes existimaretur. Idem tamen, vt ius quoque supremæ Sedis, in dandis Episcopis tueretur, neque se vel à Principum voluntate, vel à Capituli postulatione tantoperè dependere ostenderet, Iacobum genere nobilem, patre Floriano milite de Kordwanowo, & matre Catharinâ, familiâ eâ quæ Sirocomla appellatur natum, Decretorum Doctorem, ac Palatij Apostolici Auditorem, summaque cum laude hoc munus obeuntem, Episcopum Plocensem à se renunciatum consecrauit. Talem ab Vrbe missum, nobilem & eruditum virum Episcopum, non licuit, nec decuit, vt vel Prælati & Canonici Plocenses, vel Duces ipsi Masouiæ acceptare renuerent. Duces quidem aliquantulùm hæsisse feruntur, sed cùm Iacobus & personæ dignitatem secum ferret, & Apostolicis mandatis ac etiam censuris in omnem euentum munitus esset, facilè ea omnia, quæ ad consequendam Episcopatus possessionem ei obstare poterant, vicit & submouit; virtus enim eius supra inuidiam erat, & ad cuius conspectum ambitio comparere non audebat. Diuinitùs eum, & olim destinatum & tunc lectum, qui Sedi Plocensi præesset, existimare conuenit. Scribit Dlugossus hunc Iacobum primis rudimentis doctrinæ imbutum vtcumque, tandem primâ quâ licebat ætate Sacerdotem ordinatum fuisse Parochũ Albæ Ecclesiæ prope Cracouiam, in eo itinere quò versus Ilkusium itur: qui

qui cùm videret se minùs esse idoneum ad exercendam curam animarum, quòd scientiâ huic rei necessariâ destitueretur, vehementi accensum fuisse eruditionis sibi comparandæ desiderio; sed quid faceret, paternæ opes si quæ erant, quas tamen exiguas fuisse putandum est, alijs cesserant fratribus, census sacerdotij vix ad quotidianum victum sufficiebat. Igitur cùm humana deessent subsidia, ad diuina confugiendum sibi putauit; nam quotidianis sacrificijs & frequentibus precibus, Deum & sanctissimam eius Genitricem instanter obsecrabat, vt sibi & votis suis annuere dignaretur. Hoc dum sedulò agit, pristinamque pietatem nouâ pietate cumulat, accidit vt die quodam, templum suum parochiale mediâ die solus orationis causâ ingrederetur, ac feruentissimè animam suam coram Domino effunderet, ecce subitò conspicatur in altari maiori, iacere marsupium pecuniâ plenũ, agnoscit Diuinum & de cælo sibi missum subsidium: reserato sacculo, centum marcas argenti in grossis latis Pragensibus eo contineri reperit. Summa hæc grandis erat illo tempore, & nunc si ad præsentem monetæ æstimationem reducatur, ducentos circiter aureos efficeret. Lætus eo subsidio Iacobus, Deo imprimis gratijs actis, iuri Parochiæ renunciat, itineri se accingit, ac ad celeberrimam Academiam Bononiensem studijs operam nauaturus properat. Iam propè ad annum trigesimum ætatis accesserat, sed tanta erat ingenij bonitas & præstantia, vt quidquid illi ad discendum proponeretur facilè comprehenderet, ita vt viris in illâ Academiâ doctis, & eruditione præstantibus, mox & admirationi esset, & amorem illorum sibi conciliatum haberet. Non multi anni erant illi impendendi, vt eruditionis propè diuinitùs partæ testimonium consequeretur. Doctor sacrorum Canonum, facto priùs scientiæ periculo & præmisso rigidiori examine renunciandus, talis in consessu totius Academiæ comparuit, vt is honos illi etiam non petenti omnium iudicio & suffragio delatus esset. Neque sanè tanti viri eruditio Academiæ Bononiensis septis contineri potuit: nam simul atque fama eius ad Vrbem venit, accitur ille eò & Palatij Apostolici Auditor renunciatur. In eâ dignitate cùm omnibus virtutibus fulgeret, eo vt diximus modo, voluntate summi Pontificis, ad Episcopatum Plocensem promotus est, patriamque tandem, quam quasi mundo ignotus reliquerat, primariâ dignitate ornatus reuisit. Susceptum autem munus, ita statim primo suo ingressu gerere cœpit, vt omnium animos oculosque in se converteret. Ipsi quoque Masouiæ Duces, qui aliquantisper honorem ipsius morari videbantur, cognitâ ipsius virtute magnoperè dolebant se illius felicitati, vel potiùs pietati, vel minimum obstaculum posuisse. Prælati verò & Canonici Plocenses, non vt Episcopum, sed veluti patrem eum venerati sunt. Et ne plura in medium afferamus, viginti & nouem annis ita gessit Episcopatum Iacobus, vt omnibus numeris absoluti Pastoris, Episcopi & Senatoris specimen exhiberet; plebis suæ curæ commissæ, non minùs verbo quàm opere Magister, & ad præclaras quasuis actio-

actiones pietatis causâ suscipiendas dux & auctor. Huius viri operâ & liberalitate aucta auro & argento Ecclesia Plocensis, non multùm cessisset splendore cuiuis alteri in Poloniâ Cathedræ, si eâ curâ à successoribus conseruatus fuisset, quantâ sedulitate eum Iacobus comparauerat; nam inprimis ex auro puro, iustæ staturæ imagines IESV Christi Domini nostri & Saluatoris, & duodecim eius Apostolorum fusas, thesauro Ecclesiæ Plocensis intulit; item imagines septuaginta duorum Discipulorum, ex puro quoque argento fabrefactas sumptu suo comparatas Ecclesiæ Plocensi donauit, eandemque aliâ quoque Ecclesiasticâ aureâ & argenteâ supellectili munificè auxit & locupletauit. Superiorum temporum Episcopi Plocenses passi erant decimam manipularem, pecuniariâ eaque vili æstimatione quorundam priuatorum cupiditate interuerti: id sibi nec Ecclesiæ suæ ferendum arbitratus Iacobus Episcopus, nonnullis Baronibus & militibus Masouiæ litem mouit, eamque vt erat iuris peritissimus facilè in iudicio euicit. Inuidiam illi ea res peperit & odium, nam homines illi qui in iudicio succubuerant, quasi iniuriam accepissent, minas & terrores Episcopo rem Ecclesiæ agenti intentarunt, ita vt ille periculo suo motus, aliquantisper ab Ecclesiâ abesse cogeretur, non vt periculum effugeret, sed ne præsentiâ suâ occasionem bonis Ecclesiasticis iniuriam inferendi præberet. Quare ita se furori iratorum subduxit, vt interim in Dobrinensi territorio maneret, & nonnulla prædia pro Ecclesiâ in Culmensi ditione acquireret. Reuersus deinde Plociam, cùm tot annis, vt diximus, summâ cum laude illi præfuisset, domumque suam quæ non cognatorum grege, sed sponsæ suæ familiaribus constabat, disposuisset, plenus dierum bonorumque operum in Curiâ Episcopali Plocensi, die vigesimo septimo mensis Maij, quæ in diem Dominicum inciderat, Anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimo quinto obdormiuit in Domino.

Obijt anno 1425. Iacobus I. in ordine 36. Episcopus Plocensis.

Stanislaus II. dictus Pierzchala Pavvlovvski, Episcopus Plocensis XXXVII.

OMnium rerum esse quandam vicissitudinem, rectè dixit Comicus. Vidimus proximè piam in ornandâ auro & argento Ecclesiâ Plocensi Iacobi Episcopi curam & solicitudinem, visuri mox sumus tantum thesaurum in longè alios, quàm auctor voluit, vsus conuersum. Hæc electio quæ mortem Iacobi subsecuta est, in ipsum diem festum natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ, qui dies quoque Dominicus erat inciderat: studia Principum qui tum summæ rei in Masouiâ præerant, distracta in varias sententias, non multum spei dabant boni in electione illâ successus, & quod mireris, alium Semouitus senior Dux Masouiæ, pater, alium filij ipsius Semouitus, Vladislaus & Casimirus promouebant, vt inter patrem & filios ambitione quadam acriter certaretur. Patri quidem in votis erat,

vt Stanislaum Pawlowski Archidiaconum Plocensem de Gnatowice Cancellarium suum ad dignitatem Episcopalem eueheret; filij Cristinum Nieborowski, Canonicum Plocensem genere nobilem, de domo Prauditarum, promouendum susceperant. Nec minor erat inter ipsosmet Prælatos & Canonicos dissensus, plures Cristino fauebant, pauciores senioris Principis voluntati obsecuti, Stanislaum elegerunt, & Cristinus non diu certandum sibi presidio filiorum contra patrem existimauit, sed Viscouiensi prædio contentus iuri electione parto cessit. Itaque Stanislaus fauore Principis Episcopus Plocensis renunciatus, à Martino V. summo Pontifice, Anno Christi 1425. die decimâ octauâ mensis Decembris confirmatus, atque mandato ipsius ab Alberto Archiepiscopo Gnesnensi consecratus est. Fremebant iuniores Duces, inuitis illis dari talem Episcopum, qui ipsis vehementer displiceret. Namque ingenio vafer, callidus, facetus, & loquax, audax & profusus opum habebatur, dicacitateque suâ & intempestiuis facetijs, quorum memoria in animis Principum hærere solet, præcipuos quosque læserat, sed maximè filios Ducis, qui viuente quidem patre, mussitando tantùm suas erga illum exercebant offensas, illo verò anno millesimo quadringentesimo vigesimo sexto vitâ functo, quod diu mente coquebant odium, luctus diebus expletis in Episcopum effuderunt. Erat Stanislaus nobili genere natus, eâ familiâ quæ Rochum pro insigni defert: pater ipsius villæ Gnatowice dominus Mroczko nomine, Subiudex Sochaczouiensis, mater item nobilis Anna, honesti inprimis & ingenui habebantur. Sed Semouitus, Vladislaus, & Casimirus Masouiæ Duces, sorore germanâ Vladislai Iagellonis nati, nescio quâ ex causâ viuente adhuc patre suspicati fuerunt, quasi per eundem Stanislaum Masouiæ adhuc Cancellarium, in crimen læsæ Regiæ Maiestatis vocati, & ad Vladislaum Principem Auunculum suum delati fuissent. Fictanè hæc fuerit à Stanislao criminatio, & vtrùm ad Regem Vladislaum delata, & quo auctore publicata incompertum est. Cromerus quidem hanc fabulam ita soluit, cùm de Regis ad Comitia Lenciciensia profectione historiam texit: Ad ea, inquit, Comitia Rex per Masouiam proficiscens, Zemouitum seniorem Ducem in gratiam recepit, cùm is ipsi primùm per filios, deinde per se ipse satisfecisset, de eo quòd insimulatus erat, quasi in potestate Regis esse nollet, cui quidem suspicioni Stanislaus Pawlouius Archidiaconus Plocensis occasionem dederat, cùm is fortè anno superiori in Synodo Lenciciensi, in quâ de viginti millibus florenorum Regi Pontificis Maximi iussu ab ordine Ecclesiastico conferendis frustrà actum est, negasset mandatum illud Pontificium ad Plocensem Diœcesim pertinere, quòd in eâ ac in totâ Masouiâ Rex nihil prorsus iurisdictionis haberet. Atque id de sententiâ Ducis, cuius erat Cancellarius, & cuius auctoritate non multò pòst Iacobo Episcopo mortuo Plocensis Episcopus designatus erat, dixisse videbatur. Hæc Cromerus. Sed nos Dlugossum auctorem hæc eadem describentem

sequi

ſequi malumus, qui vt diximus, hunc ipſum Staniſlaum Anno 1425. ad Epiſcopatum promotum fuiſſe aſſerit, motamque illi auctoribus Ducibus Maſouiæ Semouiti filijs, ſtatim à morte patris litem docet; multa erant quæ Staniſlao Epiſcopo obijciebantur, & inprimis quaſi ille finxiſſet, & crimen ingens Ducibus iunioribus Maſouiæ impoſuiſſet, quòd illi conſpiraſſent in mortem Vladiſlai auunculi ſui, quòd ſtatum ipſius Regium loco mouere & peſſundare deſtinaſſent, quòd fœdera ſcriptis concepta cum Magiſtro Paulo de Rusdorf Ordinis Cruciferorum Pruſſienſium, in perniciem Regis ſanxiſſent. Cuius rei originalia & authentica inſtrumenta, quaſi Staniſlaus dum adhuc eſſet Cancellarius Maſouiæ, à ſe conficta & falſa Regi Vladiſlao tradidiſſet, exindeq; iram Regis Auunculi ſui in perniciem nepotum exacuiſſet: quamobrem his contra eum obiectis, non expectato iudicij tempore, Principes Maſouiæ poſſeſſione Epiſcopatus eum exturbant. Illuſtre eo tempore erat nomen Principum Maſouiæ; ſorore Regis Poloniæ Vladiſlai erant nati; ſoror verò ipſorum Cimbarka (ex quâ auguſtæ totius domus Auſtriacæ familia, quæ his etiam diebus magnitudine opum & virium cæteris præſtat, deducta eſt) nupſerat Erneſto Archiduci Auſtrię, cuius filius Fridericus, tertius poſteà eius nominis Imperator, multùm apud ſummos Pontifices auctoritate poterat, ita vt Auunculum ſuum Alexandrum, ſupradictorum Ducum fratrem, ad Epiſcopatum Tridentinum & dignitatem Cardinalitiam promouerit. Quare graue erat certamen Staniſlao Epiſcopo Plocenſi, contra Principes tot fauoribus nitentes, & ipſi acerrimè infeſtis, multiſque alijs accuſationibus inchoatam contra eum litem cumulantibus; quę vt meliùs ſuccederent, proferebant in medium Principes inſtrumentum quoddam publicum, manu Magiſtri de Sobniewo, Præpoſiti Tridentini ſubſcriptum, quo continebatur Staniſlaum Pawlowski, Martinum Papam V. de incontinentiâ diffamaſſe, & eum notorium concubinarium appellaſſe. Non magnoperè quidem Pontificem innocentiæ ſuæ conſcium, videbatur ea res commouere; nam ne iudex ſuæ cauſæ eſſet, totum negotium iuſto examine, & inducendis teſtibus in vtramque partem probandum, demandauit Magiſtro Staniſlao de Skarbimiria Canonico Cracouienſi, eoque tempore eadem in Vniuerſitate iuris Canonici Profeſſori celebri & famoſo. Is tanquam ſummi Pontificis delegatus, iudicij formâ propoſitâ, vocatiſque partibus, ita munus ſuum executus eſt, vt milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octauo anno, inchoatò iam iudicio, nullam diem quâ ius dici poſſet prætermiſerit: vocati & admiſſi teſtes, acceptaque ab eis iuratâ fide examinati, idque non viles perſonæ, ſed nobiles. Nempe tanto ſtudio Dux Maſouiæ Semouitus iunior, ad euertendum Epiſcopum Plocenſem, eumque Epiſcopatu ſpoliandum incubuerat, vt dum hæc cauſa Cracouiæ tractaretur, nullam diem prætermiſerit, quin iudicio præſens adeſſet. Viciſſim quoque Staniſlaus Epiſcopus, ſibi cauſæque ſuæ non deerat, negotiumque ſuum per ſe exequebatur.

quebatur. Summa autem literarum de quibus ſuprà attigimus, & quas Principes Maſouiæ ab Epiſcopo confictas fuiſſe aſſerebant, hæc fuit in formam libelli redacta. Inprimis aiebant Duces, Staniſlaum dum adhuc Maſouiæ Cancellarius eſſet, finxiſſe has ipſas literas, & propriâ manu confeciſſe, & ijs characteribus ac ſigillis conficta ſignaſſe, quaſi ea eorundem Ducum fuiſſent, cùm de ijs nunquam illi cogitaſſent. Ficti autem inſtrumenti hæc fuit narratio, quaſi præfati Duces Semouitus, Vladiſlaus, & Caſimirus, præſentibus Saſſino Plocenſi, Stephano Goſtinenſi Caſtellanis, ſe Sigiſmundo Vngarorum & Bohemiæ Regi, Vladiſlai Regis Poloniæ hoſti, ad præſtandum Homagium obligaſſent, & ſocietatem belli contra Vladiſlaum Regem Auunculum ſuum, promiſſis Imperatori proprij militis ſuo ſumptu conducti trecentis haſtatis ſanxiſſent, in gratiamque Cruciferorum octingentos itidem haſtatos ſumptu & ære proprio in perniciem Vladiſlai Regis Poloniæ, ſe ſemper in promptu habituros ſpopondiſſent, ita vt coniunctis viribus profligato & exterminato Vladiſlao Rege Poloniæ, totius Regni inter Cruciferos & Duces Maſouiæ partitio fieret, adnotatis etiam Prouincijs & regionibus, quæ Cruciferis, quæ Ducibus ipſis quaſi iam partâ victoriâ ceſſuræ eſſent. Crediderunt eâ tempeſtate multi, eò leuitatis prolapſos fuiſſe Duces iuuenes viuente adhuc patre, vt hæ literæ, & hæ conſpirationes, ab ijs verè fierent, cùm tamen in publicum prodijſſent, crimen ingens perfidiæ contra Auunculum ſuum ſuſceptum, fictis in Epiſcopum calumnijs deriuare voluiſſe. Sed quamuis, vt diximus, tanto conatu, & tot confictis criminibus Duces Maſouiæ, & potiſſimùm Semouitus ad infamandum quaſi falſi criminis reum, & Epiſcopatu priuandum niterentur, formato tamen hic in Poloniâ, per eos quibus id negotium à ſummo Pontifice demandatum fuit legitimo iuris proceſſu, ac teſtibus pro vtraque parte inductis & examinatis, totum negotium, vt erat in ſcripturam redactum, ad Vrbem accuratiùs examinandum fuit remiſſum. Non veritus eſt Staniſlaus Epiſcopus Plocenſis, vel Romanæ Curiæ, vel ipſiuſmet Pontificis acre & ſeuerum iudicium; vbi quamuis Duces Maſouiæ magnorum Principum, cum quibus ſanguinis iura illis intercedebant ſuffragijs & interceſſionibus iuuarentur, vicit tamen omnes illorum conatus Epiſcopi innocentia, quâ luculenter probatâ, omni obiectorum criminum culpâ decreto Curiæ Romanæ immunis pronunciatus eſt. Cęterùm Epiſcopum omni noxâ ſolutum, tanto nihilominùs odio, tota Ducum Maſouiæ familia proſecuta eſt, vt Alexander Dux Maſouiæ Epiſcopus Tridentinus & Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, redeunti domũ Epiſcopo in itinere inſidias ſtruxerit, ac per Fridericum Auſtriæ Ducem, ſorore ſuâ germanâ Cimbarka genitum, qui poſteà ſub nomine Friderici tertij imperium Romanũ diutiſſimè rexit, vel potiùs per milites ipſius, in Oppido Friſtato ceperit, & in moleſtum ſatis carcerem coniecerit, & fortaſſe deteriùs quoque ibi tractatus fuiſſet, niſi aſtu & conſilio ſe in liberta-

bertatem asseruisset, nam dum in carcere à ciuibus oppidi illius custoditur, illis largiùs mero delibutis, & custodiam remittentibus, Episcopus qui fictâ ægritudine in lecto decumbebat, vno è suis familiaribus ibi collocato, mutato habitu & vestibus, oppido egressus, ac equos quos pro se & cætero comitatu prope oppidum expectare clàm ordinauerat nactus, celeri cursu in Poloniam effugit. Vbi instante Vladislao Poloniæ Rege, Ducibus qui tot iam iniurijs Episcopo illatis satiati erant, reconciliatus est, ita vt deinceps Episcopatum Plocensem, cuius prædia & possessiones nunquam illi interceptæ fuerant, pacificè possideret. Verumtamen illum fuisse litium amantem, & lites libenter exercentem, vel ex eo apparet, quòd rebus etiam cum Ducibus compositis quieti indulgere non potuerit, pluresque simul lite nonnumquàm temerè motâ lacessierit, quorum odio grauatus, omni domesticâ, & quod grauiùs detestandum est, sacrâ etiam Ecclesiasticâ supellectili absumptâ, ac illis tam pretiosis Iesu Christi ac duodecim Apostolorum aureis, & septuaginta duorum Discipulorum argenteis statuis conflatis decoctis, egens ac omnium rerum indigus, aduersaque squinantiæ valetudine pressus, relictâ Plociâ Torunium migrare coactus fuerit, vbi in Monasterio Sancti Nicolai, quod Prædicatorum Ordinis Diui Dominici est, relictus & desertus ab omnibus, die vigesimâ nonâ Aprilis, millesimo quadringentesimo trigesimo nono obijt. Et nisi illius Ordinis Monachorum charitate & curâ corpus ipsius decenter terræ mandatum fuisset, vix plebeiam etiam sepulturam habuisset.

Stanislai Pavvlovvski Episcopi Plocensis in ordine 37. obitus anno 1439.

Paulus Gizicki Episcopus Plocensis XXXVIII.

FAusto & felici omine Paulum Gizicium non solùm Plocię, sed & vniuersæ Masouiæ Episcopum fata dedêre. Nobili & honesto inprimis loco is natus est, eâ familiâ quæ Gozdauam pro insigni gerit: pater ipsius fuit Venceslaus Gizicki Iudex terræ Sochaczouiensis & villæ Gizice dominus, mater Elizabeta; à parentibus accuratiori studio educatus, postea quàm ex ephebis excessisset, ac in patriâ primis literarum rudimentis excultus esset, Pragam, vbi eo tempore studia vigebant, exactioris scientiæ capessendæ causâ se contulit: deinde maturior ætate Sacris initiatus, duo nobilissima Sacerdotia, Cracouiensem nempe & Plocensem Scholasteriam nactus, & maioribus admotus negotijs, conceptæ de suâ virtute multorum magnorum virorum opinioni præclarè respondit. Quamobrem Stanislao Episcopo vitâ functo, omnium oculi & animi in Paulum versi, eum priuatis etiam desiderijs Episcopum designabant: cumque electionem per compromissum Prælatis & Canonicis expediri placuisset, Paulus inter tres compromissarios vnus, à duobus, nimirum Ioanne Pelka de Niewiess Decano Vladislauiensi, & Magistro Paulo de Grabczewo Canonicis Plocensibus, die tertiâ Mensis Februarij electus est

eſt, tantâ omnium Prælatorum & Canonicorum Plocenſium comprobatione & applauſu, vt nemo fuerit, qui non ei hunc honorem gratularetur. Duces quoque Maſouiæ Vladiſlaus & Boleſlaus, propenſum ſuum erga illum animum declararunt, electionemque ipſius ratam hâbuerunt. Detulit Paulus Epiſcopus hanc electionem ſuam ad Eugenium Quartum Summum Pontificem, eandemque ab eo confirmari petijt, qui datis duodecimo Calendas Septembris literis eundem Epiſcopum Plocenſem auctoritate Apoſtolicâ renunciauit. Cæterùm Paulus veritus, ne dicta Pontificis Eugenij electionis ſuę confirmatio in dubium vocaretur, quod illi alter, Felix nimirum dictus quintus auctoritate Concilij oppoſitus eſſet, à Vincentio Archiepiſcopo Gneſnenſi eandem approbari voluit; à quo etiam Archiepiſcopo, præſente Vladiſlao tertio Iagellonide, qui poſteà Rex quoque Vngariæ cùm eſſet, à Turcis ad Varnam cæſus glorioſè occubuit, die vigeſimâ ſeptimâ Decembris, quæ in diem Dominicum inciderat, Cracouiæ in Eccleſiâ Cathedrali ſacris initiatus, & Epiſcopus conſecratus eſt. Magnanimus inprimis & liberalis habitus eſt, & tantæ auctoritatis, vt Vladiſlaus Maſouiæ Dux, maximè idoneum eum exiſtimauerit, qui ſe vitâ functo Semouiti & Vladiſlai filiorum ſuorum impuberum tutelam gereret, & quoad illi adoleſcerent ſummę in vniuerſo Ducatu rei præeſſet. Geſſit ille hoc munus vniuerſis Maſouijs libenter illi parentibus, ſummâ cum laude, iudiciorum formâ veteri immutatâ, ita vt nemo iudicijs grauari poſſet, præſcripſit: ſportulas denique iudiciales & impenſas partim ſuſtulit, partim verò ita imminuit, ne eæ iudicio contendentibus graues eſſent, cumque ijdem Duces quos in tutelâ ſuâ Paulus Epiſcopus habuerat, fraude & veneno Gotardi Ribenij Caſtellani Sochaczouienſis gente Radwanij, extincti eſſent; ac Caſimirus tertius Rex Poloniæ Ducatum Maſouiæ ſibi vendicaret, obſtitit ipſius conatibus Paulus Epiſcopus quantum potuit, ac iura Maſouiæ tutatus eſt, ita vt ad Comitia Petricouienſia, quò maiori auctoritate & ſecuritate cauſam Maſouiorum contra Regiam potentiam ſuſtinere poſſet, octingentis ſtipatus equitibus venerit, non vi tamen, ſed iure eâ causâ deciſâ, & Rex fauore magis iudicum quàm cauſæ æquitate hęreditatem ditionum quas pręfati Duces tenuerunt adeptus eſt. Non ſolùm autem in tuendis iuribus politicis Gizicius enitere voluit, ſed multò magis ad illuſtrandam Eccleſiam Cathedralem Plocenſem, & ad adſciſcendos hos, qui in adminiſtranda curâ Paſtorali ſibi pręſtò eſſent, ita animum adiecit, vt magnam redituum Epiſcopalium partem, ad fundandam & dotandam Eccleſiam Pultouienſem, quæ olim erat Parochialis, impenderit; & erectâ eadem Eccleſiâ in titulum Collegiatæ, nobiliſſimam dotem illi aſſignarit. Quo autem fine ille id fecerit, quibus ſubſidijs Epiſcopum Plocenſem in poſterùm niti voluerit, quid Prælati & Canonici Pultouienſes in patrimonio Eccleſiæ Plocenſis fundati eidem Eccleſiæ & Epiſcopo Plocenſi debeant, luculenter in priuilegio Nicolai V. ſummi Pontificis, fundatio-

 nis

nis Gizicianæ confirmatorio continetur, quod quidem & vſu tam longi temporis comprobatum, & iuri Canonico conſonum temere à Prælatis & Canonicis Pultouienſibus impugnari, ordinario iuris proceſſu eſſet declarandum; quo etiam Deceſſores noſtri, redigendis, & ad officium Prælatis & Canonicis Pultouienſibus reuocandis hactenùs vſi ſunt Idem Paulus Epiſcopus vt tantò illuſtriorem fundationem Eccleſiæ ſuæ Pultouienſis redderet, Eccleſiam Parochialem Pultouienſem è latere cocto magnificè extruxit. Et ne ſuorum oblitus videri poſſet, in villâ quoque paternâ Gizicze, & Templum & Curiam cocto item latere à fundamentis extruxit. Virum magnum & eximium illum fuiſſe præclaræ actiones declarant, vt meritò Maſouia illum, & nomen ipſius gratâ recordatione venerari debeat: quæ de eo Dlugoſſus ſcribit paucis eiuſdem verbis addam, Fuit, inquit ille, Paulus Epiſcopus in cõſanguineos laſciuus (ita ille ſignat eum qui multum de bonis Eccleſiæ familię ſuæ largitur) in ſingulis actionibus, & in quaſlibet perſonas faſtidioſus, facilis in bilem, iuſtæ ſtaturæ, capillos habens criſpos & cæruleos, qui multis dum prouectiorem ætatem ageret, & iuuenilem facie monſtraret admirationi eſſet, tenuis & paruæ ſcientiæ, quamuis ingenium apud ſtudium Pragenſe excoluiſſet. Hactenùs Dlugoſſus. Sed Gizicius cùm tribus & viginti annis Sedem Plocenſem tenuiſſet, die vigeſimâ ſeptimâ menſis Ianuarij, milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio, ritè ſacris procuratus Pultouiæ obijt, diuturnâ ſcabie vexatus, eaque ad extremum extinctus, vt in Eccleſiâ Pultouienſi ſepeliretur, ſupremis tabulis mandauerat. Is cùm adhuc viueret, mutuo Vladiſlauienſis accedente conſenſu, terminos quibus vterque Epiſcopatus & iuriſdictio vtriuſque contineretur, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto pepigit, vt de ſubditis fugitiuis cum Culmenſi Epiſcopo vel repetendis vel reddendis certam formulam conſtituit.

Pauli Gizicki Epiſcopi Plocenſ. in ordine 38. obitus Anno 1544.

Stiborius II. Epiſcopus Plocenſis XXXIX.

VOluerat Caſimirus tertius Poloniæ Rex, pulſo per vim Iacobo Sienienio ex Epiſcopatu Cracouienſi, quem ille beneficio Sedis Apoſtolicæ obtinuerat, lenire dolorem ipſius ſuâ ad Epiſcopatum Plocenſem promotione. Quamobrem etſi tunc in Lithuaniâ moraretur, tamen ſimul atque intellexit Paulum Gizicium vitâ exceſſiſſe, miſit Martinum Wrocinski militem, & Iacobum Handa Notarium, quos ad diem electioni præfixam, magnis itineribus decurrere iuſſit, qui ſuo nomine Iacobum de Sienno eligi curarent. Sed Prælati & Canonici Plocenſes, nihil his Regis mandatis moti, electionem ritè inſtitutam ita quoque peregerunt, vt Stiborij de Goſcianczice Canonici Plocenſis, perſpectâ virtute & induſtriâ eum per compromiſſum Epiſcopum renunciarint. Is anteà Pauli Gizicij Secretarius fuerat, multumque illi in omnibus actionibus & conſilijs ſuſpiciendis Gizicius tribuebat, ita vt ab eius arbitrio pende-

re

re videretur; ad extremum tamen cùm iam Gizicius prouectiori esset ætate ac morti proximus, ita Stiborius apud senem odium sui mouerat, vt ampliùs simul esse non possent. Erat Stiborius satis competenter in literis versatus, & eruditus, genere nobili, ex familiâ Prussorum, patre Ioanne Dapifero Cernensi, matre Catharinâ natus, omni genere virtutum excultus, sola erat bilis quâ interdum plus quàm decebat, exardescebat. Obstabat Casimirus Rex electioni & promotioni Stiborij, & Iacobo de Sienno Episcopatum Plocensem aspernante, Petrum de Pniewo Canonicum Plocensem & Gnesnensem ac Cantorem Posnaniensem, nobilem de domo Nalæcz, nominatione suâ, cuius tunc prima & recentia initia in Poloniâ erant Summo Pontifici Pio secundo, missis ad eum Ioanne de Ostrorog milite, & Nicolao de Goslub, Decretorum Doctore promouendum suscepit. Idem tamen veluti ludificans Regem Poloniæ, quamuis plumbatis diplomatibus, ne Stiborius vel electionis vel confirmationis ius vrgere auderet, seuerè serioque prohibuisset, tamen Friderico Romanorum Imperatore, qui Ducibus Masouiæ consanguineis suis impensè fauebat auctore, noua eaque contraria dedit mandata, quibus Stiborio facultas dabatur, vt ille vel ab vno Episcopo secretò consecraretur. Nempe graue iam dudum odium in Casimirum Regem Pius Secũdus Pontifex Maximus conceperat, ob eam causam, quòd ab eo ne possessionem Episcopatus Varmiensis, quem ardenter concupierat, adiret, impeditus & exclusus fuerat, in tantumque illa offensio excreuerat, vt in historiâ quam de Bohemis scripsit, temperare sibi non potuerit, quin Polonicum nomen omnibus probris notauerit. Sed Stiborius Pontificiâ fretus auctoritate, nequicquàm minas Casimiri Regis veritus, clam vocato ad se Nicolao Episcopo Lacedæmoniensi ex ordine Diui Francisci, qui cum Titulo Episcopi in partibus infidelium Suffraganeum Episcopi Plocensis gerebat, nemine altero accito Episcopo, in Ecclesiâ Collegiatâ Pultouiensi, ex indulgentiâ Romani Pontificis consecrari se curauit. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, omnium quidem prædiorum & hæreditatum, quę in Masouiâ & iurisdictione Ducum Masouiæ erant, possessionem adijt, sed quæ erant in Dobrinensi & Sendomiriensi Terris, eas Casimirus Rex interceperat, quas posteà vbi Episcopus ei reconciliatus fuit, pleno iure illi reddidit. Præfuit Ecclesię Plocensi Stiborius annis septem, totidemque mensibus, moritur Pultouiæ quartâ die Maij, Anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, ac in Choro Ecclesiæ Cathedralis Plocensis sepelitur.

Stiborij II. Episcopi Plocensis in ordine 39. obitus Anno 1471.

Casimirus I. Dux Masouiæ, Episcopus Plocensis XL.

LIbertatis & iurium tuendorum studium, quo Prælati & Canonici Plocenses post obitum Stiborij Episcopi exarserant tantum fuit, vt cùm liberis suffragijs ad electionem Episcopi descenderent,

obliti eſſe viderentur in cuius ditione agerent viuerentque. Nam cùm Duces Maſouiæ in ſpem Epiſcopatus Plocenſis, Caſimirum Boleſlai Varſauienſis Ducis filium, ætatis adhuc tenerioris, Sacris initiari & Subdiaconatus ordine adſtringi curaſſent, neminem deinceps ſi quando Plocenſis Eccleſia vacaret, ad eius regimen erant admiſſuri, minimè tamen eo territi cùm quatuor & viginti conclaue electionis die decimâ Iunij ingreſſi eſſent, duodecim ex illis Stiborium Pielſcium ſtemmatis Przerowa Archidiaconum, ſex Caſimirum Boleſlai Varſauienſis Ducis filium Canonicum, ſex item Andream Oporouium Iuriſconſultum ipſumque Canonicum Plocenſem & Gneſnenſem Archidiaconum, nobilem de domo Sulima, quem Caſimirus Poloniæ Rex, & literis, & nominatione ſiue deſignatione ſuâ, & nuncio Nicolao Chrzaſtowski Vexillifero Cracou. impenſiùs promoueri deſiderabat, Epiſcopum dicebant. Potior iure ac à maiori parte Capituli electus erat Stiborius; ſed cùm videret cum Ducibus Maſouiæ, qui Friderici Romanorum Imperatoris conſanguinei ſui auctoritate & promotione, quę tum in Curiâ Romanâ plurimum poterat, nitebantur, certamen ſibi acre & difficile ſubeundum fore, facilè ſibi perſuaderi paſſus eſt, vt ius ſuum omne in Caſimirum Ducem transfunderet. Cæterùm Caſimirus Rex ſuſceptam ſemel Andreæ Oporouij etiamſi à paucis electi promotionem, vt ius nominandorum Epiſcoporum nuper à ſe vſurpatum ſtabiliret, conſtanter ſe vrſurum declarauit: hinc cùm miſſi ad eum à Caſimiro electo Legati Cracouiam veniſſent, ſupplicesque nomine Caſimiri, ne honori & dignitati nepotis & conſanguinei ſui obſtaret, & vt aſſenſum eius electioni præberet, precarentur; reſpondit ſe quidem conſanguineo ſuo benè velle, ſed vt nondum adultum, nec per ætatem Epiſcopalis dignitatis capacem promoueat, ſacrorum Canonum præſcripto ſe prohiberi; denique non eſſe nec fore ex dignitate Regiâ, ſi poſteaquàm Andream Oporouium, virum eruditum, & optimè de ſe meritum, ad eum Epiſcopatum promouendum ſuſcepiſſet, mutatâ, quod minimè Regem deceret, voluntate, alteri ſtudium auctoritatemque ſuam deferret. Sic itaque duobus inter ſe contendentibus, res ad Sixtum IV. Pontificem Maximum eius auctoritate definienda delata eſt: ibi cùm Fridericus Imperator Caſimirum Ducem Maſouiæ, Caſimirus autē Rex Poloniæ Andream Oporouium promouendos à ſummo Pontifice peterent, Pontifex vt Imperatori potiùs quàm Regi gratificaretur, Caſimirū decem & octo annos natum Epiſcopum Plocenſem renunciauit; Oporouio verò vt Regis quoque deſiderio aliquâ ex parte ſatisfaceret, Varmienſem Epiſcopatum, remoto, & in Camenenſem trāſlato Nicolao Tūgeno, attribuit. Hoc ſanè verius crediderim valuiſſe in hac promotione fauorē Imperatorium, quàm quod Dlugoſſus refert, Sixtum Pōtificem promiſſis nomine Ducum Maſouiæ ſex millibus aureorum, negotium hoc Nicolao Mniſzewski Canonico Plocenſi in Vrbe agente illectum, ſecundùm Caſimirum pronunciaſſe. Conſtat quidem Caſimirum,

rum, literis tantùm capiendæ possessionis causâ à summo Pontifice obtentis, ius omne Episcopale inuasisse, ac non nisi quadriennio exacto, ad sacra diplomata expedienda, Romam Matthiam de Sluzewiecz Decretorum Doctorem Archidiaconum Pultouiensem misisse, veritum fortasse ne si citiùs hoc negotium in Vrbe vrsisset, recens memoria promissi pacti, eum ad soluendam sex millium aureorum summam stringeret. Omnia nihilominùs in Vrbe obtinuit nuncius Casimiri Sluzeuius; nam & pœnis Canonicis, quibus ob vsurpatum Episcopatum tenebatur solutus est, & vt viginti duos annos natus Episcopus consecrari posset, ætatis nondum maturæ veniam à Pontifice impetrauit, accitoque ad se Andreâ Episcopo Posnaniensi, posteaquàm Sluzeuius ab Vrbe sacra ferens diplomata rediisset, ab eodem in Ecclesiâ Collegiatâ Pultouiensi Episcopus est consecratus. Non eius erat animi & ingenij Casimirus, vt ex illustri & vetustâ Regum Poloniæ stirpe ortus, conceptæ de se hominum opinioni respondere posset, homo planè nihili, & ministri cuiusdam obscuræ conditionis arbitrio cuncta gerens: itaque necesse fuit, vt per electum à Capitulo Vicarium, Magistrum Nicolaum de Mierzyniec Decretorum & Legum Doctorem, Canonicum Plocensem, Episcopatus Plocensis gubernaretur: quo tamen Casimirus non recto consilio quasi grauiorem monitorem veritus, amoto, Magistrum Matthiam de Otoczno Canonicum in eius locum subrogarat: quo mox intra paucos dies apoplexiæ morbo extincto, prior Administrator electus, locum quo motus erat obtinuit, Episcopatumque in spiritualibus functionibus, & iurisdictione quoad Casimirus vixit, rexit. Casimirus autem, cùm nouem circiter annis nomine magis quàm re Episcopus Plocensis esset, in prædio Episcopali Iunecensi, die 9. mensis Iunij, anno millesimo quadringentesimo octuagesimo mortuus, & Pultouiæ tertio à morte die ad sacrarium sepultus est. Alterum hunc Episcopum Ducali sanguine ortum habuit Ecclesia Plocensis; vtriusque mores & ambitionem si spectaueris, videbis ambos idem voluisse, non vt Episcopi essent, sed vt bona Episcopalia possiderent, iisque pasti, & sibi perniciem, & Ecclesiæ dedecus accelerarent. *Casimirus I. Dux Masouiæ Episcopus Plocensis mortuus Anno 1480.*

Petrus IV. de Chotkovvo Episcopus Plocensis XLI.

HActenùs alieno cortice nauigauimus, legentes vestigia Ioannis Dlugossi, quę ille antiquitatis acerrimus inuestigator ita trita reliquit, vt ne ij quoque laude carere debeant, qui ea quæ ille scripsit secuti eadem vel correxerunt vel expoliuerunt. Interim cùm Dlugossus vltra scribere intermiserit, nos partim historicâ hinc inde petitâ notitiâ, partim coniecturis certitudini historicæ, vbi illa defuerit, suffragantibus adiuti, cœptũ prosequimur cursum; quamuis in promptu nobis sit archiuum, & acta Plocensis Ecclesiæ, quibus sæpiùs admonebimur, ne in scribendo extra

orbitam manum ponamus. In defuncti Casimiri Ducis Masouiæ locum, Petrus de Chotkowo Medicinæ Doctor subrogatur, plebeiâ quidem stirpe, Villâ Chotkowo, quæ ditione Episcopi Plocensis bonorum Makolinensium continetur, oriundus, sed in tenerâ adhuc ætate quotidianum victum mendicatâ stipe quærens, tãtam animi magnitudinem præsetulit, vt cùm Cracouiæ studiorum causâ versaretur, cuidam Episcopi Cracouiensis coco quærenti, quâ Diœcesi oriundus esset, & ille Plocensi respondisset, cocoque inferente, cessurúsne esset stipe in præsens luculentiori acceptâ spe Episcopatus Plocensis, ingenuè responderit, sibi futuram dignitatem potiorem esse victu, licet eo vita contineatur. Itaque in Academiâ Cracouiensi non exiguâ operâ literis impensâ, mox etiam insignibus Magistri Philosophiæ solenni ritu decoratus, publicè cæteros erudire cœpit; quo tempore inter alios ei operam dabat Andreas Oporouius, qui posteà eximiâ eruditione cùm polleret, Regni Poloniæ Procancellarius, & demum Archiepiscopus Gnesnensis fuit: Bononiam deinde, nempe eâ tempestate omnium Academiarum celebriorem, se contulit, præstantissimorumque Philosophorum & Medicorum vsus contubernio, ac Medicinę Doctor renunciatus, tantam opinionem apud illos eruditos viros sibi conciliauit, vt ad Cathedræ quoque munus, & ad profitendam publicè Philosophiam admissus fuerit. Hac famâ cùm vigeret, Boleslaus Masouiæ Dux, eum ex Italiâ honesto stipendio exciuit, liberisque suis, inter quos Casimirus quoque, qui proximè Episcopatum Plocensem gessit fuerat, Magistrum dedit; deinde perspectâ illius in tractandis præclarè quibusque publicis negotijs dexteritate, Cancellarium Masouiæ creauit, ac Sacerdotijs etiam, videlicet Prępositurâ Sancti Michaëlis ac Canonicatu Plocensi auxit. Istis honoribus & fauoribus conspicuus, facilè vacante Episcopatu Plocensi, omnium animos in se vertit, vt Episcopus Plocensis renunciaretur. Itaque Comitijs electionis, ad diem Sancto Augustino Confessori & Episcopo Sacram, qui vigesimus octauus Mensis Augusti est, ac eo anno millesimo quadringentesimo octuagesimo in feriam secundam inciderat, indictis, Prælati & Canonici Plocenses concordibus sententijs hunc ipsum Petrum Episcopum Plocensem renunciarunt, quem ita electum Duces Masouiæ Boleslaus & Ioannes libenter viderunt, Sixtus Quartus Summus Ecclesiæ Romanæ Præses, datis Sacrarum literarum sub actu feriæ tertiæ post Festum Sanctæ Luciæ rescriptis confirmauit, Andreas Oporowski, cui olim Petrus, vt suprà diximus, per annos vndecim Magister in studijs obtigerat, iam tunc Episcopus Præmysliensis, & nominatus Vladislauiensis, Regni Poloniæ Vice-cancellarius, in paterno suo vico Oporowo, assistentibus sibi Iacobo Margaritensi, & Vincentio Ennensi Episcopis, die Dominico in quem memoria Sancti Ioannis Baptistæ inciderat, infra Octauas Corporis Christi, millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, mandato eiusdem Sixti Quarti Summi Pontificis consecrauit. Hoc suscepto

ſcepto munere, Petrus talentum Euangelicum copiosè diuinâ manu ſibi datum non abſcondit, ſed tanquam bonus nummularius fœcundis auxit vſuris, ipſe ore ſuo ſępiùs verbum Dei prędicans, omnia Epiſcopalia munia ita obiens, vt nullam partem quę ad hoc officium pertinet, intactam reliquerit, bonorum cultor & amator promotorque, eorum verò qui extra terminos vocationis ſuæ prolaberentur, correctoŕ acerrimus, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſeruantiſſimus, eleëmoſynarum largitor, pauperum egenorumque tutor ac defenſor. Hic Pultouiæ ſub nomine Sancti Spiritus Xenodochium, in quo pauperes & infirmi nutrirētur ſtruxit, Capellam item pro Manſionarijs Eccleſiæ Plocenſis Cathedralis, ac domum in quâ Manſionarij à ſe inſtituti manerent, ædificauit, Ioanne Duce Maſouiæ hanc fundationem adiuuante; vtque ijdem Manſionarij Horas in honorem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Aſſumptæ perpetuis temporibus decantarent, ac deuotè abſoluerent conſtituit. Prouentus Capituli Plocenſis datis decimis menſæ Epiſcopalis auxit, idem medietatem villæ Radzanowo, & Wola Radzanowska, commutatione Aduocatiæ in Bogucino pro menſâ Epiſcopali acquiſiuit. Coluerat dum vixit ſingulari veneratione Beatiſſimam Virginem MARIAM, eiuſque opem ſæpiùs ſe expertum fuiſſe gloriabatur, cuius quoque beneficio, vt ſub patrocinio & die ipſius, qui eidem Reginæ cœli in cælum Aſſumptæ ſacer eſt, ex hac mortali vitâ ad cœleſtem tranſiret obtinuit, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, cùm Sedem Eccleſiæ Plocenſis annis ſedecim tenuiſſet.

Petri IV. de Chotkovvo Epiſcopi Plocenſis anno 1497. obitus.

Ioannes IV. Lubranski dictus Pinarius Epiſcopus Plocenſis XLII.

SI quis vnquam queſtus eſt virtuti non patere gradum ad honores, eum in falsâ opinione verſari, exemplo ſuo docebit Ioannes Lubranski Pinarius. Nullos hic iuuenis admodùm ſpirabat & ſperabat honores, nullas ſomniabat dignitates, ſed totus pietati ſtudijſque deditus, eas concipiebat ſpes, & hunc gradum quem virtute conſcenderet ſibi proponebat, vt, ſi Deo ita placuiſſet, Sacerdos factus, totum ſe ſacris Eccleſiæ obſequijs dicaret: ſed Deus qui exaltat humiles, aliam ſternebat virtuti ipſius viam, quę ne cogitantem quidem eò ducebat, quò difficilè alios ambitio perducere ſolet. Erat in aulâ Regiâ patruus ipſius Gregorius Lubranski Archidiaconus Cracouienſis, vir in adminiſtratione profanorum negotiorum non ſine laude verſatus, cæterùm idem Eccleſiaſticæ functionis adeò rudis, & eruditionis expers, vt nec ſacro etiam ſacerdotij Ordine ſuæ ignorantiæ conſcius initiari vnquam voluerit, cùm maiorem ætatis ſuæ partem in curandis Vielicienſibus & Bochnenſibus ſalinis conſumpſiſſet. Merita tamen eius & Caſimirus Rex, & filius eius Ioannes Albertus tanti æſtimabant, vt eum ad Epiſcopatum promouere

voluerint;ſed ille tanto oneri ferendo cùm ſe imparem ingenuè profiteretur, vacante Epiſcopatu Plocenſi, à Ioanne Alberto Rege ſupplex petijt, vt ſe quidem priuatam vitam ducere permitteret, voluntatem autem ſe Epiſcopatu Plocenſi augendi, per hanc occaſionem ad Ioannem Lubranſcium ſuum ex fratre nepotem, omnibus humanis ac diuinis diſciplinis excultum, Iuris vtriuſque Doctorem, vitæ probitate pietateque ſingulari fulgentem transferret. Placuit Principi viri modeſti & ab ambitione alieni pia & honeſta modeſtia, qui meritorum ſuorum maluit fructum decerpere nepotem ſuum, quàm ſi ipſe hunc honorem adeptus, & eius preſſus onere, etiam ſalutis æternæ amittendæ periculum adiret. Cùm autem Senatus Eccleſiæ Plocenſis non facilè admiſſurus videretur, vt & ſibi & aulæ ignotum, ac vix annos triginta egreſſum, Epiſcopum renunciaret, Regis mandato Fridericus S.R.E. Cardinalis, Archiepiſcopus Gneſnenſis, ac Epiſcopus Cracouienſis, ipſe electioni tanquam Canonicus Plocenſis natus, (etenim Eccleſia Plocenſis hoc quoque inter alia decora numerat, quòd Archiepiſcopi Gneſnenſes nati ſint, vt vulgò dicitur, Canonici Plocenſes) intereſſe voluit; qui cùm clam promotionem Lubranſcij foueret, eam tamen induerat perſonam, ac ſi deſiderio huius Epiſcopæ adipiſcendæ teneretur. Sed Prælati & Canonici Plocenſes, collatis in vnum ſuffragijs, Nicolaum de Bartniki Cuſtodem Plocenſem vtroque parente nobilem in Maſouiâ natum, de domo & familiâ Dolangarum, in Epiſcopum elegerunt, paucis exceptis, qui Cardinalis conſilij conſcij, ſuis ſententijs hunc honorem ad Cardinalem deferebāt. Cuius auctoritas vel potiùs poteſtas tanti fuit apud Nicolaum electum, vt illius baſilicis precibus victus, ius legitimâ electione partum in eum transfuderit. Cardinalis igitur eâ quam induerat detractâ perſonâ, ſententias omnium quorum erat iam factus compos, in Ioannem Lubranſcium, Iuris vtriuſque Doctorem, quem, vt diximus, clàm fouebat, refudit. Itaque eo auctore, fruſtra muſſitantibus Prælatis & Canonicis Plocenſibus, Ioannes Lubranſcius Epiſcopus Plocenſis deſignatus, & à ſummo Pontifice Alexandro Sexto confirmatus, ac deinceps ab eodem Cardinali conſecratus fuit. Nobilis is erat, loco nobili in Palatinatu Breſtenſi natus, ex eâ familiâ quæ Pinum pro ſtemmate gerit: ſi doctrinam, ſi pietatem ſpectes, eo honore digniſſimus. Felix profectò fuiſſet Eccleſia & Diœceſis Plocenſis, ſi ei tanti Paſtoris virtutibus diutiùs frui licuiſſet; ſed ille cùm in animo haberet maximis impenſis Sponſam ſuam ornare, eaſque ex reditibus Epiſcopatus Plocenſis ſibi non ſuffecturas non temerè ſuſpicaretur, infra vnius anni decurſum, Vryele Gorcano Epiſcopo Poſnaniensi vitâ functo, ad ſedem illam tunc opulentiorem, electione Capituli Poſnanienſis ſe transferri paſſus eſt; in quâ quanta monumenta liberalitatis ſuæ reliquerit, vt familiam quoque ſuam penè inuidioſis opibus auxerit, vt piè & religioſè vixerit, ij ſcripſerunt qui vitas Epiſcoporũ Poſnanienſium ſcriptis conſignarunt. In Plocensi autem Diœcesi ipsius extat

extat memoria constructum Skapense Religiosis Sancti Francisci de Obseruantiâ Monasterium. Hoc Episcopo translato deinceps libera quoque, quâ hactenùs vsi sunt Prælati & Canonici Plocenses, Episcoporum electio voluntate Regum abrogata & antiquata est.

Vincentius I. Przerabski Episcopus Plocensis XLIII.

SIradiensis Palatinatus decus & ornamentum familia Przeræbiorum, quæ insigne vetustæ Nobilitatis Nouinam habet, Vincentium Episcopum Plocensem protulit, clarum inprimis & illustrem virum, à teneris annis ita educatum, literisque & pietate imbutum, vt summum locum illi deberi consensus omnium decerneret: nec defuit Regia ad eum ornandum, & dignitatibus cumulandum voluntas. Itaque Regni Vicecancellarius renunciatus, facilè mox declarauit, se maximis quibusque Magistratibus gerendis parem esse. Erat in eo animus ingens, ad ferenda quæuis pericula paratus, liberalitas & munificentia viro eo loco nato digna, eruditio singularis. Quare Regis potissimùm Ioannis fauore, & promotione, Episcopus Plocensis renunciatus, & eiusdem commendatione ab Alexandro Sexto Romano Pontifice confirmatus, ac Cracouiæ consecratus, Sabbatho in Vigiliâ Epiphaniarum Domini, Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, comitatu Siradiensium Procerum cinctus, ad Ecclesiam Plocensem venit, sacrisque alterâ die solenniter operatus tanto dignitatis splendore in suâ Sede consedit, vt omnibus admirationi esset, omnesque eum eâ familiâ natum, eo dignitatis splendore fulgentem venerarentur. Neque sanè pœnituisset vnquam Plocenses à tali Præsule diutiùs gubernari, nisi virtus ipsius aliò eum euocasset, & ad Ecclesiam Vladislauiensem maioribus opibus ditatam, morte Creslai de Curoswanki vacuam, magno illius Diœcesis desiderio illum appetentem transtulisset. Quod quidem voluntate & assensu Regis Alexandri accedente, millesimo quingentesimo tertio, die vigesimâ quintâ Iulij accidit, nam hoc anno & die, Prælati & Canonici Vladislauienses, tum in oppido Gorzno manentem postulatum ad eum vt Episcopatum Vladislauiensem acceptaret, venerunt. Humanum quid eum passum dicerem, quod quinquennio summâ cum laude gesto Episcopatu Plocensi opulentiorem præoptauerit.

Erasmus I. Ciolek Episcopus Plocensis XLIV.

QVo genere, quâve stirpe genitus fuerit Erasmus Ciolek, vnde prodierit, quomodo creuerit, & illa ipsa quâ vixit ignorauit ætas: gratiâ eum Alexandri Regis floruisse, & dum adhuc priuatus ageret, ante adeptum Regnum, illius potissimùm consilijs niti solitum fuisse Alexandrum, omnis illius temporis credidit antiquitas. Quidquid sit, huius

ius Regis auctoritate Episcopatum Plocensem consecutus est, anno millesimo quingentesimo quarto; vafrum fuisse hominem & callidum, & qui Regi cuius gratiâ florebat, tyrannidem suaderet plerique credidere; vili & plebeio loco Cracouiæ natus tantum ingenio valuit, vt Episcopatum Plocensem adipisceretur, & non solùm Alexander Rex cuius obsequijs & fauoribus creuerat, sed & Sigismundus primus Rex Poloniæ, operâ eius fideli & industriâ, in obeundis apud Pontificem Maximum & Cæsarem legationibus, semel atque iterum vteretur. Sed postremò missus ad Leonem Decimum à Sigismundo primo, dum ibi secreta quædam tractat consilia, eodem anno quo Leo decimus Romæ obijt, ibidemque in Ecclesiâ quæ Sancta Maria Populi appellatur, tumulatus est. Obtinuerat dum in Vrbe esset à Leone decimo Pontifice Maximo, non solùm confirmationem fundatæ à Paulo Gizicio Ecclesię Collegiatæ Pultouiensis, sed etiam vt tres Prælaturæ sub nomine Scholastici, Custodis, & Cantoris, annexis ijs tribus Parochialibus Ecclesijs Dzierzinensi, Zlotoriensi, & Wronensi erigerentur, & locum ac stallum ante omnes Canonicos, & vocem in Capitulo haberent, vtque Canonici Pultouienses alia quoque beneficia sustentationis, & continuæ apud Ecclesiam Pultouiensem residentiæ causâ acquirere, eaque legitimè obtinere possent; sed quia ille antequàm in Poloniam redijsset, in Vrbe, vt dictum est, vitam cum morte commutauit, neque hoc Pontificium indultum à Successoribus Erasmi ab Episcopis Plocensibus receptum fuit, ea res conatu magis suscepta quàm exitu, hactenùs intermissa est sola Vicariorum illius Ecclesiæ ab Erasmo inchoata fundatio, & eodem rescripto Pontificio contenta, multorum subsequentium Episcoporum liberalitate aucta perseuerat, vt Canonicis more aliarum Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum in stallis suis residentibus, Vicarij Diuina officia peragant & decantent. Prælati verò & Canonici singuli per vices suas ordinarias Missas solennes celebrent, & quod ad residentiam pertinet, legibus sacris ac præscriptis in libello fundationis conditionibus teneantur & sint adstricti.

Raphaël I. Lesczynski Episcopus Plocensis XLV.

SVccessorem accepit Erasmus Raphaëlem Lesczynski, nobili & vetustâ Wienieuitarum familiâ ortum. Fuit is primò Episcopus Præmysliensis, deinde auctoritate Sigismundi Primi, per Adrianum, vel fortè Clementem Septimum Plociam translatus, vir ita Sacerdotali & Episcopali functioni deditus, vt tamen publicas curas minimè negligeret. Viderat & præuiderat fortasse ex suâ familiâ ortos, ad nascentem ipsius tempore in Germaniâ obscœnam & impiam hæresim transituros; quamobrem diligenter cauit, ne is Episcopatus cui præerat, hac nefariâ labe inficeretur, suoque consilio & auctoritate eò flexit Masouiæ Duces, vt in

in Comitijs Varſauienſibus vniuerſis Maſouiæ Ducatus Proceribus libenter conſentientibus, ac ſe poſteritatemque ſuam concordi voto & voluntate obſtringentibus, ſtulti & deliri Martini Lutheri errores, tunc primùm in Germaniâ excreſcentes, in vniuersâ Maſouiâ publico edicto damnarent, & ne in regionem hanc veræ pietatis altricem inferri, homineſque maculare poſſent, nevé quis tale dogma profiteri auderet, ita prohiberent, vt ſi quis in eum prolaberetur errorem, pœnis capitalibus vitâ fortuniſque exutus obnoxius eſſet. Quod quidem decretum vniuerſa ita amplexa eſt Maſouia, vt ad hæc vſque tempora exoſam habeat omnem hæreſim, & ſola inter tot Regni prouincias ſuſceptam ſemel Catholicam pietatem, vel vitæ etiam ipſius periculo tueatur, & in publicis Regni Cõuentibus impijs hæreticorum auſis conſtanter repugnet. Cuius decreti ſeriem huc inſerendam duximus. Extat in arce Pultouienſi pars quædam muratæ domus ab eo, vt titulus indicat, ſtructę, quæ tota in ruinam prona, vel ſpontè corruet, vel breui diruenda erit. Annis nõ integris quatuor præfuit Epiſcopatui Plocenſi; Pultouiæ obijt, atque in Eccleſiâ Collegiatâ Pultouienſi ſepultus eſt hoc adiecto Epitaphio:

Leſcinius iacet hac poſitus tellure Raphaël,
Qui plenus magni Præſul honoris erat.
Propter virtutem per maxima facta decoram,
Hunc releua precibus Lector amice tuis.

Obijt Dominicâ Oculi Anno Domini M. D. XXVII.

Decretum contra Hæreticos Ducale in Actis Ducalibus quæ circa Caſtrenſia Varſauien. habentur contentum.

ACtum Varſauiæ feriâ quintâ ante Dominicam Oculi Conuentionem continuando proximâ, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, in præſentiâ Illuſtriſſimi D. D. Ianuſſij Dei gratiâ Ducis Maſouiæ Ruſſiæ, &c. nec non Magnificorum, venerabilium & Generoſorum Felicis Brzeski Palatini Maſouiæ, Capitanei Ciechanouienſis, Laurentij de Praznowo Ciernenſis, Ioannis Loski de Wola Chynowska Viſnenſis, Petri Kopythowski Varſauienſis, Alexij de Lubki Wyſſogrodienſis, Ioannis de Krisko Zakroczimenſis, Ioannis de Oborij Ciechanouienſis, Michaëlis de Zaliwie Liuenſis Caſtellanorum, Nicolai Zukowski Præpoſiti Eccleſiæ Collegiatæ Varſauienſis & Ducatus Maſouiæ Camerarij, Alberti de Popielzino Canonici Varſauienſis, & Ducatus Maſouiæ Succamerarij, Pauli de Trabki Archidiaconi eiuſdẽ Eccleſiæ Collegiatæ Varſauienſis, Thomæ Sokolowski Decretorum Doctoris & Cuſtodis, Staniſlai de Strzelce Scholaſtici, Pauli de Popielzino Canonicorum eiuſdem Eccleſiæ Collegiatæ Varſauienſis, Bartholomæi Radziminski de Miaſtkowo Czernenſis, Budek de Naquaſino Wyſſogrodienſis,

grodienſis, Eraſmi de Kobelniki Ciechanouienſis, Ioannis de Oyrzanowo Liuenſis Pincernarum; Seraphini de Obory de Zaleſie Czernenſis, Nicolai Wierzbiæta Varſauienſis, Petri de Kucharij Wyſſogrodienſis, Varſauienſ. Staniſlai de Woyſtawice Liuenſis, Iacobi de Ielenia Nurenſis, Andreæ Kieſielnicki de Boguſice Lomzenſis Iudicum; Nicolai Oborski de Lecieſſczyce Cernenſis, Stephani de Wodynie Varſauienſis, Adriani de Golymino Wyſſogrodienſis, Ioannis Ciſſkowski Zakrocymenſis, Ioannis Wilicki Ciechanouienſis, Criſtini de Cubra Viſnenſis Vexilliferorum; Iacobi Gloskowski Czernenſis, Staniſlai Kownacki Viſnenſis, Petri Targoma Zakrocymenſis, Pauli Brzeski Ciechanouienſis Succamerariorum; Nicolai de Runowo Czernenſis, Iacobi de Kozniewo Wyſſogrodienſis, Martini de Czernidla Zakrocymenſis Dapiferorum; Ioannis de Niwiska, Czernenſis, Pauli Pniewski Zacrocymenſis Theſaurariorum; Gregorij Vliniecki Czernenſis Pincernæ, Stiborij de Mlacz Czernenſis, Matthiæ Swiderski Viſnenſis, Matthiæ de Suiæcice Varſauienſ. Alexij Cibulski Wyſſogrodienſ. Michaëlis de Czernice Ciechanouienſ. Stiborij de Michalowo Nurenſis, Subiudicum & aliorum fide dignorum. Illuſtriſſimus Dominus Princeps cum toto conſilio ſuo, volens ſectam Lutheranorum & eius falſum dogma in Ducatu ſuo ab omnibus ſubditis ſuis penitus eradicari, & ne hoc falſo errore & dogmate ſubditi ſui à fide Orthodoxâ, & Sancto ritu Romanæ Eccleſiæ ſeducantur, ex officio ſuo & auctoritate Ducali, vt verus Chriſtianæ religionis & fidei Princeps prouidere tempeſtiuè cupiens ita decreuit, conſtituit, & conclusit. Vt nullus in toto Ducatu Maſouiæ tam in Ciuitatibus, Oppidis, quàm eorum in Villis cuiuſcunque conditionis & ſtatus exiſtat, præſertim in Ciuitate Varſauienſ. libros & falſam doctrinam Lutheri in quocunque ſermone, siue latino, siue Almanico, aut quouis alio tenere apud ſe & in domibus ſuis habere, legere, ac ipſum falſum dogma Lutheranorum profiteri, ſectam portare, tueri, & alijs eandem perſuadere præſumant. Ita tamen vt quicunque de hac Sectâ legitimè conuictus & probatus fuerit, talis vitâ priuari debeat, & bona eius omnia quæcunque habet mobilia & immobilia confiſcari, & ad theſaurum Ducalem recipi debeant. Quod Decretum Dominus Dux mandauit in omnibus Diſtrictibus & Capitaneatibus publicari, & diligenter per omnes Officiales exequi. Locus ✠ Sigilli.

Ex Metricâ Ducali ſub Sigillo Terreſtri Varſauiensi reſcriptum. Staniſlaus Smiecinski Terreſtris Varſauiensis Notarius. Correxit Smiecinski.

Andreas

Andreas III. Cricius Episcopus Plocensis XLVI.

IAm ea tempora notanda veniunt, quibus in Poloniâ elegantioris literaturæ vsus vel maximè inualuit, auctore potissimum Petro Tomicio, viro æterna memoriâ ob eruditionem dignissimo, qui adeptus Cancellariatum Regni, primus genus illud dicendi & scribendi, longâ & fœdâ barbarie corruptum nitore linguæ Latinæ expolire cœpit. Ex hac palæstrâ & institutione prodijt Andreas Cricius Kotuicius, Tomicij ex sorore nepos, quem summo ingenio excelluisse, poëmata ab ipso scripta, etiamsi obscænitatis sordibus fætere videantur, satis declarant. Tomicius certè Regni Cancellarius, nepotis à se educati ita operâ vsus est, vt etiamsi ab aula primò Episcopus Præmysliensis, posteà Plocensis factus Cricius recessisset, si quid tamen grauioris momenti scribendum, si aliqua grauis legatio formanda contingebat, ad illum remitteret, palamque testaretur, illius subsidiariâ ope in tractandis publicis negotijs se niti, extant vtriusque mutuæ hac de re scriptæ epistolæ. Denique cùm Tomicio Archiepiscopatus Gnesnensis deferretur, eâ conditione eum suscipere renuit, si is honos ad Andream Cricium nepotem suum, iam tum Episcopum Plocensem transiret; quod quidem factum est, vt viuente adhuc Tomicio, Cricius Archiepiscopus Gnesnensis renunciaretur. Sed vt ad Cricij initia redeamus, honestis & nobilibus parentibus is cùm esset ortus, & liberalitate Auunculi subleuatus, ingenioque suo & industriâ mõstratus satis, inprimis in aulâ dignus visus est, vt Barbaræ Scepusiæ, Sigismundi primi Regis Poloniæ coniugis prioris Cancellarius esset, cuius mortem præclaro posteà deplorauit poëmate. Valuit & gratiâ Reginæ Bonæ Sfortiæ, cuius laudes non inuenustis versibus sępiùs lusit & decantauit: sed omnium dignitatum consequendarum auctor illi & dux fuit Auunculus, ac virtus quoque ipsius & dignitas, ita vt primò Episcopatum Præmysliensem, postea Plocensem adeptus fuerit; quem cùm octo circiter annis gessisset, ad Archiepiscopatum Gnesnensem, anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto translatus est. Præfuit tractatibus qui auctore Sigismundo primo, pacis inter Ferdinandum Austriacum Romanorum Regem, & Ianussium Vngariæ Regnum potentiâ Turcicâ sibi vsurpantem, constituendæ causâ instituti fuerunt. Vngaricâ quoque functus legatione, parem se magnis negotijs ostendit. Reperitur in manuscriptis illius defensio magis politicè, quàm Catholicè scripta, translati à statu religioso ad sæcularem Magistri Prussiæ, Ducisque titulo à Sigismundo primo cohonestati, & Romam, vbi hoc factum Sigismundi valdè carpebatur, missa. Plura scripsit metro quàm soluta oratione: illud verò egregiè, quo tunc Lutheranas de fide opiniones primùm in Poloniâ spargi cœptas, grauissimâ apologiâ confutauerat, erroresque eorum testimonio sacrarum scripturarum impios esse ostenderat.

Ioannes Choienski Episcopus Plocensis XLVII.

NEmo miretur nos, si deinceps in scribendis Vitis Episcoporum Plocensium, maximè eorum, qui hunc locum, quasi gradum quendam, ad consequendos ditiores Episcopatus habuerunt, breuiores fuerimus; namque ij omnes, suos in maioribus Episcopatibus sortiti sunt, vel certè sortientur, qui nobis longè ingenio præstant laudatores. Et vt à Ioanne Choienscio, ex eorum genere qui stemma Abdank gerunt, orto, Cricij in Episcopatu successore incipiam; qualis quantusque is vir fuerit, & gesti per eum Magistratus, & Cracouiensis Episcopatus summa dignitas satis ostendunt. Hic cùm Cricio in Episcopatu Plocensi successisset, anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, non integro biennio exacto, anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo Episcopus Cracouiensis renunciatus, eo quoque beneficio Sigismundi primi, Pauli Tertij Summi Pontificis accedente consensu, potitus est.

Petrus Gamratus Episcopus Plocensis XLVIII.

QVâ gente quáve stirpe natus fuerit Gamratus, apud neminem legisse me hactenùs memini, neque vlla vestigia eo vitâ functo familiæ illius extitisse crediderim; Sulimeum eum fuisse scribunt auctores, sed in quo Palatinatu, quóve loco natus fuerit, haud satis constat: multis certè referentibus iuuenis admodùm audiui, hæreticorum principem & antesignanum Nicolaum Reium, qui Catholicam Ecclesiam venenosis scriptis prosciderat, modumque ex formulâ Lutheri verbi Dei deprauandi, edito impiarum concionum volumine primus præscripserat, Gamrati ex sorore fuisse nepotem. Ad hunc fortasse hæreditas illius transmissa fuit, quæ tamen grandis esse non potuit. Gamratum enim prodigalitate magis quàm auaritiâ laborasse certum est. Bonæ Reginæ potissimùm is gratiâ floruit & creuit. id satis declaratur Epitaphio illius tumulo Cracouiæ insculpto:

Gamratum Regina potens Bona Sfortia Petrum
Cracouiæ & Gnesnæ Pontificem statuit.

Cuius ope etiam Vice-cancellariatum Regni, cùm esset Episcopus Præmysliensis sperauerat, paratusque in Senatum ita venerat, vt eo nomine Regi gratias ageret; sed à Marschalco Regio, qui more & instituto Regni, præmissâ solenni oratione Cancellarios renunciare solet, egregiè elusus fuerat; nam is prolixiori vsus oratione, facie ad Gamratum versâ, cùm multa præclarè de eius Magistratus dignitate dixisset, & postremò veluti Gamratum renunciaturus verba illa: Tibi Domine Episcope, sine tamen nomine illius proprio protulisset, & aliquantùm hæsisset, Gamratus, quasi id sibi dictum esset, surrexit; sed cùm Rex huius ironiæ

fortè non ignarus manu extensâ; Sedete, inquit, Domine Episcope, non vos estis, innuisset: tum demum Marschalcus eluso & in ruborem Gamrato dato, Ioannem Choinium Vice-cancellarium Regni renunciauit. Cæterùm is lusus lucro deinceps Gamrato fuit. nam Choinius non diu Episcopatu Plocensi & Cancellariatu Regni functus, cessit Episcopatu Cracouiensi Gamrato, ad quem hic ex Plocensi anno millesimo quingentesimo trigesimo octauo translatus est. Fuisse illum cùm priuatus esset, Archidiaconum Pultouiensem, Decanum Varsauiensem, Parochum Viscouiensem comperio, nulli autem Ecclesiæ Cathedrali adscribi illum potuisse, quòd in nobilitate probandâ aliquis næuus & defectus intercesserit, grandis est suspicio. Creditur certè cùm supremis fatis admoueretur, longè diuersum genus vitæ quàm quod iuuentute vixerat suscepisse, & ob præclaram liberalitatem quâ erga egenos ferebatur, alijs quoque virtutibus cum eximiâ detestatione vitiorum, quorum sibi conscius erat cumulasse, mortemque ipsam satis piè & feliciter obijsse. Vidimus nos literas manu ipsius scriptas, ad internuncium Martinum Cromerum, quem ad Vrbem curatum vt simul cum Archiepiscopatu Gnesnensi Episcopatum quoque Cracouiensem teneret, miserat datas, satis elegantes illas quidem, sed cùm antiquitas ipsa testetur, illum omni caruisse eruditione, crediderim alterius cuiuspiam ingenij illum partum fuisse, & à Gamrato charactere proprio transcriptum, vt Pontifici fidem faceret, se etiam eruditionis laude non carere.

Iacobus Buczacki Episcopus Plocensis XLIX.

QVæ causâ fuerit, quòd Iacobus Buczacki Ruthenus ad Episcopatum Plocensem promotus sit, certò asserere non possumus: suspicari tamen licet, ob præclara bellica domus vetustæ Buczaciorum merita, cùm is vnus è tantâ familiâ ad statum Ecclesiasticum transiisset, honore Episcopali insignitum fuisse, Zlotoriensem quoque arcem in Terrâ Dobrinensi beneficio Regio tenuisse reperitur. Ex quâ dum Plociam versus proficisceretur, Brodniciæ quod Oppidum Regię est in Palatinatu Culmensi ditionis, morbo grauatus vitam finiuit, anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, cùm quadriennio Ecclesiæ Plocensi præfuisset. Extat sepulchrum eius in Ecclesiâ Cathedrali Plocensi hoc signatum Epitaphio:

Reuerendissimo Patri, Domino Iacobo Buczacki Dei gratiâ Episcopo Plocensi, vltimo hæredi nobilissimæ & vetustissimæ illius familiæ in Terris Podolię, & Russiæ positum. Mortuus anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo, die Veneris sextâ Maij.

Colligere hinc licet, Buczacios qui nostrâ ætate vixerunt alterius stemmatis, alterius stirpis fuisse, etiamsi idem nomen gentilitium vsurpauerint.

Samuel Macieiovvski Episcopus Plocensis L.

EXimia ingenij vis, rara eloquentia, mores elegantiores, summum in Regno Poloniæ decus Macieiouio pepererunt, ob quos gratus Principibus, gratus & populo, magnâ auctoritate Episcopus adhuc Chelmēsis, & Regni Cancellarius, pòst Episcopus Plocensis, ad extremum Cracouiensis, Senatorium munus sustinuit, non sine tamen inuidiâ. Sigillum Regni vnà cum Episcopatu Cracouiensi retinuit, quâ grauatus in Comitijs Petricouiensibus, Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo, vrgente & cogente Nobilitate illud deposuit, & Magistratu se abdicauit. Arcanorum hunc fuisse tenacissimum ferunt, vnde illud dictum Regij Morionis, quem dicere solitum fuisse tradunt, duos esse in Poloniâ qui semper mentirentur, Petrum Gamratum & Samuelem Macieiouium; illum quòd cùm nihil sciret, omnia se scire, & omnium consiliorum participem esse affirmaret; hunc quòd si quis ab eo de negotijs Reipublicæ sciscitari vellet, se omnium ignarum esse præseferret. Præfuit Plocensi Ecclesiæ Macieiouius ferè triennio, Cracouiam translatus, anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto diebus Nouembris.

Ioannes Bilinski de Ciexino, Episcopus Plocensis LI.

MVltos annos in aulâ Regiâ exegerat Ioannes Bilinski, dignus qui anteà etiam ad altiores honorum gradus promoueretur, sed ea erāt illa tempora Sigismundo primo adhuc regnante, vt magis eruditi omnē excluderent ambitionem: postremis demum Sigismundi primi temporibus, tota honorum & dignitatum distributio, Rege ipso senectute laborante, in Reginæ potestatem concessit, quæ Italico orta sanguine, ingentes animo conceperat opes, quas deinde in Italiam, vti fecit, transferret; maritumque ætate fessum sui quodammodo iuris fecerat. Igitur vacante Episcopatu Plocensi, translato in Cracouiensem Samuele Macieiouio, multis impensis laborandum erat Bilinio, vt eo honore exornaretur; habebat fratrem germanum Iacobum Bilinium, Suffraganeum Plocensem, Archidiaconum Pultouiensem satis nummatum, & Andream Noscouium Plocensem & Pultouiensem Canonicum cōsanguineum suum: his adiutoribus vsus, qui partim præsenti pecuniâ, partim interpositâ sponsione, ab amicis quæsitâ grandem summam pro illo in aulâ dependerent. Sed Bilinium vetusta familia ea quæ Iunossam, seu Agnum pro stemmate habet, Episcopum Plocensem renunciatum tantùm audiuit & non vidit Plocia; eodem enim anno quo Episcopatum accepit, nempe millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, cùm die vltimâ Martij possessionem Episcopatus per Procuratorem adijsset, die decimâ octauâ Maij Cracouiæ vitam cum morte commutauit, atque ibidem honorem sepulchri consecutus est.

Andreas

Andreas Noskovvski Episcopus Plocensis LII.

NOn ab aulâ, etsi non sine aulæ & Reginæ Bonæ fauore, sed ex Canonicis qui tum præsentes ad Ecclesiam Plocensem manebant, lectum & datum accepit Ecclesia Plocensis Episcopum Andream Noskowski. Is non alia nisi Plocensem & Pultouiensem Canonicatum, dum priuatus esset Sacerdotia habuit; interim tamen cùm bona Ecclesiastica administraret, vt erat industrius, rem auxerat, & grandem pecuniæ summam coaceruauerat. Cuius expendendæ, vt illa tempora ferebant, non inhonestam occasionem fata illi dedisse videbantur, cùm vt paulò anteà diximus, Bilinius consanguineus eius iuuādus esset, sed Bilinio intra paucos menses vitâ functo, & res & fides Noscouij in extremum discrimen adducta videbatur: non tamen ille despondit animum, sed assumpto secum Iacobo Bilinio in aulam pergit, impensam in promotione Bilinij repetiturus pecuniam, quæ in quo sinu lateret, optimè nouerat. Fauit fortuna votis illius, nam Regina Bona, promouente facilè Regiâ nominatione Episcopatum Plocensem consecutus est. Genus illi nobile & vetustum in Territorio Zacrocymensi, Pater Florianus Noskowski de stēmate quod Lada appellatur, Mater Anna Lescinia: conditio paternarum fortunarum satis tenuis, ita vt puero cū paupertate satis luctandū fuerit; sed adolescens præclarâ ingenij indole ad maiora sibi aditū præstruxit, ac mox in aulâ quoque Stanislai & Ianussij Ducum Masouiæ, Paulo Trabio eorum Procancellario, eum ad se vocante, locum habuit. Breue & fatale fuit horum Ducum imperium, vterque fraude meretriciâ extinctus est, ita vt Noscouio breuis admodùm aulæ vsus fuerit, & alium fortunæ cursum quærere coactus sit, ac tandem beneficio Andreæ Cricij Episcopi Plocensis Canonicatum Pultouiensem adeptus, priuatam vitam per multos annos egit, rei familiari augendæ potissimùm intentus. Vitam illius & res in Episcopatu gestas descripsit Andreas Swiæcicius Notarius Terræ Nurensis, Noscouij è sorore nepos, ad quem Lectorem remittimus: illud priùs præfati, videri nobis Swiæcicium affectu sanguinis ductum, magis encomiastem quàm historicum egisse; nos pauca ex eo libabimus. Constat sanè omnium testimonio, Noscouium & Pontificiam & Senatoriam dignitatem cum laude sustinuisse. Altero postquàm ille Episcopus renunciatus est anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, Sigismundus primus Poloniæ Rex cessit è vitâ, cuius supremis officijs non defuit Noscouius, vt & Reginæ Bonæ lachrymarum cōsortio dolorem leniret, & Sigismundum Augustum ad capessendum Regnum cohortatione suâ accingeret; cuius matrimonium cùm Barbarâ Radiuillâ clàm contractum, cùm ab vniuersis Regni ordinibus vehementer improbaretur, Noscouius in fauorem Regis & minùs gratæ Reginæ sententiam suam flexit: eâ verò vitâ functâ, Sigismundo Augusto,

 Cathari-

Catharinam Ferdinandi Imperatoris filiam, infauſtis auſpicijs deſponſatam deduxit, Olomucium vſque eius rei causâ cum ſplendido comitatu profectus. Cùm in Senatu vehementer diſceptaretur, vtrùm Regina Bona, quæ non ſatis honeſto prætextu filio & filiabus relictis, ac toto ſecum theſauro ſublato in Italiam profectionem adornabat, retinenda eſſet? Noſcouius etiam per vim retinendam eſſe cenſuit, Reginæque ob id ferociter illi improperanti, facetè reſpondiſſe fertur. Regem Sigiſmundum Auguſtum grandi iuuit pecuniâ, nõnullis præfecturis hypothecæ nomine ab eo acceptis, quam pecuniam in ijs Comitijs, quæ executionis appellata ſunt, Rege ipſo Sigiſmundo Auguſto auctore, magno Noſcouij dolore perperàm collocatam fuiſſe iudicatum fuit, Noſcouiuſque eâ priuatus cùm acceptum damnum ſarcire vellet, ingentem ſyluarum Epiſcopalium ſtragem fecit, Dantiſcumque venum miſit, adeò vt fremente Capitulo Plocenſi, & hanc iniuriam Eccleſiæ factam ad Regem deferente, moneri eum oportuerit, vt ab hoc quærendæ pecuniæ modo ſuperſederet. Eccleſiam Plocenſem collatâ Cleri Diœceſis pecuniâ & ſumptu, ac magnâ ex parte deiectis veteribus muris, eleganti opere ſtruxit & exornauit. Brocouiæ, quod eſt Oppidum Epiſcopi Plocenſis, templum Parochiale ædificauit, Pultouienſi Eccleſiæ Collegiatæ fornicem adiecit; ſuaſu & hortatu Staniſlai Hoſij Cardinalis & Epiſcopi Varmienſis, Religioſos Societatis IESV Pultouiam induxit, nullo quidem ſuo ſumptu, ſed prædijs Epiſcopalibus aliquot in eum vſum à menſâ Epiſcopali auulſis, fundauit, extinctâ veteri Pultouienſi Scholâ, quę certis quibuſdam decimis dotata fuit, & ad quam Magiſtri ex Academiâ Cracouienſi euocari ſolebant. Iuuentuti quæ è Diœceſi Plocenſi Cracouiam ad Academiam ſtudiorum causâ ſe conferre vellet, domum, Burſam Philoſophorum poſteà appellatam, coćto latere ſtruxit, ac datis decem millibus florenorum, cenſum annuum ex quo aliqua pars victus ſtudioſis illis confici poſſit, iure perpetuo emit. Dum Epiſcopatum Plocenſem gereret, omnibus modis cauit, ne hæreticâ lue ſua Diœceſis inficeretur; cumque quidam non in Maſouiâ natus, iſque à religione Catholicâ alienus, vxore ductâ grandem hæreditatem hîc adijſſet, omnibus modis ſtuduit Noſcouius, vt eum ab errore abduceret; ſed cùm nec doctrina, nec cohortationes hominem mouerent, Noſcouius bona vxoris illius maiori etiam pretio quàm par erat licitatus, datâ pecuniâ hominem peſtiferum ex Diœceſi abegit. Idem cùm Sigiſmundus Auguſtus præter ius & conſuetudinem, Religioſis Abbatię Ceruinenſis Abbatem obtrudere vellet, celeritate ſtudia ambitionis pręuenit; nam cùm Rex vellet, vt ad certam diem electio Abbatis indiceretur, Noſcouius electionis tempus anteuertit, & cùm ij quos Rex promouebat nouam flagitarent electionem, Staniſlao Falæcio nobili viro, & religionem profeſſo illis Abbate iam electo monſtrato, Regis offenſam non veritus, egregiè ambientium deſideria eluſit. Exitum ipſius ex hac vitâ Swiæcicij verbis exequar. Cùm duos & viginti

viginti annos in Pontificatu egiſſet, effeciſſetque eos quibus præfuit re copioſos, honeſtos moribus, vitâ integros, ipſe autem non minùs opibus creuiſſet quàm gratiâ, incidit in morbum initio non periculoſum, in progreſſu, vt apparuit, lethalem; nam cùm Branſcij Templum dedicauiſſet, ſiue ex vehementiore niſu, (quem inter dedicandum tingendis, vt moris eſt, ſacro oleo parietibus adhibuit) ſiue quapiam aliâ ex causâ lateris dolorem contraxit, & vt quiete & medicinâ ſe reficeret, Pultouiam ire perrexit; vbi cùm miſſa ſibi ab amico Damaſcena pruna inſpexiſſet, ſumpſiſſetque aliquot ex ijs auidiùs, leui primùm horrore tentatus, mox in febrim incidit. Diſceſſerat ab illo iam antè Venceſlaus Medicus ſanè perincommodè, cuius per duos de viginti propè annos operam in medendo feliciter eſt expertus & in amicitiâ fidem. Itaque remedia Chriſtinus Drozdouius apta adhibebat, ſed poſtquàm æger inualeſcere morbum indies ſenſit, aduocatis fideliſſimis: Sacrum tempus, inquit, amici eſt, vt cùm nihil eorum quæ ad ſanandum corpus pertinent omiſerim, animæ etiam, dum licet, conſulam. Sacerdotem ergo quo cum ſecretiùs quædam communicem accerſiri ad me iubetote; cui cùm ſe totum aperuiſſet, commiſſorum criminum labe expiatus, etiam ſacroſanctis religionis noſtræ myſterijs ritè procuratus eſt. Auerterat iam animum à curâ rerum inanium, ad contemplationem cœleſtium, cùm ſubitò alleuari morbo ſibi viſus eſt, ita vt etiam volucrem recenti aucupio ceptam præparari in cibum, eamque menſæ inferri iuberet; ſed re compertum, vana hæc ſanitatis indicia fuiſſe. Itaque cùm iam ſenſim viribus collabi, & ſpiritu deficere videretur, Sacerdos qui aderat ex Societate IESV, nullâ circuitione vſus, ſpem vitæ abijcere illum iuſſit. Et cùm diceret, æquum eſſe vt repetenti benigniſſimo Creditori Deo debitum diſſolueret, non modò libenter, ſed etiam cum gratiâ, ille ſe ſatis vixiſſe reſpondit, gratiaſque quas poſſet Deo immortali agere ſe dixit, quòd plurimis & maximis beneficijs hanc quoque diuturnioris vitæ vſuram ſibi adiecisſet, vitam ſe quam ab eo acceperat, libenter reddere, reliquorum gratum ſe debitorem mori. Hac oratione habitâ, cùm inter ſuprema ſuſpiria Diuinæ ſe miſericordiæ commendaret, extremam luctam tanquam bonus Athleta adijt, exceſſitque è vitâ nono Calendas Nouembris, anno Orbis redempti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Pontificatus verò ſui altero & vigeſimo, cùm ipſe quintum & ſeptuageſimum exegiſſet. Vir magnus & memorabilis fuit, Sacerdos probus, Pontifex grauis, & ad gubernandum alios eruditus, & vt ſemel dicam dignior ſemper honoribus habitus, quàm quos geſſiſſet. Erat ſtaturâ ſatis procerâ, paululùm incuruus, capite mediocri & caluo, fronte & ſupercilio graui, ſed ore ſatis benigno, naſo adunco, toto denique habitu decorus, quem cùm vidiſſes, non metueres, coleres libenter; vox clara & virilis, valetudo ſatis proſpera etiam ſeni, niſi quòd herniæ moleſtijs interdum vexaretur. Elatus eſt magnifico funere, quanquam ipſe non iuſſerat, tumulatuſque

Andreas Noſſkovvski Episc. Plocenſ. in ordine 52. obijt Anno 1567.

eſt inter lamenta & complorationes populi, non tam vicem illius quàm ſuam dolentis, ſepulchro quod ſibi viuus parauerat Pultouiæ ad dextram Marianæ Baſilicæ.

Petrus Myrzkovvski Epiſcopus Plocenſis LIII.

MYſzcouiorum familia ſub Caſimiro Tertio maioribus opibus & Senatoriâ quoque dignitate aucta eſt, deinde Sigiſmundo primo in Poloniâ regnante, cùm Laurentius Myſzkowski villæ Spytkowice dominus, Ianuſſium Ducem Zatorienſem ſuum dominum; eò quòd vſu aquæ ad piſcinas illius decurrentis eum priuaſſet, facto eo nomine iurgio, in ipſo loco qui controuerſus fuit, occidiſſet, & ad Sigiſmundum primum, ad quem Ducatus Zatorienſis hæreditas hac cæde deuoluebatur confugiſſet, & in bello Moſchouitico pręclaram operam Reipublicę nauaſſet, & cædis factę gratiam obtinuit, & ad maiores opes conſequendas aditum ſibi patefecit. Hac ſtirpe quæ ex ſtemmate & inſigni Iaſtrzebecia appellatur, Petrus Myſzcouius Epiſcopus Plocenſis ortus, Canonicus Cracouien. factus, Patauij, vbi tum ſtudia humaniora vtriuſque linguæ, magnis magni nominis Profeſſoribus eas docentibus vigebant, aliquot annos literis impendit, tantumque in eis profecit, vt inter elegantiores Scriptores non poſtremus haberetur. Extant Manutij, & aliorum eius temporis Italiæ Scriptorum ad eum epiſtolæ, ex quibus facilè quiuis colligere poteſt, quanti eruditio Myſcouij æſtimaretur. Artem quoque medendi non vt eam exerceret, ſed vt ſciret, calluiſſe dicitur. Iam maturiore ætate cùm domum redijſſet, delectatus otio, & opibus Canonicatus ſui Cracouienſis contentus, priuatam & nulli obſequio obnoxiam vitam duxit: denique quinquagenario maior, ob præclaram eruditionis opinionem in aulam euocatus, cùm potiſſimùm ſtyli elegantiâ floreret, à Ioanne Przerębio Vice-cancellario Regni, Regio nomine literis ſcribendis adhibitus eſt, & tot Beneficijs auctus, vt eum neſcio quis per iocum Præpoſitum per totam Poloniam dixerit, Secretarij Maioris munus per multos annos intermiſſum, vt cum maiori dignitate in aulâ verſaretur illi anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono collatum fuit. Denique Philippo Padnieuio ad Epiſcopatum Cracouienſem promoto, Sigillum quoque Regni minus gerendum Regio beneficio obtinuit, ac Vicecancellarius Regni renunciatus eſt. Felicia erant illa tempora, & Magiſtratibus Regijs maximarum opum feracia, quâ occaſione Myſcouius vſus ingentem pecuniæ ſummam in eo magiſtratu collegit, adeò vt cùm vitâ functo Noſcouio, à quo Coadiutor muneris Epiſcopalis cooptatus fuerat, Plociam 15. Martij, anno 1570. ingrederetur, centum millia florenorum ſecum attuliſſe exiſtimatus fuerit: in Plocenſi Epiſcopatu octo annis peractis, demum Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, mortuo Epiſcopo Cracouienſi Franciſco Kraſinio, cùm eodem

anno

anno Stephano Regi, bellum contra Gedanenſes gerenti, ſexaginta millia florenorum mutuò dediſſet, ad Epiſcopatum Cracouienſem tranſlatus fuit; in quo cùm quatuordecim circiter ſediſſet annis, ita familiam ſuam coëmptis bonis & opibus auxit, vt deinceps illius ex fratre Nepotes, inter Principes Poloniæ eminerent; qui tamen mox totum patrimonium ingenti Patrui ſolicitudine collectum prodegerunt, ita vt hæreditas ex bonis Eccleſiæ parta, mox ad manus alienorum tranſierit. In Plocenſi Epiſcopatu nulla eius extat memoria, niſi quòd partem muri arcis Pultouienſis reſtaurauerit.

Petrus Dunin VVolski Epiſcopus Plocenſis LIV.

VEtuſta eſt in Poloniâ, & magnæ nobilitatis domus Duninorum, virtutis cultrix, & magnorum virorum ferax; eius auctor fertur fuiſſe Petrus Danus, quem Vladiſlaus Criuouſtius, omnium hoſtium qui ad fines Regni Poloniæ ſunt victor, Daniâ quoque in poteſtatem redactâ, opibus tunc in illo Regno præcipuum, & ob metum tyranni ſolum vertere coactum, ita in Poloniam traduxit, vt is ampliſſimas quas habebat opes ſecum tranſtulerit, ijſque auctus luculentas in Poloniâ poſſeſſiones, & prædia nobiliſſima coëmerit, familiamque felici ſucceſſu propagauerit. Duninus autem appellatus eſt, quòd veteres noſtri Vandali Danos Duninos quaſi robuſtos dixerint: habet hæc familia pro ſtemmate Cygnum, cuius ſurculi in multis Palatinatibus Regni ſparſi hactenùs conſpiciuntur, ſed potiſſima eorum in Palatinatu Siradienſi ſedes, & aliquot extant oppida, quæ ólim in ditione eorum fuerunt. Inde ortus Paulus Dunin Wolski, ſub Sigiſmundo Auguſto ſupremus Regni Cancellarius fuit, ſuſceptiſque ex legitimo matrimonio aliquot vtriuſque ſexus liberis, poſtremò iam prægrauante ætate & vxore mortuâ, quietioris vitæ causâ Epiſcopatum Poſnanienſem ſuſcepit, Cancellarijque munus depoſuit, nec multo tempore geſto Epiſcopatu ceſſit è vitâ. Hoc patre natus eſt Petrus Dunin Wolski, qui vt erat magni Senatoris filius, in tenerâ ætate accuratiori ſtudio primis literarum rudimentis imbutus, Patauium deinceps ſe contulit, vbi doctiſſimorum virorum contubernio vſus, ita in humanioribus literis profecit, vt & literatus, & ad eloquendum promptus inde redierit. Nec diu illi benè de Rege & Republicâ merendi in Aulâ Sigiſmundi Auguſti occaſio expectanda fuit; nam cùm & eruditus eſſet & prudens, ac res Regiæ poſcerent, vt tali indole præditus, ad Philippum Hiſpaniarum Regem mitteretur, qui negotium ſucceſſionis in Regno Neapolitano, ſecundùm mortem Reginæ Bonæ, quæ Regi vti filio eius debebatur, vrgeret & tractaret, illi hoc munus demandatum fuit, cuius rei gratiâ cùm in aulâ Hiſpanicâ per decem circiter annos manſiſſet, magnamque induſtriæ laudem tuliſſet, ſub exitum Sigiſmundi Auguſti inde euocatus in Patriam redijt; Regeque mortuo, ac Henrico Va-

leſio

lesio illi subrogato, tantum vel patris ipsius memoria, vel ipsiusmet etiam morum modestia doctrinæ & pietati coniuncta potuit, vt in Comitijs quæ Regi coronando indicta fuerunt, omnibus fauentibus Sigillum Regni minus illi collatum, ac Vice-cancellarius Regni renunciatus fuerit. Cumque opes paternæ fratribus cæteris cessissent, neque ille aliud sacerdotium præter Canonicatum Gnesnensem haberet, publico decreto illius inopiæ subuentum est, vt ex salinis Vielicien sibus duodecim millia florenorum annuatim illi darentur, donec per aliam occasionem aliter illi prouisum fuisset. In omnibus actionibus suis nihil nisi ordinatè gerere, & talis conspici voluit, vt ad numerum omnia fierent, certis horis, certisque spatijs ita omnia metiens, vt in exercendo etiam corpore quotidie certos passus conficeret; cibi quoque & potus ea moderatio adhibita, vt nihil nimium vnquam in eo apparuerit, ita à naturâ cõparatus, ita aulæ Hispanicæ moribus imbutus, vt hoc nonnunquam nomine cæteris fastidium pareret. Regem Stephanum Cracouiam primùm venientem Mogilam illi obuiàm progressus, eleganti excepit oratione, atque in Comitijs coronationis Regis, cùm Valentinus Dæbinski Cancellariatus munere se abdicasset, Volscius illi successor datus est, in eius locum Ioanne Zamoscio subrogato, ita vt cùm Cancellario Regni natus esset, Cancellarij munus etiam gereret. Non diu tamen hunc quoque gessit Magistratum, nam Petro Myscouio Plociâ Cracouiam translato, libentissimè hãc occasionem ab aulicis occupationibus se subtrahendi amplexus est, & Rege volente Episcopus Plocensis renunciatus. Episcopatu Plocensi adepto diu quiescere illi non licuit; breui enim fuit à Rege missus Legatus ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum in negotio Moschouitico; namque Moschouiæ Dux cùm videret se armis à Stephano Rege premi, neque tantum animi haberet, vt in campum prodire, & aperto marte illi resistere posset, ad summum Pontificem Gregorium XIII. confugit, fictâ religionis pietate pollicitus, si eo auctore pax cum Stephano Rege conficeretur, se imperiaque sua ad obsequium summi Pontificis traducturum. Cuius rei causâ, miserat summus Pontifex in Poloniam Antonium Posseuinum è Societate IESV, virum eruditum, & iam anteà in Septentrionalibus oris versatum, Rege Stephano non inuito hanc legationem acceptante, quòd nondum ad bellum Moschouiticum ita paratus erat, vt expensis hostium viribus certam sibi victoriam polliceri posset. Ne tamen Pontifex tales concordiæ conditiones ferret, quæ Regni & Regis rationibus consentaneæ non essent, legatione hac per Volscium institutâ cauere voluit. Rebus in Vrbe ex sententiâ Regis confectis, domum rediens Episcopus, reduxit secum ex Italiâ Matthiam Pstroconium, iam eo tempore qualis vir, quantusque futurus esset, eximijs virtutibus & eruditione pollicentem. Eo interregno, quod à morte Stephani Regis subsecutum est, cùm in varias factiones scissa esset Respublica, ille nulli addictus parti, eum in omnibus consilijs tenuit modum, vt solius

patriæ

patriæ amore, & conſeruandæ Catholicæ religionis in Diœceſi ſuâ, quæ ab hæreticâ labe ſemper immunis fuit, ſtudio duci videretur. Comitijs tamen tam Electionis, quàm Coronationis ægram cauſatus valetudinem non interfuit. Ad initium anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi admonitus, vt ipſe ſcribit ætatis ſuæ iam decurſæ ſexaginta annis, ipſis Calendis Ianuarij manu ſuâ Teſtamentum condidit, quo quâ pietate fuerit, & quomodo vitæ ſuæ rationes expenderit, quantum Eccleſiam ſuam Sponſam amauerit, luculenter teſtatus eſt: ſupellectilem certè omnem Eccleſiaſticam, tam in auro & argento, quàm etiam in veſtibus ſacris, quæ ſatis magna & elegans fuit, cùm in legatione Romanâ verſaretur, egregio opere & magno ſumptu comparata, vnà cum periſtromatibus, ac nobiliſſimâ Bibliothecâ Eccleſiæ Plocenſi Sponſæ ſuæ donauit. Id quidem fecit cùm nullâ aduersâ valetudine magnoperè laboraret, ſed quaſi præſcius ſe breui fatis conceſſurum: id quod accidit; nam eodem anno, die vigeſimâ menſis Auguſti, cùm ſine vllâ morbi ſuſpicione prandium abſoluiſſet, & à mensâ ſolus in cubiculum, in quo dormire ſolebat, ſe reduxiſſet, ibi (ignoratur quo caſu) dum feneſtram aperit, Pultouiæ mortuus repertus, & in Eccleſiâ Plocenſi ſepultus eſt. Creditum fuit, poſteaquàm aliquantulum ſomno indulſiſſet, caleſcente corpore apertâ feneſtrâ refrigerari voluiſſe, & aëre recenti perfuſum in apoplexiam incidiſſe. Vir erat naturâ benignus, pietatis amans, in conuerſatione iucundus & cunctis affabilis, eruditione pręſtans, & qui ſermones ac colloquia grauiſſimis ſententijs condire probè noſſet. Viſcouiæ in oppido Epiſcopali, ligneâ quidem materiâ, ſed commodâ ſatis formâ palatium condidit. Supremæ voluntatis eius executores, quorum alter fuit Decanus Plocenſis ex fratre, alter Paulus Czernieiewski Vexillifer Goſtinenſis ex ſorore nepos, interuertiſſe exiſtimabantur teſtamentum defuncti, quo nomine Decanus cum Alberto Baranouio Epiſcopo Plocenſi, qui Volſcio ſucceſſerat diuturnam habuit litem.

Albertus Baranovvski Epiſcopus Plocenſis LV.

SCribentibus hiſtoriam, nulla maior difficultas obijci ſolet, quàm cùm recentem nuper vitâ functorum memoriam ſcriptis inſerere volunt; nam niſi eos laudibus cumulaueris, non deſunt qui minimam eorum reprehenſionem, ſine quâ veritas ipſa ſibi non conſtat, tanquam id à maleuolentiâ aliquâ proficiſcatur, in ſiniſtram partem interpretentur. Multos quidem liberalitatis ſuæ alumnos reliquit Baranouius, qui etiam nũc in viuis ſuperſunt, ex quibus aliquem vel ſcripſiſſe, vel ſcripturum eius vitam non dubito. Nos ea tantùm attingemus, quę ad Epiſcopatum Plocenſem pertinent, ad quem ille nominatione Sigiſmundi Tertij Poloniæ Regis, cùm Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo, deſignatus, & ſucceſſor Volſcio datus eſſet, & Vice-cancellariatum ad voluntatem

tem Ioannis Zamoſcij Regni ſupremi Cancellarij, cuius fauore creuerat ſe accommodans, præter leges Regni diutiùs tenere vellet in Comitijs Varſauienſibus, ſub initium anni proximi celebratis, in quibus de Magiſtratu deponendo agebatur, graui Staniſlai Karnkouij Archiepiſcopi Gneſnenſis, & aliorum Epiſcoporum obiurgatione perſtrictus, inuito etiam Cancellario eo ſe abdicauit. Omnes quidem Magiſtratus ſatis adhuc immaturâ ætate conſecutus eſt, felicitate quadam, & quòd Ioannis Zamoſcij, qui apud Stephanum Regem plurimùm auctoritate potuit, gratiam demereri cęteris meliùs noſſet. Pari curſu in quouis honoris gradu aſſequendo cum Petro Tylicio contendiſſe videbatur: vtriuſque non alia doctrina vel eruditio fuit, niſi quam in Cancellariæ negotijs tractandis vſu & conſuetudine ſibi parauerant; neuter illorum vel Philoſophiæ, vel Theologię, aut etiam Iuriſprudentiæ initia in ſcholis hauſerat, ſed Tylicius longè ingenio Baranouio præſtabat, idque priuato ſtudio fuerat conſecutus, vt elegantiâ tam Polonici quàm Latini ſtyli polleret, ac in Senatu molli quodam & temperato ſermone citra cuiuſquam offenſam ſenſum animi ſui explicare ſciret, cùm è cōtra Baranouius, etiāſi vel ioco ludere vellet, non niſi acriùs verbis pungere videretur, & in Senatu non omnibus eius grata eſſet oratio. Is tamen à Rege Stephano Tylicio prælatus, adhuc anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo, Regni maior Secretarius renunciatus eſt, ac poſtmodùm mortuo Ioanne Borukouio Epiſcopo Præmyſlienſi, Præpoſito Plocenſi, ac Vicecancellario Regni Poloniæ, quaſi ex aſſe illius hæres eſſet, & ſacerdotia & magiſtratum defuncti obtinuit. Sub interregno in magnâ apud eos qui acta Regis Stephani ſeditiosâ factione minùs probabant, inuidiâ fuit, adeò vt in Conuocatione Varſauienſi Ordinum Regni, grande periculum adierit, ne iniuriam aliquam inſignem acciperet. Venientem ad capeſſendum Regnum Sigiſmundum Regem in portu Dantiſcano excepit, eique diplomata electionis nomine Procerum Regni detulit, atque deinceps toto eo tempore quo Vice-cancellariatum geſſit, ambiguo illius fauore vſus eſt, adeò vt Rex libenter videret eum depoſito magiſtratu ab aulâ ſecedere. Epiſcopatum Plocenſem adeptus, priſcâ quadam ſeueritate eum gerere inſtituit, infenſus ijs, qui officij & ſtatus ſui immemores, vel turpitudine aliquâ fæterent, vel munus ſacerdotale non ritè exequerentur, acrior multis viſus quàm gratior, & qui timeri mallet, quàm amari. Ipſe in omni vitæ genere conſtans, grauis, & vbi res poſcebat, liberalis, pius etiam & pietatis ſtudioſus apparere contendit. In tuendis iuribus Eccleſiæ non valdè felicem eum fuiſſe, vel Gorznenſis cauſa argumento eſſe poteſt. Criſciorum in Territorio Plocenſi familia nobilis & ſatis potens, Zielunenſium bonorum hęres, iam olim interuerſis limitibus, ingentem fundi oppidi Gorznenſis partem vi abſtraxerat: lis eo nomine illis mota, iam olim ab ijs qui Epiſcopi Plocenſes erant continuata, vſque ad Baranouij tempora perdurarat; hanc ille dum iure proſequitur,

ita Staniſlai Criſcij Palatini Maſouiæ,& Capitanei Plocenſis, fundi illius Gorznenſis vſurpatoris iram in ſe accendit, vt planè hoſtilem animum, etiam in publicis conſeſſibus & ſermonibus contra illum exerceret, ac in Conuentu Raciazinenſi, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo,factione Nobilitatis itaEpiſcopum oppreſſerat,vt ille loco conſeſſus cedere,& alio quàm quo venerat itinere domum redire cogeretur. Denique tantâ inimici potentiâ fractus, interuentu magnorum virorum, in Comitijs Varſauienſibus eò ſe adduci paſſus eſt, vt omni iure eius fundi, de quo lis erat, cederet eidem iniquiſſimo iurium Eccleſiæ occupatori. Quæ res cùm magno Eccleſiæ detrimento eſſe videretur, & ab alijs Baranouij ſucceſſoribus neglecta eſſet, quartus ab eo in Epiſcopatu Plocenſi ſucceſſor, totam eam rem in integrum reſtituit, decreto Tribunalitio reſciſsis iniquiſſimę tranſactionis & alienationis tabulis. Toto Epiſcopatus ſui tempore, tam Senatorij muneris, quàm etiam Spiritualis partes implere ſemper contendit, multumque vt Cleri mores ad præſcriptum ſacrorum Canonum formaret,laborauit.Præſcriptaſque eo nomine formas,tam in Cathedrali quàm in Collegiatis Eccleſijs reliquit, quas ſi eius ſucceſſores ſecuti fuiſſent, rectum Eccleſiarum regimen ad noſtra vſque tempora perduraſſet:cuius autem deinceps fraude eæ perierint, nobis non ſatis conſtat. Seminarium in quo Clerici ſacris initiandi alerentur,& literis imbuerentur,Pultouiæ ſub curâ Patrum Societatis IESV inſtituit, eidemq; Parochiam Croleuienſem,nobile olim beneficium, tum & prædium Pækowo attribuit, domum denique in eum vſum latere coctò ſatis magnificam,& multorum Clericorum capacem, ſuo ſumptu extruxit, palatium item Epiſcopi Plociæ muro inchoatum, ſed non perfectum reliquit, & in Bartodzieiouienſi prædio, eius quoque operâ domus lateritia ſtetit; in re familiari augendâ accuratus videri voluit, ſed dum bonorum adminiſtrationem locatoribus committit, inter alia Brocouienſem clauem,iam anteà per nepotem Volſcij Paulum Czernieuium ad vaſtitatem redactum, eodem,quamuis id inuitus faceret, in adminiſtratione eorumdem bonorum retento, penè ad extremum exitium redegit. Suſceperat quoque Romanam peregrinationem, cùm religionis causâ, tum vt Clementem Octauum cum quo illi familiaritas,dum ſub nomine Hyppoliti Aldobrandini, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis legatione in Poloniâ fungeretur, interceſſerat, in ſede Petri veneraretur: à quo benignè acceptus ac honorificè tractatus fuit.Habuerat in animo, ſimul atque Epiſcopus Plocenſis renunciatus fuit,vt prædijs nonnullis ab alijs bonis remotioribus diuenditis, ac coaceruatâ pecuniâ, ampliorem aliquam hæreditatem, in quâ Epiſcopus commodiùs morari poſſet, coëmeret, & palatium inſigne Varſauiæ, vbi publica Regni Comitia haberi ſolent, Epiſcopis Plocenſibus conſtitueret: præſtitit deinceps vtrumque. nã & diſtractis cõpluribus prædijs,bona Grodecenſia in Palatinatu Podlachię,magnâ Epiſcoporũ Plocenſium cõmoditate emit, & palatiũ gran-

 de

de ac nobile amplis coëmptis fundis, multiſque auctum ædificijs, ſyluis Iablonenſibus, in excoquendo latere magnâ ex parte conſumptis & exciſis, Varſauiæ extruxit. Sed cùm Epiſcopatu Plocenſi ceſſiſſet, ac neſcio quid controuerſiæ illi cum Martino Szyſcouio ſucceſſore interceſſiſſet, mutatâ voluntate, cùm iam Archiepiſcopus Gneſnenſis factus eſſet, hoc idem palatium Varſauienſe olim publicâ voluntate Eccleſiæ Plocenſi adſcriptum, Gneſnenſi Eccleſiæ addixit. Præfuit Eccleſiæ Plocenſi annis quindecim, Vladiſlauiam tranſlatus anno 1606. cuius reliquas res geſtas nos alijs ſcribendas relinquimus.

Martinus Szyszkovvski Epiſcopus Plocenſis LVI.

VIuit adhuc, etiamſi vitâ functus ſit Martinus Szyſcouius, viuunt ij qui ex eo & per eum orti, & magnis dignitatibus inſigniti, non poſtremum in Republicâ Polonâ locum tenent: ab his Eccleſia Plocenſis expectat claram & illuſtrem vitæ ipſius deſcriptionem, illis maximè notam qui cum illo vixerunt, qui ex illo creuerunt. Nobis adnotaſſe ſuffecerit illum ex Canonico Cracouienſi, beneficio Sigiſmundi Tertij Regis, primò Coadiutorem Staniſlao Gomolinſcio Epiſcopo Luceorienſi, mox ſucceſſorem datum, eaque omnia potiſſimùm promotione Sigiſmundi Myſzcouij ſupremi Regni Marſchalci, (cuius patruus vir magni nominis Petrus Myſzkowski Epiſcopus Crac. à teneris annis eum in tutelam acceptum ingenio illius delectatus fouit & promouit, ac ſacerdotijs exornauit; denique iuuenem ſatis, vnum potiſſimum è multis, qui Cancellarij munere apud eum fungeretur, delegit) conſecutum; & cùm Rex priore vxore defunctâ viduus, alteram ex familiâ Auſtriacâ prioris ſororem germanam ſibi deſpondiſſet, ad eam deducendam vnà cum eodem Regni Marſchalco miſſum fuiſſe, illâ adductâ gratiam Regiam meruiſſe, eademque promouente, cùm Albertus Baranouius Vladiſlauiam tranſlatus eſſet, Epiſcopum Plocenſem renunciatum fuiſſe. In quo cùm tredecim circiter annos Regi Sigiſmundo Tertio gratus ſediſſet, Collegium Patrum Societatis IESV Plociæ, villâ Lutobrok à menſâ Epiſcopali auulsâ, ac decimis Capitaneatus Lomzenſis attributis fundaſſet, dotaſſetque; arcem Pultouienſem ruinæ proximam, ſubiectis columnis fulſiſſet, Palatium Plocenſe à Baranouio inchoatum ædificijs promouiſſet, extinctis duobus Canonicatibus pinguioris fortunæ, ac nonnullis Epiſcopalibus prædijs adiectis, menſam Capituli Plocenſis auxiſſet, Petro Tylicio Epiſcopo Cracouienſi, ex hac vitâ decedente ſubrogatus eſt, anno 1617.

Henricus Firley de Dabrovvicâ Epiſcopis Plocenſis LVII.

PAtritia Firleiorum familia non anguſtis Sarmatiæ terminis continetur, ſed quàm latè orbis Chriſtianus extenditur, eò vſque fama illius pro-

prouecta est. Hac is Henricus Firley, qui fuit Episcopus Plocensis, patre Palatino Cracouiensi, supremo Regni Marschalco, hæreticorum in Poloniâ antesignano natus, & ab Henrico Andegauensi tum Poloniæ Rege, ex cuius nomine nomen accepit è sacro fonte leuatus, ac statim patre mortuo curâ matris optimæ Catholicè educatus, & literis tam in Poloniâ quàm in Græcensi Styriacâ Academiâ imbutus, ad summum Pontificem Clementem VIII. se contulit, qui notæ sibi familiæ iuuenem eo fauore complexus est, vt eum inter Cameræ suę familiares adsciuerit, atque in obsequijs suis satis cum laude versatum in patriam redeuntem, Sigismundo Tertio Poloniæ Regi impensè commendauerit; quo fauore satis adhuc immaturâ ætate omnia consecutus est. Referendarius Regni, pòst Vice-cancellarius factus; his gestis Magistratibus, primò Luceoriensis, mox Plocensis Episcopus creatus est: cuius possessionem anno millesimo sexcentesimo, decimo octauo apprehendit, eundemque Episcopatum vsque ad annum millesimum sexcentesimum vigesimum quartum, quo possessionem Archiepiscopatus Gnesnensis, ad quem translatus est, adijt, rexit. Illius sumptu & operâ, vt cætera taceam, conspicitur pons ad arcem Pultouiensem fornicato opere magnificè structus, hortus muro circumdatus, & ante omnia, palatium Brocouiense à fundamentis cocto latere excitatum, cui tamen vt successor supremam manum imponeret, illius ad Archiepiscopatum Gnesnensem translatione factum est. Cætera vel præsens ætas laudabit, vel futura liberiùs reprehendet.

Hieronymus Cielecki Episcopus Plocensis LVIII.

SErò admodùm Hieronymus Cielecki, & penè exactâ ætate sacris initiari voluit; nam cùm satis maturus ad aulam Regiam accessisset, & à Ioanne Tarnouio Regni Vice-cancellario, in numerum Cancellariæ suæ Scribarum receptus esset, in eâ deliberatione vtrùm vxor ducenda, an verò cælebs vita agenda esset, hæsisse visus est. Igitur per annos circiter quindecim, ita & in aulâ & Regijs obsequijs non sine laude & probitatis commendatione versatus est, vt quem voto vitæ finem petiturus esset, non satis cuiquam constaret: tandem suadente Petro Tylicio Regni Vice-cancellario, propè quinquagenario proximus, Clericalem habitum induit, maximè cùm videret sibi tot annorum decursu occasionem non patuisse alicuius fortunæ incrementi. Meritò sanè queri potuerat, aulam & fortunam minùs propitiam se diu expertum fuisse, cùm tamen omnium opinione dignus existimaretur, cuius maior haberetur ratio. Presbyter factus eâ pietate enituit, vt cùm omnium, tum potissimùm Sigismundi Regis oculos in se conuerteret, commendante eum Matthiâ Pstroconio Episcopo Pręmisliensi, & Regni Vice-cancellario, quo auctore missus fuit ad Principes Italię, ad Regias nuptias, quę tū cū Constantiâ

Austriaca parabantur, inuitandos, eaque legatione cum laude obitâ, cùm toto Pstroconij Magistratu inter Regios Secretarios primus haberetur, eiusque non tam ab eruditione, quàm à longo aulæ vsu quæsita industria spectaretur, Matthia Pstroconio Magistratu Supremi Cancellariatus ob adeptum Episcopatum Vladislauiensem cedente, & eundem Laurentio Gembicio Episcopo Culmensi, cum quo Cielecio vel potiùs fratribus ipsius, aliquæ sanguinis necessitudines intercesserant, capessente, Regis & Gembicij pronâ voluntate, Cancellariæ Regni Maioris Regens renunciatus fuit. In quo munere obeundo non multum ille negotij, vel curæ habuit, nam & Gembicius vir eruditorum elegantissimus, non multum in scribendis literis alienæ opis indigebat, & cùm eo tempore Sigismundus Rex, suscepto contra Moschos bello, biennali obsidione Smolenscensi arce cinctâ extra Regnum esset, ille verò in Polonia mansisset, ac eodem quoque anno, nempe millesimo sexcentesimo nono Pstroconio vitâ cedente Gembicius Episcopus Vladislauiensis renunciatus, deinceps quoque non multum in aulâ Regia versaretur, omnis maioris industriæ exercendæ occasio Cielecio interclusa esse videbatur. Reginæ tamen Constantiæ quæ Vilnæ, Rege in Moschouiâ bellum gerente, degebat, ita inseruiuit, vt ea eximiâ illius pietate mota, gratum eum habuerit atque suum Cancellarium declarauerit, quem gradum consecutus, & magis intimæ familiaritatis Regiæ vsurpandæ, maiorisque fauoris comparandi facultatem nactus, adeò gratus acceptusque domui Regiæ fuit, vt Henrico Firleio Vice-cancellariatum Regni capessente, munus Referendariatus Regni, quod Firleius gesserat, vnà cum Præpositurâ Plocensi ad illum delatū fuerit. In quo dignitatis loco collocatus, & fortunis locupletioribus auctus, diu præsetulit se omnino Episcopatum vllum non acceptaturum; cùm tamen deinceps cerneret, se aliter aulicæ vitę finem statuere non posse, & iam negotiorum eiusmodi, atque adeò gratiæ & fauoris Regij illum tæderet, vacante, vt dictum est, Episcopatu Plocensi, prioris voti & desiderij sui veluti oblitus, id quod illi ab amicis exprobratum fuit, summâ contentione eum à Rege petijt, & obtinuit. Sexagesimum primum & ampliùs annum ætatis agebat, cùm ad gerendum Episcopatum accessit, maiorem tamen vocationis & status sui, quàm senectutis aut valetudinis rationem sibi existimauit, ac totus erat in exercendâ functione Episcopali, etiam si crebriùs ad aulam euocatus sæpiùs à Diœcesi abesse cogeretur, & grassantis eo tempore pestis periculis impediretur. Biennio in Episcopatu exacto, laboribus & rupti peritionæi casu morbum fatalem sibi acciuit, quo iam ictus, ita tamen labori sacro indulsit, vt diebus ijs qui sacrum Pascha antecedunt, omnia Diuina Officia per se exequeretur, ac solenniter etiam Sacrosanctis ad altare Cathedralis Ecclesiæ Plocensis sacrificijs obeundis, neminem alterum vices suas implere sineret; accessit acris & continua febris, quâ tandem die decimâ sextâ Aprilis piè & religiosè admodùm, cùm ad suscipiendum hunc

extre-

extremum agonem, præclarè ſe obſirmaſſet, vitam cum morte Plociæ commutauit, milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo. Vir fuit candidi planè pectoris, & in omni genere vitæ, id præcipuè in votis habuit, ne quenquam læderet, nulli ne moleſtus eſſet, niſi quod ab aliquibus paulò verboſior haberetur, citra tamen cuiuſquam iniuriam. Funus eius nos, qui Nominatione Sigiſmundi Regis, altero à morte Cielecij die in Epiſcopatum Plocenſem, quod quidem Cielecius dum viueret, ſe magnoperè optaſſe declarauerat, ſucceſſuri eramus, curauimus, die decimâ-ſeptimâ Maij, multis eius fratribus & conſanguineis, vt erat ex illuſtri & copioſâ cognatione abundante familiâ ortus, hoc idem ſupremum munus illi pio cultu exoluentibus.

Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis LIX.


HIc vbi Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis ſcribere ac viuere deſijt, ego ſumo calamum: vt vitam eius, quam ille (ſuorum in Epiſcopali Cathedrâ Prædeceſſorum ab obliuione vindex) ſilentio inuoluit, pro eo grati animi nexu, quo ei æternùm obſtringor, paucis euoluam. Etſi enim quis & quantus vir ille fuerit, præſens ætas non ignoret, tamen operæ pretium erit, notitiæ poſteritatis conſulere; quam Staniſlai Lubienij pietatis in Eccleſiam Plocenſem monimenta relegentem, fortè ſubibit penitiùs illum noſcendi cupido. Genus illi vetuſtum & nobile, biſontis ſiue bubali caput tranſuerſo gladio tranſactum inſigne gerens, Pomianum vulgò nuncupatum: eò quòd Vieniauius, familiæ huius auctor, fraternæ cædis Decani Vladiſlauienſis reus, expiato cùm pijs, tum præclaris pro patriâ factis (vt tum belli erant tempora) ſcelere, villaque illius hæreditariâ Lubanie Eccleſiæ Vladiſlauienſi adiudicatâ, inſuper Principis iuſſu, auitum ſtemma Wieniawa, biſontis ſiue bubali capite enſe transfixo mutauerit. Sedes familiæ huius fuit in Cuiauia, ſed poſtmodùm eâ nati, diuerſa cognomina ſiue ex villarum poſſeſſarum nomine, ſiue aliunde aſſumpsêre: hinc genus ſuum ducunt Socolouij, Colucij, Grabſcij, & in Territorio Siradienſi Iarunti, ijſque orti Niewieſzij ſatis olim clari: qui rurſus ad diſcrimen aliorum Hebdarum nomen ſibi neſcio vnde petitum, induerunt. Hos & totam Pomianam ſtirpem decorauit Nicolaus Hebda de Niewieſz, tempore Venceſlai Bohemi Regnum Poloniæ vſurpantis, Palatinus & Capitaneus Siradienſis. A quo & eius Nepote Nicolao Hebda de Niewieſz, complures (inter quas vtraque Lubna) coemptæ in Territorio Siradienſi poſſeſſiones, illuſtrem & locupletem in vno ambitu effecerant conditionem: ſed poſtmodùm auctâ ſobole, atque inter plures hæreditate, paulò ampliùs quàm ante ducentos annos diuiſâ, Pomianum genus maius quidem numero, minus opibus, diuerſum cognominibus eſſe cœpit: nam villarũ vocabula prout illæ cuique ex poſteris Nicolai Hebda de

 Niewieſz

Niewiesz cesserant, distincta cognomina dominis dedere. Lubienij tulit nomen, qui vtraque Lubnâ prope Siradiam potitus est: quarum ambarum dominus, Stanislai Episcopi proauus, improspero Casimiri Tertij Poloniæ Regis ad Choyniciam prælio, contra Cruciferos depugnans, summum vitæ discrimen adijt: sed voto facto, se quolibet die Sabbathi dum vita suppeteret ieiunium seruaturum, illud euasit. Hac vetustâ stirpe natus, Suentoslaus Lubienski, duobus Episcopis totidemque Presbyteris filijs felix, Stanislai Episcopi Plocensis Pater fuit: Mater verò Barbara de Zapolice Matthiæ de Buzenin Pstrokonski Episcopi Vladislauiensis & Pomeraniæ, Regni supremi Cancellarij soror consobrina, honesto & amplo, opibus, gloriâ, orta genere. Quod cùm altiùs repeto, inuenio ante trecentos annos Zapolios & Koniecpolios eosdem fuisse; atque Iacobum de Koniecpole Castellanum Rudensem, (sic eo tempore Wielunen. ditio appellabatur) auctorem (vt huius nobilissimæ Domus magis vetustas origines taceam) generis & stirpis extitisse; ac deinceps vtrosque cum Przerębscijs, Roxicijs, Gomolinscijs, multos affinitatis nexus contraxisse, vt acta & tabulæ tam Terrestria quàm Castrensia Territorij Siradiensis vberiùs testantur. Sub talium parentum domesticâ curâ Stanislaus vsque ad id tempus ætatis, quod literis capessendis idoneum est, habitus, ijsque quà Siradię, quà Calissij, loco nobilissimo Clericorum Societatis IESV Gymnasio illustri, prompto semper & facili ingenio haustis, atque in Lencicięnsis Castri Cancellariâ, iuris patrij (quod non audiendis publicè magistris, sed vsu in ijs locis in quibus Regij Præfecti ius reddunt addiscitur) cõparatâ notitiâ, relictisq; ibi diligentiæ monumento manu suâ conscriptis tabulis, toto deinceps tẽpore, quoad Pstroconius Episcopus Vladislauiensis & Pomeraniæ, Regni supremus Cancellarius vixit, nõ alumnus modò eius domesticę disciplinæ, sed adiutor laborũ fuit. Nã in primis cùm Ioannis Tarnouij, Regni Procancellarij beneficio, Regiam Cancellariam regeret Pstroconius, in aulã Regiam euocatũ Lubienium, scribendisq; Regio nomine literis adhibitũ, in Sueciam (Rege capessendi Regni paterni causâ eò proficiscente) secum duxit: deinde reuersum, grauiorumque literarum causâ, primò Gratium in Styriam, posteà in Italiam profectũ, illisque doctũ illinc exciuit, expertusque est iam tunc Episcopi Præmisliensis, & Regni Cancellarij munus gerens, egregiam Lubienij sui in omnibus Cancellariæ negotijs operam, & industriam: præsertim turbulento illo tempore, quo paucorum audaciâ moti agitatique populi, fide ac reuerentiâ erga legitimum Principem Sigismundum Tertium exutâ, ferrum contra eundem parabant, quod mox strinxerant. Extant confecti à Lubienio cùm profectionis Sigismundi Tertij in Sueciam, tum motuum ciuilium Commentarij, sermonisque à Pstroconio tum Præmisliensi Episcopo de rectè gerendo Episcopatu habiti monumentum: Lubienianæ erga eum gratitudinis non leue specimen. Pstroconio intra paucos dies, ab obtento Episcopatu Vladisla-

Anno 1606. & 1607.

Vladiſlauienſi morte ſublato, patuit mox Lubienio benignitas Laurentij Gembicij, Pſtroconij in Cancellariatu ſucceſſoris, Andreâ Luceorienſi, Petro Præmiſlienſi & Regni Supremo Cancellario, Epiſcopis, Ioanne Regni Secretario, nepotibus & diſciplinæ illius alumnis, rari præterea ingenij felicitate, & humanitatis famâ ad poſteros clari: qui Lubienium tunc Præpoſitum Gneſnenſem, iudiciſque pro eadem Ecclesia munere in vniuerſali iudicio Regni (quod vulgò Tribunal vocatur) functum ad aulam reuocauit, grauioribus curis adhibendum. Cæterùm Lubienius cumulatè operâ & induſtriâ Gembicio probatâ; poſtquàm Prouinciam luſtrandi Archiui Regni, fratre Matthia laboris ſocio adiuncto, à Rege nactus, iterum ab aulâ ſeceſſit, accuratâ recognitione illius cartophylacij peractâ, nuntio aulæ remiſſo, vitam priuatam agere ſtatuerat: cùm apud Petrum Tylicium Epiſcopum Cracouienſem, qui in partem laborum Epiſcopalium aſſumptum, Curiæ ſuæ Cancellarij titulo, & Archidiaconatu Cracouienſi ornauerat, agentem, honos non petentem inuenit: Felice Criſcio, Regni Supremo Cancellario, Regentis Cancellariæ Regiæ munus ad eum vltrò deferente. Quod ipſemet Tylicio ſuadente ſuſceptum triennio geſſit, vſque dum Abbatiæ Tinecenſis ſuſcepit regimen, templo ibidem magnificè & parte monaſterij ab eo extructâ memorandum. Sed ante omnia induxerat in animum, religionis Diui Benedicti ſacramento ibidem ſe obligare; verùm deſideria eius, ſecreta Regis Sigiſmundi deſtinata morabantur, qui vltrò apud Sedem Apoſtolicam effecerat, vt Lubienio Vicario Abbatiæ illius cura, quinquennio ampliùs continuaretur. Habebat hoc inter cætera prudentiſſimi ſui arcana imperij Sigiſmundus Tertius, cùm recentiſſimæ ſemper memoriæ Rex, tum ante omnia quæ ei ſua virtus fortunaque dederat, pietate in Deum, & beneficijs in hanc Rempublicam inſignis; vt Regij iudicij trutinâ, cuiuſque mores & ingenium penſando, quos probatos habebat, in animi ſui occulto, Eccleſijs magiſtratibuſque olim præficiendos teneret. Hac Regij iudicij ſtaterâ, diu examinatum Staniſlaum Lubienium, ad Epiſcopatum Lucæorienſem promouendum Sedi Apoſtolicæ nominauit; iamque Epiſcopali dignitate conſpicuum, nouo honore auxit, Procancellariatu Regni ad eum delato. Quem non ampliùs triennio ſuſtinuit; quippe deſideranti ſe ab aulâ ſubducere, totamque operam in gerendo Epiſcopali munere ponere; voto potiendi opportunam facultatem Plocenſis Cathedra tunc vacua, & in Procancellariatu egregia Iacobi Zadzik, id temporis Culmenſem, inpræſentiarum verò Cracouienſem Eccleſiam laudabiliter moderantis merita, inueterataque prudentiæ fama ſucceſſorem dedit. *Nominatus Epiſcopus Plocenſis 1627.* Raro quiſpiam aliàs tali ſucceſſore felix: non ob amicitiam modò, quæ ſumma inter eos à primâ iuuentute viguit, ſed raras præterea viri, quà Chriſtianas & morales, quà ciuiles virtutes. In gerendis magiſtratibus, haud ſemper magnis magni ſuccedunt, potens enim eſt in hæc quoque ſicut per omnia hu-

Adijt verò Cathedram 1628. die 2. Maij.

mana varietas, & vicissitudo. Ob calamitates quę belli Suetici turbine agitatâ Prussiâ, vicinam Plocensem Diœcesim vniuersam premebant, parùm prospera prima Episcopatus nactus erat, effeceratque imminens Territorio Gornensi (quod Plocensis Ecclesiæ patrimonium est) ab hoste Sueco periculum, vt ibi teneret ducentorum ferè militum præsidium, ad prohibendas saltim hostium incursiones: sed commisso paulò pòst in Gornensibus campis prælio, nostrisque acie victis, non in Gornense modò oppidum incendio, sed in vicina in villis alijsque oppidis templa expilationibus ab hoste sæuitum est. Pace tandem patriæ restitutâ, lætior rerum facies, faciliorque ratio regendæ Diœcesis successit: quam ille medio intra censorium rigorem & incuriam tenore, institutis sæpiùs Cleri visitationibus, actis Synodis, ex præscripto Sacrorum Canonum, prudenter & paternè gubernans, secundam quoque partem Episcopalis in Poloniâ officij, hoc est Senatorium munus, implere contendit. Quidquid vtile in publicum, sapientiâ præuisum, ore, calamo, promere, vrgere, monere, prout res poscebat magistratus, ad Comitia in tempore venire, prima etiam initia non negligere, comite semper fratre Matthia, in publicis negotijs muneribusque obeundis more nescio, nunc verò Vladislauiensis Ecclesiæ pedum & infulam, Metropolitanæ Gnesnensis cruci & pallio, virtute duce, communique omnium plausu permutante. Nihil vnquam grauioris publicè contigit negotij, cui expediendo Stanislai Lubienij rara in capiendo consilio prudentia non adhiberetur, non fœdera sancita, non pacta cum vicinis firmata, non rescripta edita, non legati Regijs instructi mandatis, non de publicis negotijs ad ordines relatum, nisi vel à Principe, vel ijs qui Regiæ Cancellariæ summâ cum potestate præfuerunt, appellato priùs & consulto Lubienio. Hoc etiam quod proximè morte Sigismundi Tertij antecessit Interregno, cùm Conuocationis conuentum, Electionis & Coronationis Comitia, splendido & frequenti amicorum & clientum comitatu obiret, nihil neque in publico consilio deliberatum, neque inter eos agitatum, qui publicè delecti, priuatis in consessibus difficiliores materias tractabant, vbi eius consilium, auctoritas, vox non interuenerint. Regno tandem communi Ordinum omnium suffragio (magno rei Polonæ bono) ad Vladislaum Quartum delato, potissimus ab eo electus est, qui nunquam interituras laudes Sigismundi Tertij Regis nostri (cui tunc & Constantiæ Reginæ sub tempus Comitiorum Coronationis parentabatur) funebri prosequeretur oratione, quâ quadraginta spatio annorum, in varijs negotijs muneribusque obeundis, nauatam optimo Principi operam clausit. Neque nescius sum, fuisse interdum reprehensam eius quasi nimiam in publicis negotijs solicitudinem, & à plerisque habitum, qui parua etiam pericula, quadam animi ægritudine in maius acciperet: cæterùm quisquis ita existimat, tribueret id potiùs ingenij perspicuitati, omnia scrutantis perpendentisque. In humanis vtique cùm de publicâ salute agitur, nihil tam leue esse,


ue esse, quòd non magnæ interdum rei momentum in vtramque partem faciat. Affulgente melioris æui spe, cùm Vladislaus Quartus deuictis, vel alijs solâ ostentatione armorum ad pacem compulsis hostibus, adeptum Poloniæ Regnum, triumphis gloriosum, pace felix effecit: conuertit Stanislaus Lubienius oculos liberalemque manum, ad comparanda noua sponsæ suæ Ecclesiæ Plocensi decora. Ille insignem illius Basilicæ structuram temporum iniuriâ, & diuturnâ incuriâ collabentem suffulsit, & picturis exornauit; ille in eâ Collegium vno de viginti Sacerdotum & Subdiaconorum ad psallendum nocturnis diurnisque Horis fundauit, Musæoque sponsæ suæ constituendo ornamento annuos reditus assignauit; ille diuturnæ de finibus territorij Gornensis controuersiæ, recuperato amplo fundi tractu finem imposuit, atque beneficentiæ suæ partem in literas & literatos deriuans, Collegij Pultouiensis Societatis IESV, & Noscouiam Cracouiensis Contubernij inopiam, luculentis pecuniæ summis subleuauit; & insuper insignem Bibliothecam Episcopis Plocensibus donauit; in quâ posteri minoresque nostri eius in liberalissima studia amorem perpetuò legent. Non hîc stetisset ardens eius cultus Diuini propagandi studium, nisi intercessisset fatale heroicorum facinorum magnis viris impedimentum, mors: quæ Varsauiæ Comitiorum causâ degentem, sexto ante supremum diem mense, languore corporis animique correptum, Viscouiæ ad vltimum certamen se præparantem, die sextâ Aprilis de more quidem languidum & imbecillum, cæterâ nullâ nouâ tentatum ægritudine, recitatis pro more Ecclesiasticis precibus matutinis sequentis diei, momento temporis animi corporisque viribus destitutum, interim Sanctissimum IESV & Dei Matris nomina cientem, adstante illi Simone Pruski Societatis IESV Presbytero conscientiæ moderatore sine cruciatu sensuque doloris sustulit, Anno ab adepto Episcopatu Plocensi Decimo tertio, ætatis sexagesimo septimo, Salutis 1640. Cuius supremis Matthias frater natu maior, Archiepiscopus Gnesnensis, tunc Vladislauiensis, prçcoci fraterni fati ictu cunctis altiùs confossus honorem habuit, cineresque tumulo in Cathedrali Plocensi intulit. Firmus semper Stanislaus Lubienius aduersus ea stetit, quibus vel boni plerumque indulgent, gloriam ex rebus à se gestis spernere, non quærere sciens; sed illâ spretâ ita cumulata redijt ad eum, vt eâ vel Romæ clareret: prædicatoribus ibi eius virtutum, Cosmo de Torres, & Antonio Sanctacrucio ex Apostolicis in Poloniâ Nuntijs S. R. E. Cardinalibus, tum viro grauissimo Honorato Vice-comite, Vrbani Octaui Pontificis Maximi munus Nuntij hîc perhonorificè agente, ac Annibali Bentiuolo vtriusque signaturæ Referendario, qui Ioanni Alberto, Sigismundi Regis tertio genito, purpureo galero Pontificis nomine delato, in Vrbem rediens, quas viderat Stanislai Plocensis Antistitis virtutes peramplè commendauit. Eo conciliatore cœpta inter Lubienium, & Guidonem Cardinalem Bentiuolum, virum scriptis suis orbi Christiano notum, atque

ob

ob gestas præclarè Pauli Quinti Pontificis Maximi, in Belgio & Galliâ legationes, summumque ingenium & prudentiam nostrâ ætate celeberrimum, amicitia, mutuo literarum officio culta, vsque ad extremum Lubienij vitæ perdurauit. Iuuat huc afferre illius Epistolam mihi quem Romæ singulari semper prosecutus est beneuolentiâ scriptam, testem illius existimationis, quâ Lubienius foris etiam apud magnos viros floruit.

Commune vulnus, quod inflictum est Reipublicæ literariæ, ob mortem Illustrissimi Episcopi Plocensis, te nominatim affecit, qui virtutum sanguinisque coniunctione affinis ei eras. Quamobrem maiorem in modum tuo dolore tangor, licet cùm demortui clarissimi viri nomen intueor, omnem ab animo mœrorem penitus abstergendum esse existimem, cùm in suæ gloriæ immortalitate, perpetuò sit vitam felicissimam ducturus. Illum enim religio Catholica propugnatorem acerrimum, eloquentia lumen eximium, Polonicus Senatus prudentiæ normam suspicient, ac mirabuntur. Itaque tantorum memoria meritorum, communi mortalium malo planè medicinam faciet, apud te præsertim, quem eâ constantiâ noui instructum, quæ nouit & aduersa forti, & prospera moderato animo tolerare. Mea officia in qualibet rerum vicissitudine tibi offero. Romæ VIII. Calend. Iulij 1640. Hactenùs Cardinalis Bentiuolus.

Taceo quæ viri eruditissimi de Stanislao Lubienio senserint scripserintque: sufficiet illi luculentum Vladislai Quarti, non magis Poloniæ quàm ingeniorum & prudentiæ hac ætate Regis elogium, qui defunctum prudentissimi & grauissimi Senatoris titulo dignatus est. Quare & ego hîc sisto calamum, non memoriam, quam tanti viri & patroni nulla in me delebit obliuio, nulla obliterabit vetustas.



Vita

Vita & Obitus

MATTHIÆ DE BVZENIN

Pstrokonski Episcopi primùm Præmisliensis, dein Vladislauiensis, & Regni Supremi Cancellarij.

IACOBO ZADZIK,

SECRETARIO REGNI MAIORI,

Salutem & felicitatem

Stanislaus Lubienski, tum Abbas Tinecensis, & Regiæ Maiestatis Secretarius.



ON est opus, Vir Amplissime, multis vt verbis tibi explicem, quantùm ego Matthiæ Pstroconio Episcopo Vladislauiensi debeam: Et si enim tua ætas non attigit ea tempora, quibus ego penè puer ab illo è scholis euocatus, sub disciplinâ eius adoleui; sed vel ex illo ipso) nihil enim vnquam ille te celauit (vel ex me, cùm olim in eodem contubernio versaremur, discere potuisti, me fratresq; meos creuisse fauore ipsius. Agnosco ego id libenter, & quoad viuam semper præmeferam, me illi secundùm Deum omnia debere. Ingratus essem, si aliter sentirem, ille enim me accitum ad se, admouit statim grauioribus curis, exercendæ industriæ præbuit materiam, iis qui tum summæ rei præerant, & quod caput est, SERENISS. REGI NOSTRO *monstrauit & commendauit; effecitq;, vt eo etiam vitâ functo alij de me non malè sentirent. Totum istud fluxit ex fonte beneuolentiæ ipsius. Vixi ego apud eum viginti propè annis, dictorum factorumq; eius conscius, in quibus cùm summum virtutis & pietatis studium enitere animaduerterem, non in P. stroconium modò ingratus essem, sed in publica etiam peccarem commoda, si ea reticerem, quæ breui hoc scripto comprehensa ad te mitto. Agnosces imaginem notæ Tibi virtutis, agnosces exemplar religiosi Sacerdotis, boni Episcopi, prudentis Senatoris, si modò nos ea ita vt erant delineare potuimus; volui-*

voluimus quidem, ac vt hæc narratio luculentior esset, quædam etiam interseruimus, quæ ad pernoscendas res superioribus annis actas pertinebant, in quibus describendis nonnihil nos operæ ponere non te latet. Cui enim nos & nostra libentiùs communicemus quàm ei, quem licet virtutis comes felicitas altiùs extulit, & egregiis auxit honoribus, colis tamen constanter, dudum susceptæ inter nos amicitiæ iura, quotiescunq; Te adire volumus excipis humanissimè, foues complexu. Creuisti & Tu, nec enim diffiteris, ex fonte disciplinæ Pstroconianæ, admiratus es virtutem viuentis, leges, vt opinor non illibenter, quæ nos de illo iam vita functo scripsimus. Vera autem nos scripsisse tu testis es luculentissimus, tu idem & nos & Pstroconium tueberis contra inuidiæ morsus, quanquam hæc nec quiquam mortuum arroserit, in quem nihil iam iuris habet. Virtus eius viuit, & florescet sæclis innumerabilibus. Precor Deum, vt amplitudinem tuam maioribus augeat incrementis, Teq; Ecclesiæ Dei, Reipublicæ, & nobis amicis tuis, diu seruet incolumem. In Cœnobio Tinecensi Calendis Iunij. Anno Domini, M. D. C. XXII.

Gentilitij Rosarum in Poloniâ stemmatis origo. Poraius S. Adalberti frater gentis princeps.

VI primus in Poloniâ familiam, quæ Rosam gentilitij decoris insigne gerit, propagauerit, Poraius Diui Adalberti Bohemi, à quo Septentrionales istæ regiones fidei Christianæ rudimentis imbutæ sunt, frater fuisse perhibetur. Cùm enim sanctissimus ille Antistes illustri in Bohemiâ familiâ ortus, & ob virtutes pietatemque Pragensis Ecclesiæ Episcopali dignitate ornatus, gentis eius maximis iniurijs, (quæ eò grauiores erant, quò magis actiones populi pietatis Christianæ minimè capacis, legi Diuinæ & sacrosanctis Ecclesiæ institutis aduersabantur) permotus, ingratam patriam & Episcopalem sedem relinquens, ad exteras regiones proferendæ & augendæ Diuinæ gloriæ causâ se contulisset; vlturi hanc contumeliam Bohemi, odio non magis in virum sanctum, quàm in religionem ipsam concepto, tres fratres eius interemerunt, totum cum stirpe deleturi genus, ni quartus Poraius nomine, pręsentis mortis periculum euitans, in Poloniam effugisset. Is siue Principum Poloniæ, apud quos Diui Adalberti & nomen dum viueret, & memoria, posteaquàm fuso pro Christo sanguine, ad cælestem patriam migrasset, clara & accepta erat indulgentiâ, siue quod magis existimandum est, Dei singulari gratiâ incrementis fauente, non multò tempore in tantum creuit, vt posteri ipsius & opibus, & dignitate cæteris, quę vnquam in Poloniâ claræ & illustres fuerunt, familijs pares essent: Sed cùm ex hac stirpe nati surculi, in diuersis Regni partibus, nouas de-

Rosarum gentis per diuersas familias propagatio.

inde

inde ſub alijs nominibus familias produxiſſent, gentilitiaque Roſarum ſigna, diuerſis ex cauſis immutaſſent, Buzeniorum domus, à primo originis initio, in Siradienſi Territorio ſedem fixit, vbi Buzeninum oppidum, ab eiuſdem nominis non ignobili in Bohemiâ loco, mutuato vocabulo, à Poraio conditum, (à quo Buzeniorum etiam familia, appellationem ſortita eſt) antiqua gentis primordia oſtendit; cuius Boleſlao, qui rebus fortiter in bello geſtis, Audacis nomen ſibi peperit regnante, annales noſtros euoluenti, non ignota eſt memoria. Poſteriori verò tempore, ferax virtutum & magnorum virorum illa propago ita adoleuit, vt & in toga, & in bello ſingulari laudis & gloriæ incremento enituerit; proximo quidem ſuperiori ſeculo, Ioannes Gruſcinius Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Creſlaus Curoſuanſcius Epiſcopus Vladiſlauienſis, vterque Roſarum domo orti, & Buzeniorum cognati, vetuſti nominis ſplendorem recentibus auxêre titulis; Gruſcinius eò feliciùs, quòd Andream cognomento Roſam de Boriſzewice, (vicus is ditionis Buzeniorum noſtrâ memoriâ fuit) ſucceſſorem in Archiepiſcopatu Gneſnenſi, ſuâ promotione potiſſimùm ad eum dignitatis gradum euectum reliquerit. Curoſuanſcius verò Ioannem Laſcum, gente Corabitam, Roſeæ familiæ conſanguineum, virum omni memoriâ dignum, ad ſimile faſtigium protulerit, qui à Creſlao quidem educatus, atque publicis Regni Magiſtratibus gerendis admotus, ab Andrea verò Roſa Archiepiſcopo adoptatus, vtrique & Creſlao & Andreæ fixis eorum memoriæ poſt mortem monumentis gratiam retulit. Creſlao quidem in Eccleſiâ Vladiſlauienſi his in marmore, ex quibus grati animi ſignificationem quiuis facilè elicere poteſt, ſculptis verbis: *Creſlao de Curoſuanki Epiſcopo Vladiſlauienſi, Ioannes de Lasko Archiepiſcopus Gneſnenſis, Cliens Patrono*. Andreæ verò in Gneſnenſi Eccleſiâ monumentum erexit, his inter alia additis: *Adoptionis memor totam denique Buzeniorum complexus ſuo patrocinio familiam, à quâ proximè tantis auctus erat beneficijs.* Spithconem quidem de Buzenin magnum proximè defuncti Matthiæ Epiſcopi, cuius memoriam prodimus, patruum Sacerdotio & Canonicatu Gneſnenſi inſigniuit; cæteros verò ſuo fauore ad ampliores fortunas prouexit, è quibus Hieronymus de Buzenin Supremus Regni Theſaurarius, vir, vt Velleij vtar verbis, in tantùm laudandus, in quantùm virtus intelligi poteſt, Sigiſmundi Auguſti Regis gratiâ multum floruit; frater verò ipſius Petrus Iudex Siradienſis Terræ, quamuis infra Senatoriam dignitatem conſtitiſſet, non minore tamen virtutis & probitatis opinione apud omnes fuit, vterque quidem infelici quodam æui illius fato, relictâ Eccleſiâ Catholicâ, ad Lutheri dogma deſciuerat; quo fortaſſe factum eſt, vt Theſaurarij maſcula ſoboles in filijs eius extincta ſit: Petri verò, cùm is filios duos reliquiſſet, alter quidem eorum Ioannes Capitaneus Oſtrzeſouienſis, magnæ expectationis iuuenis, & Regi Stephano acceptiſſimus, in ipſo orientis fortunæ curſu immatura morte interceptus,

Ab eadem ſtirpe profecta Buzeniorum domus vetuſtiſſima.

Roſarum Gentis viri illuſtres.

Ioannes Gruſcinius Archiepiſcopus Gneſnenſis.

Creſlaus Curoſuanſcius Epiſcopus Vladiſlauienſis.

Andreas de Boriſſevvice Archiepiſcop. Gneſnenſis.

Ioannes Laſcus Korabita in eandem familiam adoptatus.

In ſuos adoptatores quam gratus.

Spithco de Buzenin Canonicus Gneſnenſis Matthiæ Pſtrokonij patruus.

Hieronymus de Buzenin, ſupremus Regni Theſaurarius.

Petrus de Buzenin Terræ Siradienſis Iudex.

Ioan. de Buzenin Capit. Oſtrzeſouien.

ceptus,

ceptus, magno cùm omnium, tum Regis ipſius dolore, cælebs adhuc in viuis eſſe deſijt. Hieronymus proximè Siradienſis Caſtellanus, doctrinâ, pietate, Catholicæ religionis profeſſione commendatus, animo liberali & excelſo, dignus maioribus ſuis, relictis quatuor filijs, qui etiam nunc ſuperſtites ſunt, ne nomen Buzeniorum interiret, effecit. Sed nos his prætermiſſis ad noſtra veniamus. Ioannes de Buzenin, qui primus quòd in diuiſione paternæ hæreditatis villa Pſtrokonie, trium fluuiorum, Vartæ nimirum, Grabicæ, & Vidauiæ concurſu nobilis, cum adiacentibus prædijs ei ceſſiſſet, Pſtroconius appellatus eſt, ſuſceptis duobus filijs, bello, quod Caſimirus Iagelloniades, coniunctis cum Vladiſlao filio Bohemorum Rege ad Vratiſlauiam copijs, contra Matthiam Regem Hungariæ, non multum proſperis auſpicijs geſſit, dum acriùs quàm cautiùs murum ſubit, occiſus, quam naturæ debebat, Regi & Patriæ glorioſè vitam impendit, vxore viduâ & impuberibus liberis relictis: è quibus Zbigneus ſacris initiatus, vt ſuprà memoraui, Canonicus Gneſnenſis fuit; alter Matthias, cùm ad maturiorem ætatem perueniſſet, meritis aliquot annorum ſtipendijs, Margaritam Tarnouiam cum dotalibus prædijs in Cuiauienſi Terrâ vxorem duxit, (cuius altera ſoror Sieracouio, ex quâ Ioannes Palatinus Lancicienſis ſui temporis Senatorij Ordinis Princeps, qui omnia ſua incrementa ſibi debuit, natus eſt, nupta fuit) fœminam matronali pudicitiâ, & ſingulari quodam pietatis ſtudio preſtantem, quę marito tres filios, Zbigneum, Ioannem, & Iacobum, aliquot item filias, è quibus vna Agnes auia mea materna fuit enixa, mox vidua reliquum ætatis tempus religioſiſſimè tranſegit. E filijs Ioannes Caſtellanus Conarienſis in Cuiauiâ, ſingulari prudentiæ & integritatis laude floruit. Iacobus Iuris patrij intelligentiſſimus, maturitate quadã iudicij ita excelluit, vt eo nomine à cunctis magni æſtimaretur, multiq; è proceribus illius potiſſimùm conſilijs niterentur. Zbigneus natu maior, animi & corporis dotibus inſignis, cùm primis annis militiæ deditus, & in patriâ & apud exteras nationes, in Hungaricis expeditionibus multis emeritis ſtipendijs, non exiguam bellicæ laudis gloriam ſibi paraſſet, demùm ductâ vxore Barbarâ de Gaiewniki, Ioannis Lubranſcij Epiſcopi Poſnanienſis, notæ ſanctitatis Antiſtitis, ex ſorore nepte, omnibus ijs, quæ caſtam, piam, pudicamque decent mulierem dotibus ornata, duos filios ſuſtulit, Matthiam & Ioannem, quorum iſte ingenio non minùs quàm frater excellens, atque literis non mediocriter imbutus, & ſuſtinendis quibuſcunque Magiſtratibus par, è duabus vxoribus ſuſceptis liberis ad Caſtellanatum Vielunenſem promotus, minor ſeptem annis natu maiori fratri biennio præmortuus eſt. Matthiæ pueri adhuc & infantis futuram magnitudinem, non dubijs præſagijs Deus ſignificare voluit, quorum illud memoriâ dignum, cùm vixdum ſemeſtris in lecto poſitus, iniectis per famulam à recenti lotione madidis adhuc lineis veſtibus oppreſſus eſſet, ac re ſerò animaduersâ, iam ferè exanimis ſpumas ore voluens inde extraheretur, omnibus actũ eſſe de illo cre-

Hieronymus de Buzenin Caſtell. Siradienſis.

In Buzeniorũ Gentem quis prior Pſtroconiorũ appellationẽ intulit.

Ioannis de Buzenin Pſtrokonski pro patriâ res fortiter geſtæ. Eius mors glorioſa & poſteritas, Matthias & Zbigneus.

Matthiæ ex Margaritâ Tarnouiâ ſuſcepti filij:

Ioannes Caſtellanus Conarienſis,

Iacobus,

Zbigneus cum Barbarâ de Gaievvniki Matthiæ Pſtrokonski Epiſc. Vladiſlauienſis progenitores.

Ioannes Matthiæ frater Caſtell. Vielunenſis.

Matthiæ prodigioſa infantia.

credentibus, ſola mater illius fœmina pijſſima, magno incōcuſſæ fidei ardore proſtrata in terram ad vota preceſque confugit, & ſi puerulo Deus vitā, quā ægrè iam trahebat, reſtituere dignaretur, ſe eum ſacro Altari addicturam, & diuino ſeruitio mancipaturā ſanctè promittit. Vix dicta finierat, cùm illi renunciatur puerum planè ac ſi nihil aduerſi ei accidiſſet ad ſe redijſſe. Non minùs id quod referam admirationem mouet. Puer idem trium quatuorúe annorum, cum æqualibus ſuis colludens, impulſu vnius, ſeu fortuito lapſu in profluentem Vartę rapidi & verticoſi fluminis aquam decidit, ſocijſque puerili metu, ne res proderetur, diffugientibus omni deſtitutus humano auxilio, mirâ quadam Dei curâ ſeruatur. Fortè fortunâ hauriendæ aquæ causâ quidam è famulis eò veniens, puerulum ita immerſum, vt aqua penè vnius cubiti altitudine ſupremo capitis illius vertici ſuperfunderetur, erecto tamen totius corpuſculi trunco, quietè & miraculosè ſedentem conſpicatur, haud dubiè ſuffocatum credens inde extrahit, ſed continuò vegetum, ac omnis noxæ expertem repertum domum reducit incolumem. Ne primis ætatis annis prauæ conuerſationis conſortio tener puerili animus inficeretur, mater ſolicita, & diligenti curâ illius minimas actiones explorare ſolita cauit, illud identidem frequenti ſermone auribus eius occinens: Matthia: Tu Deo & Altari eius deſponſus es, quamobrem ita te geras, vt cùm ad maturiorem ætatem perueneris, dignus eâ ſtatione cui te deuoui eſſe poſſis. His ille cohortationibus excitatus, talem ſe ſemper præſtitit, vt in illâ ætate, cui omnium conceſſione leues & ioculares luſus permittuntur, Matthias ſenili quadam prudentiâ & morum grauitate, non modò coætaneis, ſed natu quoque maioribus ad omnes honeſtas actiones, ac præcipuè pietatis ſtudia exemplo & incitamento eſſet, cunctoſque in ſui admirationem accenderet. Cognitâ hac eius indole Hieronymus Buzenski Supremus Regni Theſaurarius, vltrò à patrę illius popoſcit ſuis impenſis & curâ, in ſpem amplioris fortunæ educandum eum ſibi traderet. Honorifica ea & percommoda videri poterat inuitatio, nam Buzenio multum opibus & Regia gratiâ pollenti, facilè erat proferre iuuenem, & ad altiores dignitatis gradus maturè euehere, cùm is non modò cognati ſanguinis liberos, ſed alienos etiam, in quibus aliquid ingenuum & liberale animaduertiſſet, ſuâ beneficentiâ & liberalitate proſequi, & quod aiunt, tollere humo ſolitus eſſet; ac pater quidem facilè fortaſſe voluntati Buzenij paruiſſet, verùm mater verita, ne ſi puer homini malè de religione Catholicâ ſentienti, ad eius arbitrium educandus traderetur, peruerſarum doctrinarum magiſtros nactus, religionis Catholicæ iacturam faceret, obſtitit omnino, ſeque etſi tenuiori fortè impensâ, proprijs facultatibus alimenta literis operam nauaturo filio ſuppeditaturam recepit. Iā in Vidauienſi & Siradienſi ludis literarijs tantum profecerat, vt ad capeſſenda Eloquentiæ & Philoſophiæ ſtudia idoneus haberetur: quare decimum ſextum agens ætatis annum Cracouiam mittitur. Florebat eò tempore

Semeſtris infans penè ſuffocatus, matris voto vita reſtituitur.

Triennis in fluuio ſubmerſus, miraculosè in ripā incolumis extrahitur.

Eius pueritiā Mater pijs admonitionibus informat & ſponſionem voti quā Deo obligatus erat inculcat.

Matthiæ in pueritiâ ſenilis morum maturitas.

Matthiam filium Buzenio Theſaurario ad educandū depoſcenti tanquam hæreſi deprauato, mater pia tradere renuit.

A Scholis triuialibus Cracouiam ſtudiorum causâ mittitur.

pore Academia excellẽtibus, & in omni facultate eruditis viris; hos Matthias nactus, ac inter alios Stanislaum Socolouiũ (cuius nomen doctissimi editi libri satis celebre, & nullo vnquam tempore intermoriturum reddiderunt, quem posteà Regis Stephani Theologũ, ac Cracouiensẽ Canonicum vidimus) quo ille amico & magistro vsus, non humaniora modò studia, ac Græcas literas percepit, verùm etiam Diuinæ humanæque sapientiæ reconditos fontes ita auidè hausit, vt quinq; circiter in eo studio exactis annis, cùm discendi promptitudine, ac solertis ingenij acumine & viuacitate cunctis anteiret, nõ eruditus modò, sed cumulatè doctus euaderet. Non prætermittam hoc loco id quod ab ignaris rerum temerè in suspicionem vocatur, ac si ille eo tempore quo Cracouiæ morabatur, habitum Fratrum quos Diui Francisci institutum secutos de Obseruantiâ appellant suscepisset, diluere; etsi enim religionis desiderium nemini in probrum cedere debeat, laudemque magis quàm vituperium mereatur, tamen leuitatis cuiusdam & inconstantiæ nota, quæ in amplectendo & continuò deserendo hoc vel illo vitæ statu potissimùm conspicitur, à Pstroconio nobis remouenda est. Eius igitur fabulæ hoc erat initium: Adolescentulo adhuc vixdum decimumquartum annum ætatis egresso, patruus Ioannes Pstrokonski Castellanus Conariensis, Præposituram Iuniwladislauiensem à Sigismundo Augusto Rege impetrauerat; rationibus illius accisis eo modo consulturus, eius Sacerdotij onere, cui cura quoque animarum annexa erat, se conscientiamque suam grauari sentiens Pstroconius, vt primùm Cracouiam venit, communicato cum pijs & religiosis viris consilio, patruo & parentibus significat, se tam tenerâ ætate munus hoc obire non posse, ac proinde se eo Sacerdotio abdicare velle; cùm verò illi ne id faceret vetarent, vel si fecisset, se impensas quibus cœptum studiorum cursum prosequeretur, deinceps suppeditaturos minarentur; ille generosâ quadam animi magnitudine, cuncta saluti animæ postponenda existimans, iuri eius Præposituræ inconsultis parentibus renunciat, & cùm non ignoraret suos id ægrè laturos, vicissim ipse sibi rationibusque suis aliter se prospecturum ostẽdit. Inde nata ea suspicio, vt cùm frequentes cum Monachis Bernardinis, è quibus vnum singulari quadam veneratione colebat, sermones misceret, de suscipiendo illorum instituto consilia agitare existimaretur: id postquam parentibus renunciatum esset, continuo molliori responso recreatum, benè de sua erga se indulgentiâ & liberalitate sperare iubent, se curaturos deinceps, ne quid illi deesset: sic omnis illa solicitudo præpostero & præcoci, benè fortasse, sed non secundùm eorum qui cœlestia curant sensum, cupientis patrui studio iuueni iniecta, eximia illius constantia superata est. Sed vt ad inceptam narrationis seriem redeamus; cùm Henricus Valesius summo totius Poloniæ concursu Regio diademate Cracouiæ insigniretur, venerat eò etiam Ioannes Sieracouius Palatinus Lanciciensis: is Pstroconium ad se vocatum, & benignè acceptum, posteaquam ingenij

Iuniwladislauiensi Præposituræ renunciat; inde nata de S. Francisci suscepto habitu fabula.

E scholis euocatus, Ioanni Sieracouio Palatino Lanciciensi suum probat in latino sermone progressum.

ingenij & induſtriæ ipſius exploratis viribus eum tantum in ſtudijs profeciſſe animaduertiſſet, vt à ſcholaſtico puluere eum amoueri, & rebus agendis adhiberi maturum iam exiſtimaret; cùm eo tempore Rege peregrini ſermonis rebus præſidente, non aliter niſi Latinè vel in Senatu ſententia dici, vel in priuatis colloquijs cum Rege agi poſſet, ille in omnibus Pſtroconij vſus operâ iuueni elegantiâ ſcriptionis florenti, oſtentandæ induſtriæ & parandæ gloriæ campum patefecit.

Eiuſdem ſtyli laudator Carncouius Epiſc. Vladiſlauienſis.

Carncouius ſanè Epiſcopus Cuiauienſis, vir acris & perſpicacis iudicij, cùm in vnam & alteram Pſtroconij lucubrationem incidiſſet, percontatus cuius ingenij fœtus ille eſſet, ac Sieracouius iuuenis cuiuſdam recenter è ſcholâ à ſe producti, operâ ſe hac in re vti reſpondiſſet, nequaquam iuuenilem, ſed longo ac diuturno vſu paratum eum ſtylum ſibi videri confirmauit.

Sieracouius Palatinus Lancicien. Senator conſummatiſſimus formator Pſtroconij.

Delectatus eâ ſui Pſtroconij laude Sieracouius domum regrediens eum ſecum abducit: eâ tempeſtate Sieracouius in eâ apud omnes fuit opinione, vt nemo illo antiquitatis peritior, nemo legum & inſtitutorum patriæ ſcientior, & qui in explicandis arduis & difficillimis conſilijs ſingulari quadam facilitate magis polleret, haberetur, eam famam de ſe temporibus adhuc Sigiſmundi Primi cùm iuuenis admodùm in Reipub. negotijs verſaretur, ac mox Regni eſſet Referendarius concitauerat, diuturnoque rerum vſu ſummam auctoritatem ſibi comparauerat, adeò vt homo mediocri, & equeſtri tantùm loco natus, ob inſignes animi & ingenij dotes ac heroicas virtutes ad ſummum dignitatis gradum euectus fuerit, ac inter eos, qui principem in Senatu locum tenebant, non poſtremus cenſeretur. Nactus is Pſtroconij conſanguinei ſui ſolers & docile ingenium, quidquid ad pernoſcendum Reipub. ſtatum pertineret, quæ legum & inſtitutorum Patriæ origo, quæ ratio gubernandæ & adminiſtrandæ Reipub. qui Regiæ poteſtatis vel Senatoriæ functionis modus, quæ partes Equeſtris Ordinis eſſent, qui expediendorum conſiliorum ordo, talia diſcendi auido iuueni, frequenti ſermone ingerens, ac identidem acta prioris æui & monumenta maiorum, ac præcipuè temporis ſui res geſtas legendas proponens, maiori earum rerum cognoſcendarum, quæ aliquando ſibi & Patriæ vſui eſſent, ſtudio accendit. Nec ille deerat ſedulus à narrantis pendere ore, de rebus dubijs percontari, & quæ ipſe in ſcholis didicerat, & ex Ariſtotelis doctrina hauſerat, ad vſum eorum, quæ à viro in rebus experto dicebantur accommodare, denique nullum tempus occaſionemúe quâ non aliquid diſceret, prætermittere.

Pſtroconium cum nepotibus ſuis in Germaniam ablegat.

Sic matureſcente iudicio etſi dignū exiſtimaret Sieracouius, qui rebus agendis admoueretur, tamen non ignarus admodū neceſſariam eſſe ijs, qui in Repub. verſantur Germanicę linguæ notitiam, vnà cū nepotibus ſuis Ioanne & Martino (quorum alter Breſtenſis, Inowlodenſis alter Caſtellanus, auiti decoris ſplendorem Senatoriâ dignitate nunc præclarè tuentur) in Germaniam ablegat, id quidem parum conſultò, quòd Vratiſlauiæ primùm, mox Golbergæ, locis Hæreticâ labe infectis eos ma-

nere voluiſſet, verùm id fortaſſe idcirco ab eo factum, quòd cùm ſatis perſpectum haberet Pſtroconij maturi iudicij robur, vt eo præſente nullum ab eiuſmodi peſte nepotibus ſuis imminere periculum exiſtimauerit. Poſſem hîc commemorare, quæ pudicitiæ, & caſtitatis pericula adierit, tum iuuenis formâ & ætate florens, & quàm procaciter humani generis hoſte inſidias ſtruente à fæminis appetitus fuerit. Ille quidem bis terue diuinitùs planè à turpi lapſu ſe ſeruatum eſſe, cùm pios & ad virtutem cohortatorios nobiſcum conferret ſermones, referebat, in eoque ſingulare, & planè manifeſtum Dei adfuiſſe ſibi auxilium, profuſis ob tanti beneficij memoriam lachrymis memorabat. Non diu ei diſcendæ Germanicæ linguæ causâ morandum illic fuit; nam cùm excellenti memoriâ polleret, paulò plus vno ei rei impenſo anno tantum profecit, vt expeditè ſermone illo vti poſſet, eumque in omni deinceps vitâ familiarem haberet. Inde vbi redijt, doctus iam anteà multorum exemplis, neminem qui patrij iuris ſaltem prima rudimenta non noſſet, aliquid nominis ſibi comparare poſſe, cumque hæc iuris notitia non aliter, quàm vſu comparari ſoleat, ijſque potiſſimùm in ijs locis, in quibus à Regijs præfectis ius dicitur vigeat, eò ſe, hortante Sieracouio, contulit, atque in Siradienſis Caſtri, vt vocant, Cancellariâ, vnum circiter annum iſtius rei causâ egit, tantaque ſedulitate ei ſtudio incubuit, vt nouitius mox veteranos, & diuturnâ fori conſuetudine exercitatos ſingularis iudicij acumine ſuperaret, cunctis verò ſingulari modeſtiâ, & pietatis ſtudio exemplo eſſet: ita locus is qui ob inueteratam licentiam corruptela iuuentutis vulgò exiſtimatur, Pſtroconij incorruptos mores, & caſtum pudicumque vitæ genus adeò non interuertit, vt ille multorum teſtimonio eam laudem aſſecutus fuerit viciſſim, vt eos quorum ſocietate ne corrumperetur periculum erat, honeſtiſſimarum actionum admiratione ad virtutis ſtudium, ſuique imitationem pertraheret, & multi ob eam cauſam, exijs quibus tanti viri conſortio frui contigerat, non magis iuris periti, quàm virtutis ſtudioſi euaſerint. Sic efformatum & ad maiora nitentem maturum, annis & iudicio pollentem vocat ad ſe Sieracouius, & quem vitæ ſtatum amplecti vellet, ſciſcitatum; cùm is dudum ſibi deſtinatum reſpondiſſet, ſacris Ordinibus initiari, probato eius conſilio Staniſlao Carncouio Epiſcopo Vladiſlauienſi, vt ſub eius viri auſpicijs vitæ Eccleſiaſticæ primordia iniret, tradendum commendandumque proponit. Sed Carncouius, quòd eo tempore neſcio quid ſimultatis ſibi cum Sieracouio intercederet, primam pro Pſtroconio eius petitionem reiecit, mox eundem ad ſe negotij cuiuſdam causâ miſſum, ac ſtrenuè illud obeuntem obiectaſque quæſtiones (agebatur de matrimonio viri cuiuſdam nobilis, ritè an perperàm illud contractum eſſet) prudenter diſſoluentem: Túne es, inquit Carncouius, à Palatino Lancicienſi mihi commendatus? eo annuente, ſubinfert ille: Quod in gratiam Palatini facere recuſaui, id exploratæ tuæ induſtriæ tribuo, teque libens volenſque in numerum meorum

Pudicitiæ & Caſtitatis cultor diligẽs Pſtroconius.

Hortatu Sieracouij Cancellariæ Caſtrenſi Siradiæ incumbit.

Inter vitæ licentioſæ ſodales incorruptus, imò corruptorum cenſor.

Pſtroconium Sieracouius Carncouio inter domeſticos adlegandum commendat.

Repulſam primò paſſus culpa Sieracouij.

meorum adſcribo: Deinceps (verba ipſa pono) ego tibi ero in patrem, tu mihi in filium. eâ ſponſione ſibi obligatum ac ſacris initiatum intimis ſuis cogitationibus adhibet, ingenium excellens, ſed modeſtum, aliàs laude nonnunquam cohortatione accendit, oſtentandæ induſtriæ occaſiones ſubminiſtrat, æmulatione denique alieni laboris modeſtiam ipſius excitat.

Poſtmodum humaniſſimè in domeſticũ atque adeò in filium receptus.

Nemo Carncouio exercendæ iuuentutis prudentior, vel tractandorum ingeniorum ſolertior vnquam fuit, nemo qui plures educationis ſuæ alumnos in lucem productos, ac ſummis poſteà in Rep. magiſtratibus functos protulerit, cùm in eius aulâ, non induſtriâ modò, ac arduorum quorumcunque negotiorum tractatio, verùm ſingularis omnium virtutum æmulatio, & pietatis ſtudium vigeret, ac complures non doctrinâ modò, ſed generis etiam nobilitate præſtantes ſibi eum ducem, & magiſtrum legerent, ac ille cuiuſcunque ingenij indagator diligens, alterius operâ in obeundis legationibus vti, hunc ſcribendis literis præficere, illum euoluendis maiorum monumentis, alium præſentis æui rebus geſtis mandandis memoriæ adhibere, alterius induſtriam quantùm in ſacris ad populum faciendis ſermonibus poſſet explorare, omnes denique intentos eſſe iubere, ac ſingulorum laboris penſa frequenter repoſcere, nec quenquam otio torpeſcere pati, laudare promptos, ſegnes reprehendere.

Carncouij Epiſcopi aula, iuuentutis Polonæ in omni genere virtutis ac diſciplinæ exercendi palæſtra.

In eâ virtutis palæſtrâ, cùm duos annos Pſtroconius ſummâ cum laude verſatus eſſet, tantum ſibi nomen apud Carncouium comparauit, vt è numero aliorum ſecernendum, & accuratiori ſtudio prouehendum iudicaret: quare pecuniâ inſtructum Romam eum ire iubet, vt in Vrbe Eccleſiaſticæ diſciplinæ & pietatis magiſtrâ, ſacrorum Canonum ſtudio tempus impenderet.

Ibi loci rectè inſtitutus Pſtroconius nomini & impenſis Carncouij Romam proficiſcitur.

Haud ſegniter ille arripit occaſionẽ eruditionis cumulandæ, & quanquam huic potiſſimùm curæ intentus, vt Canonicarum ſanctionum notitiam ſibi compararet, tamen alijs quoque Doctoribus horas ſucceſſiuas dabat; miratus præcipuè Muretum veteris Eloquentiæ ſplendorem, magno & non infelici conatu in Vrbe reſtituentem. Hæc agentem Pſtroconium, nec valetudini parcentem morbus oppreſſit, quo cùm non niſi loci mutatione leuari poſſet, Medicique Vrbe excedendum ſuaderent, ac pecuniâ ad ſuſcipiendum iter deeſſet, cùm parentes eum Carncouij impenſis ſuſtentari exiſtimarent, Carncouius verò, vt fit, abſentis facilè obliuiſceretur, vt aliâs, ſic & eo tempore, ſingularem opem Diuinam rebus ſuis anguſtis ſenſit Pſtroconius;

Mira Dei circa Pſtroconiũ viribus & pecuniâ deſicientem Romæ prouidentia.

nam cùm Petrus Wolski Epiſcopus Plocenſis, Regis Stephani nomine, publicâ apud Pontificem Gregorium XIII. legatione functus, ab Vrbe domum rediens in itinere intellexiſſet, hac eum vrgeri neceſſitate, continuò mandauit ſuis in Vrbe procuratoribus, curarent diligenter, ne quid Pſtroconio deeſſet, & ſi res eius ita poſtularent, commeatu inſtructum Vrbe expedirent: quâ liberalitate ille ſubleuatus, nondum ſatis confirmatâ valetudine, non vltra Romani aëris peſtilentem auram ferre valens, itineri ſe dedit, & inuitantem ad ſe, omniaque liberaliſſimè pollicentem Epiſcopum,

Petri VVolski Epiſcopi Plocenſis egregia in Pſtroconiũ munificentia.

pum, breui consecutus humanissimè ab eo excipitur; iam eodem curru quo ipse vehebatur receptum, mensæque suæ adhibitum, continuò quanti virtutem doctrinamque eius æstimaret, ostendit; nec Pstroconius quidquam sibi eo nomine arrogare, sed modestiâ cum omnibus, obsequio cum patrono certare, quo factum est, vt cùm plerique è veteribus Episcopi familiaribus initio ferrent iniquiùs, eum sibi in contubernio anteferri, mox cognito eo inuidiam amore commutarint, iudiciumque Episcopi in præferendo cæteris Pstroconio spontè laudarent. Iam Carncouius Regis Stephani promotione Archiepiscopus Gnesnensis renunciatus erat, quem Episcopus Plocensis tam longinquâ peractâ peregrinatione, simul honoris & veteris amicitiæ causâ vt inuiseret, Louicium ex itinere diuerterat; in cuius comitatu cùm Archiepiscopus Pstroconium conspicatus esset, quærit quid ibi ageret? enimuerò Episcopus, meus est, inquit, Pstroconius, quem à te neglectum ego ab Vrbe mecum eduxi. Sed Archiepiscopo suum itidem eum esse asserente, ac prioris iuris prærogatiuam proferente certamen amoris plenum inter eos intercessit; sed postremò cessit, vt par erat, Episcopus Archiepiscopo, Pstroconiumque commendationi suæ accessione in præcipuo gratiæ loco apud Archiepiscopum reposuit; quanquam virtus eius satis per se commendabilis, non multum alieni suffragij indigeret, cùm nullum esset ita arduum & difficile negotium, cui ille summâ cum laude sustinendo par non esset, omniaque sibi demandata munia eâ dexteritate obiret, vt præclara illius animi & ingenij vis, vno omnium consensu prædicaretur: ille in obeundis legationibus suam potissimùm industriam probabat Carncouio, illius in diiudicandis maioris momenti causis, in explicandis consilijs, in tractandis negotijs prudentia eminebat. Breui quidem ille laboris & industriæ suæ ipsiusmet Carncouij iudicio præmium tulit, nam cùm Præpositura Louiciensis Sacerdotium nobile & ferè primum ex ijs, quorum Archiepiscopus suo arbitrio conferendorum potestatem habet, vacaret; multique id sibi deferri peterent, ac vnus è nepotibus Archiepiscopi iuuenis admodùm, ac penè puer inter competitores emineret: Carncouius præter eorum consuetudinem, qui plerumque nepotibus suis ita addicti sunt, vt cæteros quamuis digniores illis postponant, plusque speratæ suorum, quàm exploratæ aliorum virtuti tribuunt, maiorem meritorum, quàm sanguinis rationem sibi habendam existimans, Pstroconium iam antea Canonicatu Gnesnensi à se auctum, Præpositum Louiciensem renunciat. Non tam fortunarum suarum incremento, quàm eximio Patroni de se iudicio lætus Pstroconius, suscepto Presbyteratus ordine, singulari quodam pietatis ardore incensus, quasi tum primùm ad subeundum sacri muneris officium se accingeret, nouis ijsque accuratissimis se munire præsidijs, ad omnem occasionem intentus esse, cum alijs sacræ obseruantiæ pijs operibus, tum singulis cuiuslibet hebdomadæ sextis ferijs cibi potusque omnino abstinens, inediâ sponte sibi indictâ corpus

Inter Carncouium & Volscium de retinendo apud se Pstroconio certamen.

Archiepiscopo accessit Pstroconius.

Post multa virtutis & industriæ experimenta Præpositura Louiciensis ab Archiepiscopo defertur Pstrokonio, post delatum paulò antè Canonicatum Gnesnensem.

Sacerdotio præditus quã piam vitam instituerit Pstroconius.

corpus macerare, cuncta exactioris vitæ instituta complecti, nec quidquam quod ad coërcendos domandosque effrenatos animi motus pertineret, prætermittere. Nec defuit ad ardua tendenti certaminis occasio; *Aemulorum impugnatur inuidia.* nam cùm ij qui sua merita proprio iudicio metientes se præteritos, opimumque sacerdotium quod spe deuorarant, ad alterum delatum viderent, cæcâ acti inuidiâ credulas Archiepiscopi aures varijs onerant opinionibus, iuuenem Pstroconium nec tantoperè meritum, nimiùm esse fortunis auctum, moderaretur suam liberalitatem, detraheret Præpositturæ decimas, easque alijs qui meritis Pstroconio præstarent largiretur. Quod cùm Archiepiscopus se facturum ostendisset, indignũ ratus Pstroconius sibi eam fieri iniuriam, magnitudine quadam animi incensus, cessurum se potiùs beneficio, quàm passurum, vt sacerdotij cuius ille possessor esset, vetusta dos distraheretur, respondit: cumque contrà inimici acriter niterentur, ille verò constanter resisteret, Archiepiscopus postremò maturiori vsus iudicio, ne ius quæsitum alteri intercipere velle videretur, Pstroconium ampliùs eo nomine interpellare noluit. Agebatur *Anno Domini 1584.* tum annus supra millesimum quingentesimum octuagesimus quartus, quo tota ferè Polonia ingenti metu perculsa, in magnâ rerum nouarum erat expectatione: id ea occasione accidit. Ioannes Zamoscius Regni *Res perturbatæ inter Poloniæ Proceres.* Supremus Cancellarius & Exercituum Præfectus, Samuëlem Zborouium, illustri ortum familiâ, sed ob cædem Vapouij sub Henrico Rege proscriptum, in Territorio Cracouiensi prehensum, iussu Regio, supremo supplicio affecerat. Grauior plerisque ea videbatur animaduersio, quàm leges Regni permitterent; Rexque ad tantam atrocitatem consilio Zamoscij impulsus esse credebatur, fremebantque passim omnes Zborouianæ sectæ amici, quorum pro generis splendore auitisque opibus, magna per totam Poloniam erat copia; licuisse tantum vni homini gratiâ Regiâ summis magistratibus ornato, vt priuato arbitrio sinistrâ legum interpretatione ad perniciem libertatis Polonæ, nouo & nunquam anteà audito exemplo abuteretur. Igitur plerique Proceres *Ad eas sedandas de consilio Pstroconij, egregiam init rationem Carncouius.* ac inter eos Princeps Senatus Carncouius, infecti partium fauore, pro Zborouijs in proximis Regni Comitijs niti constituerant. Sed Pstroconius conspicatus quanto Archiepiscopi periculo, quantâ Regiæ gratiæ erga statum Ecclesiasticum iacturâ id futurum esset, si Carncouius cum factione Regi aduersâ, quæ magnâ parte ex Hæreticis constabat, se coniungeret, sagaci persuasione mentem eius ab eiusmodi cogitatione auertit, tantùmque effecit, vt Archiepiscopus seruato dignitatis Archiepiscopalis tenore, nec Regi blandiretur, & præcoces Zborouiorum impetus, intempestiuasque minas moderatis consilijs temperaret. Successit posteà Regis Stephani mors, Interregnumque in ipso inimicitiarũ fer- *Interregnum post mortem Stephani Regis Poloniæ.* uore, atque tali Reipub. statu, vt de ea actum esse gnari rerum æstimatores non immeritò putarent. Summa rei more institutoq; maiorum penes Archiepiscopum erat, is accepto Regię mortis nuntio, eadem planè horâ

Pstro-

Pstroconius ad factiosas Procerum cõuentiones legatus à Carncouio.

Pstroconium ad Stanislaum Comitem Gorcanum Palatinum Posnaniensẽ forte fortunâ eodem tempore in Curnicensi palatio cum Zborouijs de rerum suarum statu consultantem expedit, suadet ne præcipiti aliquo consilio se, & Rempub. in discrimen adducant, Conuentus particulares pacatè expediri sinant, de odio quo Cancellarium prosequebantur, patriæ causâ tantùm remittant, quantùm ciues priuatas iniurias Reipub. condonare fas est, Archiepiscopum daturum operam, vt in futura Electione eorum dignitatis ratio habeatur. Mollis hæc legatio & Pstroconij accommodata oratio magno fuit temperamento, ad retinendos homines illos perferoces & potentes, quo minùs vel Andream à Bnin Opalinski Supremum Regni Marschalcum, non procul eo tempore ab eis dissitum, & magno apud eos odio quòd Regia consilia in maiori Poloniâ foueret, flagrantem inuaderent, vel vniuersam Rempub. priusquam cæteri subsidia illi ferre possent, perturbarent. In Electione ipsâ celeberrimoque illo actu, cuius moderatio ad Archiepiscopum pertinet, ita se Pstroconius gessit, vt cæteris qui cum Archiepiscopo erant, metu torpentibus, ille ad expedienda maximi cuiusque momẽti negotia adhiberetur. Flexerat animum Archiepiscopi Zborouiana factio, sua sponte Austriacæ familiæ addictum, & suspicantem Cancellarium, vel sibi fasces imperij arrogaturum, aut certè talem promoturum, qui suæ voluntati obnoxius esset. In oculis erat hominum Andreas Batthoreus, defuncti Regis ex fratre nepos, affinitate Cancellario coniunctus iuuenis, nisi eum recens inuidia Batthoreæ familiæ prægrauaret, gratus populo. In Sigismundum Sueciæ Principem, Catharinâ Iagelloniâ ortum, nostri veluti sanguinis & linguæ Regem popularia studia propendebant; quem cùm videret Zamoscius, non tantùm Equestris ordinis consensu, sed etiam Annæ Iagelloniæ Reginæ opibus promoueri, nec alium haberet, quem potentiæ Austriacæ opponeret, ad eum quoque flexit animum, suamque potentiam populari fauori adiunxit. Hærebat interea Carncouius: nam factioni Austriacæ penè fidem dederat, se eâ inuitâ ad renunciandum nouum Regem non processurum: erant complures ex eius familiaribus, qui senem ostentatione periculi & discriminis, quod Ecclesia & ipse aditurus esset, si quempiam alium Austriacę familiæ toto orbe celeberrimę, & cuius potentia iisdem quibus orbis Christianus finibus continetur, ingentesque opes essent præponeret, distraherent; è contra Pstroconius euidentissimis rationibus persuadendo ostendebat, in Republicâ liberâ nihil magis spectari debere, quàm communem omnium consensum, signum certissimum Diuinæ voluntatis, cui cessura omnia, turpe & indecorum esse, in expediendis cõsilijs permoueri metu, à quo si depẽdere voluerimus, vetustâ libertatis possessione cedendum nobis esset, pro hac autem conseruandâ, si quid grauiùs ingruat, mortem oppetere honestum & gloriosum videri, lecto præsertim tali Principe, quem tanto desiderio omnes expeterent, & cuius Regiæ indolis certa quasi esset spes, &

Quâ dexteritate ab iniquis consilijs tumultuantes abducat Pstroconius.

In Electione noui Regis ad maximè ardua negotia ab Archiepiscopo Carncouio adhibetur Pstroconius.

Pstroconius potentissimis rationib. persuadet Carncouio, eligendum in Regẽ Sigismundum Sueciæ tunc Principem.

& non dubia expectatio; non eas vires aut opes, quibus Austriaca familia polleret circumspectandas pertimescendasque; sed expendendum à quibus promoueatur, ex ijs plerosque esse Hæreticos, alios temulentos, & ad res grauioris momenti sustinendas nequaquam firmis niti consilijs. His persuasionibus atque auctoritate Andreæ Opalenij Supremi Regni Marschalci, ac Stanislai Priemscij Capitanei tum Coninensis ac paulò pòst Curiæ Regni Marschalci, quibus Carncouius plurimùm fidebat, effectum est, vt Archiepiscopus à Zborouianis consilijs alienum se gerere animum ostenderet; Andreamque Zborouium Curiæ Regni Marschalcum petentem, vt Candidatum suum Maximilianum Archiducem tanti nominis Principem Regem renũciaret, simulatione ægritudinis lenibus verbis emollitum à se remoueret; nam & is quòd Catholicus esset, plurimùm apud Carncouium gratiâ valebat, periculumque maximum erat, ne eius persuasionibus permoueretur; quòd fortasse factum fuisset, nisi Pstroconius intra eosdem cum Patrono parietes degens, opportunis consilijs illius animum aduersus eiusmodi solicitationes confirmasset; quâ ex re magnum sibi aduersæ factionis comparauit odium, adeò vt Stanislaus Comes Gorcanus Palatinus Posnaniensis, cùm Pstroconius à Carncouio missus negotij cuiusdam causâ eum adijsset, non admodùm amicâ salutatione, Aue, inquit, Rabi (indicans eum apud Carncouium consilio plurimùm posse) illum exciperet.

Magnâ cum inuidiâ statur consilio Pstroconij de Rege Polon. eligendo.

Comitijs Electionis in eâ dissensione, cuius memoria terret adhuc animos nostros, vtcunque expeditis, Carncouio circumspiciente, quemnam nouo Regi suo nomine obuiàm mitteret, Pstroconius maximè idoneus visus est, qui hoc munere fungeretur, vt eum primùm è suis familiaribus Regi recèns lecto exhiberet, qui in constituendâ ad votum illius Electione plurimùm operæ & studij ipsiusmet Archiepiscopi testimonio posuisset.

Nouo Regi obuiàm mittitur à Carncouio Pstroconius.

Celeriter hoc perfunctus officio, Regeque eleganti oratione in naui adhuc ex personâ Archiepiscopi salutato, redit ad Carncouium Pstroconius, illique periculoso illo & difficili Reipubl. tempore, cæteris Ecclesiastici ordinis metu se subducentibus, comes indiuiduus fuit, Cracouiamque electum Regem per varios circuitus, nec enim rectà expeditum iter erat, deducenti semper adhæsit, quò vbi ventum est, nactus pietatis exercendæ occasionem, post tot periculosissimi itineris difficultates superatas, ad refouendos eos Germanos, qui in eo conflictu quo Maximilianus Archidux à nostris victus, atque à mœnibus Cracouiensis vrbis fortiter reiectus, turpiter obsidionem soluere coactus est, capti ac fœdis vulneribus affecti passim, nemine miseris opem ferente, fame & vulnerum dolore extinguebantur, animum conuertit; ratus longè à Christianâ pietate alienum, pati homines Christianos, quamuis anteà hostes, extremâ necessitate perire; quamobrẽ diligenter conquisitos, etsi ipse satis angustè, idque cum alijs contubernalibus suis hospitaretur, in suum deferri hospitium iubet, atque intra cubiculum indignantibus, & importunam, vt illis videbatur, commiserationem increpanti-

Regem eleganti oratione salutat.

Cracouiam cum Carncouio deducit.

Pstroconij pietatis studium erga milites ex conflictu saucios & fame pressos.

crepantibus ijs, qui in eodem cubiculo degebant, nec fætorem varijs morbis affectorum æquo animo ferebant, inducit; ac cùm ipsi opes ad curandos refocillandosque eos non suppeterent, ab Archiepiscopo & nonnullis Episcopis, cæterisque vtriusque ordinis pijs viris, emendicatâ pecuniâ medendi peritos aduocat, victum subministrat, vestes etiam plerisque comparat, suasque omnes facultates in vsum eum distrahit. Hæc ille in medijs Reipub. curis, quo ostenderet nullo vnquam tempore ijs qui pietati operam nauare cuperent, eius exercendæ materiam deesse posse. Erat eius industria, & ad res gerendas par animus, non solùm Archiepiscopo, sed alijs etiam magnis plerisque viris cognitus, è quibus Hieronymus Comes à Rozdrazow Episcopus Vladislauiensis, vir acerrimi iudicij, tanti ingenium & ad omnes honestas actiones præclaros Pstroconij conatus æstimauit, vt Carncouio non admodùm annuente, quòd se priuari tam necessario sibi homine ægrè ferret, non repugnante tamen, illum Regiorum Secretariorum numero adscribi fecerit, ac simul cum Carncouio Regi impensè commendauerit, atque etiam à Carncouio contenderit, Decanatum Gnesnensē, nobile & opimum inprimis sacerdotium tunc vacuum illi conferret. Sed Carncouius nonnihil eâ re offensus, quòd alieno, quamuis non quæsito, sed suâ virtute comparato suffragio Pstroconius niti videretur, quamuis initio ostendisset se illius eâ occasione rationem habiturum, postmodùm tamen ad suum ex fratre nepotem Martinum Carncouium, præterito Pstroconio beneficium hoc detulit. Commouit ea res animum Pstroconij, etsi enim non adeò ambitione, à quâ semper alienus erat, processerat, vt certam sibi illius sacerdotij possessionem polliceretur; tamen cùm videret aliorum quoque iudicio suæ virtuti illud deberi, non poterat nisi molestè ferre eam sibi fieri iniuriam; dissimulato tamen dolore, nec quidquam de patrono questus paulatim cœpit ab obsequijs illius se subducere. Cuius rei fuit illi oblata occasio percommoda & honesta. Rozdrazeuius Episcopus Vladislauiensis ad transigendum cum Rudolpho Imperatore Romanorum, totaque Austriacâ familiâ, de iniurijs ab Archiduce Maximiliano, Regno illatis, & ad tractandum de illius eliberatione, pactisque renouandis & firmandis, summâ cum potestate cum collegis ad fines Regni missus, Pstroconium è Secretarijs Regijs sibi dari postulauit, quem gnauiter in tam arduo negotio sibi & Reipubl. nauaturum operam non inani spe conceperat; respondit ille præclarè conceptæ de suâ industriâ & fide eius expectationi, cùm in explicandis maximi momenti consilijs, tùm in propositionibus, tractatibus & responsis scripto concipiendis, ita vt non alium ad eam rem libentiùs Episcopus adhiberet, quàm Pstroconium, reque bene gestâ, totoque eo negotio composito, Regi magnoperè commendaret. Quo factum est, vt Anna Regina Poloniæ, cùm non ignoraret quanto studio Pstroconius Electionem Regis nepotis sui promouerit, & quâ fide ac industriâ in eo negotio versatus fuerit,

Hieronymi Comitis à Rozdrazovv Episc. Vladislauiensis commendatione inter Regios Secretarios adoptatur Pstroconius.

Aegrè fert Carncouius secessionē ad Regis obsequia Pstroconij, nihilominus eum Regi commendat.

Rozdrazeuio ad Austriacā domum legato consiliorum & itineris socius Pstroconius.

A rebus in hac legatione prudenter gestis iterum Regi & Reginæ commēdatus.

fuerit, ſimul illius pietatem, & in re Eccleſiaſticâ adminiſtrandâ diligentiam, induſtriam perſpectam habens, vltrò non petenti Decanatum Varſauien. detulerit, quem tamen Pſtroconius ne Archiepiſcopum offenderet, non priùs acceptauit, quàm ille conſentiret. Nactus id ſacerdotium non tam opibus affluens, quàm loci celebritate illuſtre, omnem ſuã induſtriam in functione muneris ſui, ritè & ad numeros, quod aiunt, explendâ, collocauit; non modò in reformando Clero Eccleſiæ, ſed etiam in ſacris ad populum concionibus, alijſque ſuâ vocatione dignis exercitijs præclarè operam collocans, ita vt Regina ipſa & religioſa Princeps, magnoperè illius in obeundâ functione ſedulitate delectaretur. Cùm autem ſub idem tempus Bernardus Macieiouius Epiſcopus Luceorienſis, Legationem Regis nomine ad ſummum Pontificem Sixtum V. adornaret, neque munus tantum ſe ex dignitate obire poſſe exiſtimaret, niſi tales ſibi comites adſciſceret, qui rerum vſu præſtarent, ac Pſtroconius inter eos, qui huic rei ſuffecturi proponebantur, facilè principem locum teneret, vltrò ad eum Secretarij Legationis officium defert, quod ille, commendatâ ad tempus pijs & ſibi addictiſſimis Sacerdotibus Eccleſiæ Varſauienſis curâ, eo minùs grauatè ſuſcepit, quòd dudum illi in votis eſſet Vrbem pietatis, & religionis magiſtram ex interuallo inuiſere, ſimulque eadem occaſione certa quædam indulta à Sede Apoſtolicâ obtinere. Expertus eſt breui Macieiouius, quanti ſua, & Regis intereſſet, habere ſecum hominem non modò doctum, verùm etiam rerum agendarum peritum, namque illius potiſſimùm operâ, in expediendis quibuſuis negotijs vſus rectè & ex ſua, Regis, ac Reipub. dignitate munus hoc obiuit. Intereà dum Pſtroconius in Vrbe verſatur, Rex promoto ad Epiſcopatum Plocenſem Alberto Baranouio Regni Vice-cancellario, Ioannem Tarnouium Rolicium Regni Referendarium, Vice-cancellarium renunciat, Zamoſcio Regni Cancellario renitente, ac Petrum Tylicium ad Vice-cancellariatum promouere contendente. Erat in Tarnouio præter cæteras virtutes ſumma animi magnitudo, quâ præſtare cæteris, & nemini ceſſurus putabatur, nemo illo in amicitijs conciliandis clienteliſque parandis promptior, vel magis expeditus fuit, ita vt pręcipuos quoſq; Proceres ſuâ familiaritate deuinctos teneret. Qui vt primùm munus hoc ſuſcepit, gnarus quanta de ſe expectatio eſſet concepta, & ad omnes intentus occaſiones, ne qua ex parte inimicis & inuidis oportunus eſſet, ita ſe ad gerendum ſummum eum in Repub. difficillimo Regni tempore magiſtratum comparabat, vt omnia munia officij ſui expleret. Etſi autem complures eſſent in Cancellariâ Regiâ, ex quibus eum qui Cancellariæ Regens dicitur legere poſſet; plerique longo vſu probati, & tractandorum negotiorum gnari, cùm tamen ijdem omnes Zamoſcij beneficijs obſtricti, atque eidem obnoxij putarentur, præter omnem ſpem & expectationem, munus id ad Pſtroconium abſentem eo tempore, & in Italiâ agentem, nec vnquam in Aulicis expeditio-

& Decanatu Varſauienſ. auctus, munus præclarè obit.

A Bernardo Macieiouio Epiſc. Luceor. Romam Regis nomine Legato, Secretarij Legationis officium delatũ Pſtroconio.

Ioannes Tarnouius ex Regni Referendario renunciatus Vice-cancellarius.

Is abſentem Pſtroconium Regentem Cancellariæ pronunciat.

peditionibus verſatum detulit. Interceſſerat ei anteà cum Pſtroconio nonnulla neceſſitudo, quòd frater ipſius filiam Staniſlai Tarnouij Caſtellani Inowlodenſ. patrui Vice-cancellarij in matrimonio haberet, ſed ille præcipuè in eo deligendo induſtriam noti, ac explorati ſibi amici, cui intimas ſuas cogitationes tutò concredere & committere poſſet, ſpectauerat, eoque nomine ſibi commendatum habuerat, & ad complectendũ eum animum adiecerat.

Comitate & agendi dexteritate inuidiam æmulorum ſuperat Pſtroconius.

In eâ ſtatione poſitus Pſtroconius, cùm non ignoraret omnium ora & oculos eſſe in ſe conuerſos, potiſſimùm eos, qui diuturno aulæ vſu probati, atque in negotijs verſati eſſent, non æquo animo ferre, ſibi nouitium anteponi, omnes viciſſim ille intendit neruos, vt & conceptæ à Tarnouio de ſe expectationi reſponderet, & inuidis ne quam occaſionem de ſe malè exiſtimandi præberet, è quibus pleroſque amicitiâ & conſuetudine complexus, breui vniuerſis carum acceptumque ſe reddidit.

Anno Domini 1591.

Annus erat Nonageſimus primus ſupra milleſimum quingenteſimum, quo Rex iuuenis & cælebs hortante Senatu de ineundo matrimonio conſilia agitare cœpit. Præcipui quique ſuadebant Domum Auſtriacam legeret, ex quâ vitæ & imperij conſortem peteret, ſed Cancellarius ſiue familiæ Auſtriacæ odio, ſiue quemadmodùm plerique tum opinabantur, quòd nollet Regis potentiam tam illuſtri affinitate ſtabiliri, ſummâ ope niti conſtituerat, ne Rex, & ij qui in eâ ſententiâ erant, voti potirentur.

Ex primis Regiis nuptijs aliqui motus in Regno;

Hinc nati illi nouo & nunquam audito exemplo, priuato conſilio coacti conuentus, fictæ quorundam criminationes, quæ in publicum prolatæ ad cõcitandum in Regẽ populi odium, multorum in Repub. diſſidiorum ſequentibus annis cauſam præbuerunt. Tarnouius quidem, cui ea vna cura erat, vt aduerſis conatibus obſiſteret, ſummâ animi magnitudine partes Regias tutabatur, in eaque contentione prudenter moderandâ Pſtroconij potiſſimùm conſilijs innixus, præclarè factionis aduerſæ deſtinata retundebat.

Quos Pſtroconij conſiliis præclarè ſedat Tarnouius.

Celeberrimus ille Regiarum nuptiarum actus inuito Cancellario, ſed maiori parte Senatus ratum id habente, poſteaquàm ritè expeditus eſſet, Rexque Comitia Varſauiæ in Menſem Septembrem indixiſſet, Cancellarius ne fruſtrà commotus eſſe putaretur, quæ de Rege in priuatis illis Conuentibus ſparſerat, ac ſi deſerendi, & ad Auſtriacos deferendi Regni conſilia ſuſciperet, ea ſe probaturum in Comitijs offerebat: Origo eius ſuſpicionis nata non aliundè, niſi quod Rex ex eâ familiâ vxorem ſumpſiſſet, quam in adeundo Regno potiſſimùm ſibi aduerſam expertus erat: proferebantur Erneſti Archiducis literæ, quibus nonnullorum animos prehenſabat, quibus confirmare nitebatur Cancellarius eum in ſpem Regni venire non potuiſſe, niſi Rege conſentiente; de eo inquirendum eſſe.

Partes Regias egregiè de ſententia Pſtroconij tutatur Tarnouius.

Contrà Tarnouius, nequaquam ex dignitate Regni & Regis fore, in Regem, nullius rei conſcium leui ex ſuſpicione inquiri contendebat: non ſe dubitare, quin Auſtriaci appetant Regnum Poloniæ; ita inter mortales comparatum eſſe, ſibi vt quiſque potiùs quàm alteri malit; ſtudent Auſtriaci rebus ſuis for-

taſſe

taſſe hominibus noſtris rerum nouarum cupidis ambitioni illorum flammas ſubdentibus, Regem vt à deſerendo Regno, ſic ab ineundis clandeſtinis tranſactionibus alienum ſemper geſſiſſe animum, & nunc nihil magis in votis habere, quàm Regnum hoc diuinitùs ad ſe ſuffragijs liberis delatum, quoad vita ſuppetet, pacatè regere; in eam ſpem cepiſſe vxorem petitam quidem ex Auſtriacâ familiâ, ſed publicè conſtitutis more maiorum pactis, ſolennibus legationibus præmiſſis, nihil in eo ſuſpectum videri poſſe; denique ad abolendas veteres iniurias, ſtabiliendamque inter Regna vicina amicitiam, vetuſtas neceſſitudines nouâ affinitate firmandas fuiſſe, pacem exinde ſtabilem, & conſtãtem ſecuturam, nec relictum iri locum ſuſpicionibus, quæ in Regem temerè hactenùs coniectæ fuiſſent. Hæc vltrò citroque datis ſcriptis, in quibus potiſſimùm induſtria Pſtroconij verſata eſt, agitabantur. Sed Tarnouio graui oppreſſo morbo, ob eumque in publicum non prodeunte, parum cauto quorundam conſilio factum eſt, vt quamuis haud conſtaret, an eiuſmodi quidpiam Auſtriaci à Rege poſtulauerint, Rex tamen tranquillandi causâ hominum animos, ſe ab Auſtriacis, de Regno illis tradendo fuiſſe appellatum fateretur. Mors deinde Ioannis Regis Sueciæ altero anno ſecuta, ſuſcipiendæ eò profectionis, Sigiſmundo Regi neceſſitatem fecit, vt & iuſta Patri perſolueret, & poſſeſſionem hæreditarij Regni adiret. Pauci erant qui Regem trans mare euntem ſequi vellent, nec Tarnouius omnes quorum operâ in functionibus Cancellariæ vtebatur, ſecum ducere poterat, quamobrem omnis negotiorum moles in Pſtroconium incubuit, quæ quàm grauis & operoſa fuerit, non attinet dicere. Res Sueticæ initio pacatæ videbantur, Rex fidei ſubditorum confiſus inermis eò iuerat: id Carolus Regis patruus conſpicatus, iniquiſſimis legibus, & conditionibus Regem circumſcribendi, quoad occupandum Regnum viam ſibi ſterneret, audaciam ſumpſit, auſurus vel in ipſo Coronationis Regiæ actu multò plura, niſi incredibili quadam animi conſtantiâ Tarnouij, nefarij ipſius conatus detecti & fracti fuiſſent: nam cùm die quadam clam cum cõſcijs conſpiratione factâ, eo animo præter ſolitum comitatus in arcem Vpſalien. venire conſtituiſſet, vt Regi iniquiſſimas conditiones ferret, & niſi ijs aſſentiretur, obedientiæ eius nuntium remitteret; Tarnouius longè antè quid ille moliretur ſagaciter odoratus, Rege præmonito, omnes quotquot erant Poloni, qui cum Regio peditatu non vltra mille erant, in armis eſſe iubet, portas arcis arctâ, ſed non apertâ cuſtodiâ circumdat, Carolo cum ſuis ingrediendi poteſtatem facit, cæterâ turbâ quæ confusè arcem ingredi volebat exclusâ, indignãtem prohptereà Carolum, ac neſcio quid contumaciùs proloquentem minaciter interpellat, ipſi & Suecis ingratum eorum erga Regem animum exprobrat, ſe non ignorare cuius rei causâ venerint, priùs cum vniuerſis Polonis paratum eſſe vitam profundere, quàm pati quidquam indignum Regiâ Maieſtate fieri, illum primum exitio capitis ſui perfidiæ ſuæ litaturum. Hæc vehementi vultus &

Regem in Sueciam abeuntem comitatur cum Tarnouio Pſtroconius.

Inſanos Suecorum contra Regiam Maieſtatem conatus egregiè retundit Tarnouius.

totius corporis concitatione, ſimul Carolo nunciatur portas Arcis cuſtodiri; ille ſcelere vecors pallere primò, mox in cuius criminis ſuſpicionem vocetur, ſe ignorare ſimulare. Actum eo die fuiſſet facinus memorabile, prouiſumque ijs tempeſtatibus quæ à Carolo concitatæ, & Sueciam interuerterunt, & Regno Poloniæ maxima incommoda intulerunt, ni Rex ſiniſtras ſuſpiciones veritus, Tarnouij impetum retinuiſſet. Regina quoque tum partui vicina ad ſedandam eam concertationem ſe interponebat, id tamen tum effectum, vt Carolus multùm de ijs quæ animo conceperat remittens, longè faciliorem ſe præberet, ſeu vt veriùs dicam, cùm apertè obſiſtere non auderet, ſe Regiæ voluntati obſequi velle ſimularet, clam tamen res ſuas ageret. Coronatione peractâ, cùm & Rex Carolo meritò parùm fideret, & ille non obſcurè quid animo moliretur oſtenderet, Tarnouius vt ſecurum Regi è Sueciâ diſceſſum, deque rebus Sueticis diſponendis liberam facultatem prouideret, cum ſolo tantùm Pſtroconio communicato cõſilio, mihi demandat, vt ad certos Proceres Polonos literas Regis nomine ſcriberem, quibus ſignificabatur, quo in periculo Rex eſſet; res iſta adeò ſecretò tranſacta, tractataque eſt, vt non modò Sueci, ſed ne noſtri quidem, qui cum Rege erant priùs ea ſubſidia in Poloniâ parari præſentire poſſent, quàm circiter tria millia lectiſſimorũ virorum Dantiſci naues conſcenderint, ac proſperâ vſi nauigatione, in portum Stocholmien. appulerint: fuerunt antem è præcipuis duo Czarnkouij, Andreas & Ioannes; Staniſlaus Warſzycki Cobrinenſis tunc Capitaneus, poſteà Varſauienſis Caſtellanus, poſtremò nunc ſupremus Regni Theſaurarius; Adamus Stadnicki ab Hieronymo Goſtomski Palatino Poſnan. ſocero ſuo miſſus; Staniſlaus Bykowski Caſtellanus Lancicienſ. nunc Palatinus Siradien. Erneſtus Weyher, cæterique alij euocatorum lectiſſimam manum ſecum trahentes. Inuitabat tum Rex Carolum ad leuandam de ſacro fonte recèns ſibi natam prolem, ſimul de conſtituendis rebus Sueticis ſe cum illo conſilia communicare velle oſtendebat. Sed ille ſuſpectum habens Regis apparatum, & ex conſcientiâ ſceleris ſiniſtrum aliquid de Rege ſuſpicans, excuſatione vſus venire renuit. Rex itaque ſummâ rei certis gubernatoribus commiſsâ, admirantibus Suecis tãtam Polonæ gentis erga Regem fidem & amorem, qui maris immenſa ſpatia eos emetiri coëgit, ſummâ omnium Polonorum lætitiâ è Stocholmenſi portu ſub finem Iulij, Elſnabo verò, vbi aduerſo vento detentus complures dies in anchoris ſtetit, medio Auguſto ſoluit, Gedanumque feliciter appulit. Hæc quæ à me commemorata ſunt, parum ad Pſtroconium pertinere videri alicui poſſunt, ſed id à me propterea factum, vt ex eo æſtimaret poſteritas, quid de illo ſentire debeat, qui tantis rebus gerendis & moderandis non modò interfuerit, verùm etiam communi cum Tarnouio conſilio penè præfuerit; nam Tarnouius nihil maioris momenti niſi ex eius ſententiâ aggredi ſolitus, omnia ad eum referebat, vt ab eius prudentiſſimis cõſilijs pendere totus videretur. In eâ cũ Tarnouio

Pro dignitate & ſecuritate Regiæ Maieſtatis in Sueciâ, ſolus cum Pſtroconio maiore operâ laborat Tarnouius.

Regis ac Polonorum læta è Sueciâ diſceſſio.

uio coniunctione, toto eius Vice-cancellariatus tempore constanter mansit, vt nulla vnquam inter eos intercesserit animorum mutatio, in omnibus è contra Pstroconius Tarnouio satisfecerit, voluntatique & rationibus illius se accommodauerit, ac Regi inprimis fidẽ & obsequium, & ad res gerendas industriam egregiè probauerit. Tarnouio autem ad Episcopatum Posnaniensem assumpto, auctus Pstroconius Præpositurâ Lancicien. etsi eo loco se in Regis gratiâ esse non ignoraret, vt primâ occasione se ad aliquam maiorem dignitatem promotum iri non dubitaret; tamen piâ quadam consideratione, aulicas occupationes minùs dignas sacerdotali ordine existimans, magnoperè cœpit affici vitæ priuatæ desiderio, maximè cùm videret orbem aulicum esse conuersum, Vice-cancellariatum delatum Petro Tylicio Episcopo Culmensi, de cuius erga se beneuolentiâ non poterat sibi multùm polliceri, quòd is Cancellarij gratiâ promotus Tarnouianam factionem exosam habiturus existimaretur. Et erat occasio non importuna secedendi ab aulâ, quòd Rex eo tempore nuper in puerperio amissâ vxore, nouam in Sueciam profectionem moliretur, facileque ijs qui in aliquo magistratu non essent, daretur facultas manendi in Poloniâ. Sed Tarnouius vbi eâ mẽte intellexit esse Pstroconium, obiurgatum amicè, grauissimis rationibus impulit ad mutandam sententiam, Regique intimè commendatum in Sueciam proficisci iubet. Plena periculi erat ea expeditio, nam Carolus apertè Regis hostis classem maritimumq; omnem apparatum, quo Regni Sueciæ vires potissimùm continentur, inuaserat, & in suâ potestate habebat, ita vt Rex mercatorijs nauibus ad traijciendum mare, transportandasq; pedestres copias (quæ quinque circiter millibus censebantur) vti necesse habuerit. Dederant fidem Proceres Sueciæ, vt primùm Rex littus Sueciæ attigisset, se Equestribus copijs Regis exercitum suppleturos, venerantq; non infrequentes ad Regem, postquam is primo in terram excessu, ac nominis sui terrore, Calmariam arcem munitissimam recepisset. Suadebãt nostri, vt coniunctis viribus Rex terrestri itinere penetralia Regni peteret, præuenturus hostem, planè eo tempore imparatum, ac facilè omnia in suam potestatem redacturus. Sed Sueci veriti, ne si Rex terrâ iter faceret militari insolentiâ, cùm id tempus messis esset, agri vastarentur, dum maturis suis frugibus parcunt, Regem in maximum discrimen coniecerunt; nam eorum, nequicquam dissuadentibus Polonis, secutus consilium, conscensis iterum cum ijs, quas è Poloniâ adduxerat copijs nauibus, in altum reuectus coortâ tempestate, ac vniuersâ ferme classe toto æquore disiectâ, vix cum aliquot nauibus Streliburgensem portum, quem conueniendæ sororis causâ, ac quod eò Sueticas copias venturas sperabat, potissimùm petebat, tenere potuit. Reliquæ naues militibus onustæ, in diuersos eiectæ portus eundem cursum tenere non potuerunt. Non ignarus eius rei Carolus, classem inprimis ad intercludendum in eo portu Regem expedit, ipse cum Exercitu Stechburgum versus contendit,

Tarnouio ad Posnaniens. Episcopatum euecto, secessionem ab aulâ Regiâ meditatur Pstroconius, iam tunc Præpositus Lanciciensis factus.

Eum ab hac sententia abducit obiurgatum Tarnouius & in Sueciam Regem comitari rursus præcipit.

Aduentus Regiæ Maiestatis in Sueciã.

Tempestate disiecta Polonorum classis & copiæ.

tendit, quo etsi aliquot vexilla Equitum Sueticorum Regis stipendio inauctoratorum venissent, tamen exigua in eis auxilij spes erat, quòd artibus Caroli corrupti suspectæ essent fidei, palamque ostenderent se contra Suecos alios non esse pugnaturos. Superuenit intereà Carolus, ac cùm id vnum cuperet, vt classi quam sub idem tempus eò appulsuram credebat iungeretur, incautè progressus nõ antè errorem agnouit, quàm à Regio exercitu, Ducibus eâ opportunitate egregiè vsis circumueniretur. Planicies erat mari adiacens, septa montibus, in eam Regij Duces Carolum descendere passi, subitò angustias omnes occuparunt; ab alterâ parte Regiæ naues dispositæ, ad littus latera exercitus Suetici tormentorum ictibus quatiebant. Erant in exercitu Caroli peditum equitumque circiter sedecim millia, sed non multùm in bellis exercitatorum: Rex non ampliùs tria millia habebat peditum, quibus tamen tantum animi fuit, vt ad expugnandum hostilem exercitum loci opportunitate adiuti suffecturi putarentur. Et sanè debellatum eo die fuisset, ni Rex mitiorem secutus sententiam signum belli dare vetuisset. Nam Sueci, qui cum Rege erant, appellati eo nomine à Carolo, conditionibus æquis rem se composituros pollicebantur: fraudené id fecerint, an à Carolo decepti fuerint, affirmare non ausim; illi se veritos esse asserebant, ne si flos iuuentutis Sueticæ sub ictum daretur, vires Regni sui eneruarentur. plerique tum suspicabantur eos nequaquam plenæ Regem victoriæ potiri voluisse, vt eo ipso suam quoque potentiam stabilirent. Ille certè dies partes Regias afflixit; nam paulò pòst classis Caroliana plenis in portum inuecta velis, Regias naues disiecit, partemque eam quâ Regius Exercitus tutus erat, ac ipsammet Regis stationem infestare cœpit, & breui in summas redegit angustias, ita vt noctu silenti agmine, eo loco Rex excedere coactus fuerit. Pauci è comitatu Regio equos habebant, quibus terrestri itinere faciendo vti possent. videre erat plerosque abiectis sarcinis, nisi si quid auri vel argenti in promptu erat, quod commodè apportari posset, iter pedibus emetientes, omnibus exutos impedimentis. Pstroconius eo tempore magnum adijt periculum, nam equo labente parum abfuit, quin in potestatem hostis terga abeuntium infestantis venisset: Diuino tamen beneficio recuperato, mox qui aufugerat, equo seruatus est: eximia tum eius animi constantia cæteris metu consternatis enituit; nam vt erat faceto & amœno ingenio, quid, inquit, tantoperè vos ista aduersa sors perturbat? quin vt ille Philosophus exutus opibus: Ergo iterum ad pallium & baculum fortuna? nos quoque idem in præsenti rerum statu vsurpemus. Id cùm nemo è Secretarijs Regis Stoicam sectam tristi vultu præferre solitus molestè ferret, vulgatoque Kochanouij versu, non sanæ mentis eum esse qui in rebus aduersis rideret, hilaritatem Pstroconij proscinderet: Tu verò ipse minùs sanus es, (inquit Pstroconius) qui mihi in malâ re mentem bonam adimis; Ego quod ad me attinet, ita paratus huc veni, vt ea quæ acciderunt

Res Sueticæ turbulentæ.

Poloni periclitantur in Sueciâ.

Ibidem periculum adit Pstroconius.

Magnus & constans animus inter periclitandum Pstroconij.

runt euenire poſſe non dubitarem, & ad ea ferenda animo obfirmato eſſem: tu ſi hæc fieri poſſe antè non expendiſti, non mirum ſi nunc metu conſternaris, animoque concidas. Commiſſo ad Lincopincum prælio, rebuſque Regijs in anguſtum redactis, poſteaquàm Rex cum Carolo in colloquium veniſſet, conuenerat, vt dimiſſis vtrimque copijs Rex nauibus Stocholmiam proficiſceretur, indictiſque Comitijs de mutuis iniurijs iſthic tranſigeretur. Plena erat ea profectio periculi, & meritò ſuſpecta omnibus: Rex tamen cùm datam Carolo fidem ſeruare ſtatuiſſet, ita ſe parabat, vt ad condictam diem Stocholmiæ eſſet, pleriſque ac inter eos Tylicio Vice-cancellario, & Simone Rudnicio Regente Cancellariæ miſſionem petentibus: Pſtroconius ſe Regem in omni quod accidere poſſet periculo non deſerturum profeſſus eſt, ac ſe manſurum cum Rege pollicitus, cæteris animum addidit, pauidos verò in ruborem dedit, quæ res fuit admodùm grata Regi, qui mox animaduerſis Caroli technis, compertoque ſibi ab eo fucum fieri, & inſidias comparari, mutatâ ſententiâ, conſcensâ naui claſſem Calmarienſem portum petere iubet, expertus in eâ nauigatione maximam maris tempeſtatem, eaque pericula, quæ de Menſe Nouembri nauigantibus euenire ſolent; impoſito tamen Calmariæ præſidio, diſiectâ ventorum vi claſſe, ipſe ad littus Pomeraniæ nauem adegit, ſcaphaque ad terram vectus, curru Dantiſcum delatus eſt; vbi aliquot naues, ac inter eas illa quoque quâ Tylicius, Pſtroconius, cæterique ferè præcipui vehebantur, anteà appulerant. Hunc finem habuit ea Regis in Sueciam expeditio, ex quâ Pſtroconius magnam conſtantis animi laudem retulit, rebus ſuis omnibus, cùm pauci eſſent, qui maxima damna non accepiſſent, ſaluis. Varſauiæ poſtquam eò Rex veniſſet, nactus otium, cùm nullum publicum munus gereret; res in Sueciâ geſtas, cauſaſque eorum motuum explicare, & ſcripto comprehendere cœpit; reliquiſſetque egregium ingenij ſui monumentum, niſi fato quodam elegans illa lucubratio nondum planè perfecta perijſſet. Intercedebat eo tempore non mediocris diſſenſio, inter Staniſlaum Carncouium Archiepiſcopum Gneſnenſem, & Hieronymũ Rozdrazewski Epiſcopum Vladiſlauienſem, cauſas eius non attinet dicere, ne ſummorum virorum parum ſedati animorum motus famæ, & nomini eorum notam aliquam inurant; illud tamen adijcere libet, Carncouium facili & hilari animo contemnere ſolitum arrogantiam aliorum, grauem contra Rozdrazeuium, & omnia actionum momenta expendere aſſuetum, ac propterea ſuſpicacem; hinc inter diſſimiles orta diſcordia, quæ ne Reipub. negotia impediret, Rex proſpiciendum ratus, dat negotium Pſtroconio, eius controuerſiæ ſuo nomine componendæ. Difficilè admodùm erat vtrique perſuadere, vt æquis conditionibus, de eo quod inter eos controuerſum erat, tranſigi paterentur. obſtinatior Rozdrazeuius, iuriſque ſui tenacior, videbaturque Pſtroconius fruſtra niti; ſed cùm Rozdrazeuius præclarè de ipſius pietate ſentiret, non poterat

Res Polonæ prodita in Sueciâ.

Cæteris miſſionem petentibus Pſtroconius Regi conſtanter adhæret.

Ex Sueciâ reuerſus Pſtroconius Commentarios itineris Suetici ac rerum iſthic geſtarũ per otium conficit.

Ex Regis commiſſione graues controuerſias inter Archiepiſcop. Gneſnenſem & Epiſcopum Kuiauienſ. componit Pſtroconius.

terat ni ſi accommodare aurem dictis & perſuaſionibus eius, quibus tandem fractus & emollitus, totum ſe arbitrio Pſtroconij permiſit, nec Carncouius diu moratus, ſe quoque quidquid Pſtroconius cenſuiſſet, æquo animo laturum oſtendit: ita ille prudenter vſus eâ poteſtate, æquiſſimo iudicio lites compoſuit, omneſque occaſiones, quibus animi tantorum virorum inuicem exaſperari poſſent, ſuſtulit, ac vtrique ob eam cauſam gratus admodùm per literas Regi diligentiſſimè commendatus fuit. Erat tum in aulâ de eius virtute & meritis eâ opinione, vt omnium iudicio aliquo maiori Magiſtratu cohoneſtandus cenſeretur, cuius rei adfuit breui occaſio. Ioannes Galczynius Referendarius Regni, non diuturno, ſed acri correptus morbo ceſſit è vitâ. Rex tum iuri dicundo vacabat. igitur ne qua mora iudicijs exercendis fieret, viuo adhuc Galczynio cauſarum referendarum munus contra voluntatem Tylicij, qui id ad alterum deferri volebat, iubet obire Pſtroconium, exploratáque ipſius induſtriâ, ſtatim à morte Galczynij, cùm aliàs in eiuſmodi occaſionibus diuturnâ deliberatione deſideria ambientium torquere ſolitus ſit, Magiſtratum ipſum non multùm ambienti, atque omni externo ſuffragio deſtituto, ſed à virtute & doctrinâ commendato confert. Dici non poteſt quantâ integritate in eo munere, quod grauiſſimum eſt, obeundo verſatus fuerit. Inprimis morem inueteratum iudicati nomine, vel vt cauſa priùs in iudicio proponeretur, ſportularum vel munerum exigendorum ſuâ abſtinentiâ ſuſtulit, deinde pupillorum, & egenorum ſuſcepto patrocinio, ad expediendas eorum lites, qui diuturnis iuris anfractibus, vt plerumque fit, fortunas ſuas corruperant, omni ſtudio incubuit, ab omni ſorde alienus, grauis in dicendâ ſententiâ, expeditus in percipiendis cauſis difficillimis, niſi quòd in explicandis animi ſenſibus maiorem facilitatem quidam in eo deſiderarent, nec enim prompta, & fluens illi facundia fuit, prudentem magis, quàm eloquentem dixeris, quanquam nec eâ laude caruit, non modò vt meditata & improuiſa, ſed ſubita etiam promptè expediret. Sed illi in eo Magiſtratu magnam adferebat difficultatem non multum propenſus erga ſe Tylicij Vice-cancellarij animus, quẽ etſi omni modeſtiâ, & obſequio demereri ſtudebat, tamen ille naturâ aſperior, non libenter videbat Pſtroconium aliquas in Regis gratiâ partes habere, vel ad ſpem maioris alicuius dignitatis accingi, offenſus poſtremò, quòd Præpoſituram Gneſnenſem, quam cum Epiſcopatu Culmenſi beneficio Regis, & Sedis Apoſtolicæ reſeruatam tenuerat, & poſteaquam Epiſcopatum Varmien. adeptus eſſet, ſe illâ abdicauerat, à Rege Pſtroconius obtinuiſſet. Igitur primâ quæ oblata eſt occaſione, ab aulâ ſe ſubducendi vſus, Epiſcopatum Præmiſlienſ. multùm diſſuadente Tarnouio, cum reſeruatione Præpoſiturarum Gneſnenſis & Lancicienſ. deferentibus ijs ipſis quibus ſtimulante inuidiâ gratum erat eum ab aulâ longiùs ſubmoueri, acceptauit: dicere ſolitus, minimè conuenire ijs, qui ſacris addicti eſſent, diutiùs in aulâ morari; eorum officium eſſe, procurare

Regni Referendarij vices ſubit ac dein extincto Ioanne Galczynio creatur Referendarius.

Qualem ſe in hoc Magiſtratu virum exhibuerit.

Pſtroconius Gneſnenſis Præpoſitus.

rare ſalutem humanam, eaſque inire rationes, quibus quàm plurimi ad rectam virtutis, & pietatis viam reduci poſſent. Cæterùm diligenter expendens, quem iniret vitæ ſtatum, ita ſe comparabat, vt vocationi ſuæ quoad eius fieri poterat, reſponderet, ac memor ſuæ cum Carncouio coniunctionis, ab illo Epiſcopus more ſolenni inaugurari voluit, ac eius rei gratiâ, & præterea voti ad aram D. Adalberti perſoluendi causâ, Gneſnam vſque profectus eſt, benigneque à Carncouio exceptus, & conſecratus, cùm is quantoperè fidei & pietati Pſtroconij fideret, teſtari voluiſſet, ſciretque eum aliquot ſeptimanis in Archidiœceſi Gneſnenſi moraturum, totam Epiſcopalis muneris functionem cum illo communicauit. Conuento deinde in arce Ciechocinenſi Tarnouio (Epiſcopus Vladiſlauienſis iam is à Rege renunciatus erat) in Siradienſe Territorium, poſteaquã Archiepiſcopum Lanciciæ iterùm ſalutaſſet diuertit, atque in paterno prædio paulò minùs vno menſe exacto, vicinas quaſque Eccleſias ſecundùm acceptam ab Archiepiſcopo poteſtatem inſpexit, ſtatumque illarum explorauit, multa templa recèns conſtructa conſecrauit, multa millia hominum ſacro chriſmatis oleo inunxit, in eoque opere ita diligens, ac ſedulus fuit, vt nec valetudini, nec ſibi ipſi parcere vellet, ac planè rudimenta functionis ſuæ in alienâ Diœceſi deponere ſtuderet. Poſteà in Ceſtochouienſis Monaſterij toto orbe celeberrimo Diuæ Virginis templo ſacris operatus, votiſque exſolutis, ad Epiſcopatum ſuum profectionem ſuſcepit; quò poſteaquam peruenit, totum ſe planè ad obeundum officiùm illud diuinitùs ad ſe delatum effudit, non ad honorem & ad dignitatem, ſed ad labores, & ſolicitudines ſe vocatum dictitans. Cuius rei memor, in ipſo ſuſcepti muneris initio eò animum intendit, vt inſtitutâ totius Diœceſis vniuerſali viſitatione ouile gregemque ſuum exactè recenſeret, quod ita præſtitit, vt triennio toto huic rei impensâ operâ nullum paulò illuſtriorem in totâ Diœceſi locum prætermiſerit, quem non adierit, rationeſque Eccleſiarum, & eorum, qui ijs præerant diligenter examinauerit, ac legibus quæ ad Cleri reformandos mores, populumque ad pietatis ſtudia incitandum pertinerent latis, plurima in priſtinum ſtatum reduxerit: ſæpè ipſe è publico ſuggeſtu concionatus, nunc cohortationibus, nunc ſanctiſſimarum actionum exemplo cæteris præeundo, arguendo obſtinatos, vnumquemque ſalutis ſuæ commonefaciendo, pij & diligentis paſtoris munus obibat, & vt omnes officij ſui admoneret, edictum contra vſurarios, & concubinarios promulgari fecit, grauiſſimas, & à iure præſcriptas pœnas proponens ijs, qui eiuſmodi criminibus tenerentur. Acciderat vt templum Cathedrale, ortâ inter Ioannem Thomam Droiouium Referendarium Regni, ac Capitaneum Præmiſlienſem, & Staniſlaum Stadnicki de Lesko pugnâ, tormentorum ictibus ac cæde nonnullorum in ipsâ templi ſacrâ areâ perpetratâ violaretur: indignè eam rem, vt par erat, ferens Epiſcopus, omnibus aditu Eccleſiæ interdixit, eum qui ſeditionis auctor erat, à ſacra communione remouit.

Vt ſe ab aulâ remoueat, Epiſcopatum Præmislien. fruſtra diſſuadentibus amicis acceptat.

A Carncouio Gneſnenſi Archiepiſcopo conſecratur.

In Archidiœceſi ita volente Archiepiſcopo Epiſcopalis officij rudimenta ponit, templa conſecrando, & in viſitatis Eccleſiis chriſmate fideles vngendo.

Viſitat vniuerſam Diœceſim.

In Templi Cathedralis Præmiſlienſ. violatores grauiter animaduertit, nihil veritus eorum potentiam ac familiæ ſplendorem.

mouit. Capitaneus is erat Præmisliensis homo potens, ac factiosus, qui cùm initio decretis Episcopi nequaquam obsecundaturus putaretur, eò tamen posteà se demisit, vt veluti præsenti numini sacris vestibus induto Episcopo, & extra limen Ecclesiæ progresso ad genua aduolueretur, supplexque, cunctis vehementer admirantibus, veniam facti precaretur, atque impositam eo nomine sibi pœnam vltrò susciperet. Eadem animi constantiâ vsus aliquot sacras ædes ab Hæreticis occupatas, Catholico ritui restituit, prouisionesque earum recuperauit. In propagando cultu Diuino sedulus, non modò idoneos verbi diuini præcones conquirebat, sed ipse etiam idem munus sæpè obibat. Inter alia pietatis studia, pauperum & egenorum peculiarem curam habuit, ac vt decenter & religiosè in Xenodochijs Nosocomijsque degerent, omni ex parte prouidit; Litaniarum vesperi quotidie recitandarum vsum in eiusmodi collegia introduxit, ac lege perpetuâ idipsum sanxit. Et vt, quemadmodùm existimaret, curam pauperum Episcopo incumbere demonstremus, argumento sit, quòd designatus adhuc Episcopus, dum Rex Corcini peste eo tempore, & fame circaquaque grassante versaretur, ac plurimi eò opis implorandæ causâ confugerent, ille egenorum patrocinium susceperit; vestes, alimentaq; prouiderit, & gregem pupillorum in classes diuiserit, alios artibus mechanicis erudiendos tradiderit, nõnullos obsequijs locupletiorum addixerit, omnium vti pater curam gesserit, aulâ totâ Regis inspectante, & optimi Antistitis pium erga egenos affectum mirante probanteque. Iaslicijs certè oppido Episcopatus Præmisliensis ædes pauperibus alendis construxit & dotauit. Brzozouiense Xenodochium prouentibus annuis auxit. In coërcendis puniendisque ijs, qui in aliquo deliquerant, seueritatem mansuetudini permixtam adhibebat, contentus sæpè si quis maximè ex Clero verborum illius efficaciâ permotus facti pœnitentiam lachrymis testaretur. Aliquem semper Sacerdotem, qui omnium suarum actionum inspector, & testis esset, secum habebat, eumque pietate insignem, ac potissimùm aliquem è Societate IESV deligebat. Quo die in Episcopum consecratus est, vestem cilicinam clam comparatam sumpsit, totoque triennio detulit, alijs item ad domandos inordinatos carnis motus vsus remedijs, extraordinarijs abstinentijs, ieiunio etiam Aduẽtus Domini quod illi solenne erat, quotannis exactissimè obseruato, se macerabat. Iam verò in Politicâ Episcopatus administratione, eaque muneris sui parte quæ ad Senatoriam functionem pertinet explendâ, excellens admodùm fuit. Exigua erat anteà in Russiæ Conuentibus Episcopi Præmisliensis auctoritas, quòd eâ non multùm opibus pollens tantorum Procerum, quibus ea prouincia abundat, potentiâ obscuraretur; Sed Pstroconius initio statim suscepti Episcopatus, nunc hos, nunc illos sibi adiungendo, ac officijs amorem primariorum sibi conciliando effecerat, vt longè aliam de se homines conciperent opinionem, existimarentque illum arbitrio alieno non addicturum sua consi-

Magno & constanti animo Templa ac redditus eorũ ab Hæreticis recuperat.

Mira Pstroconij Episcopi erga inopes pietas.

In delinquentes benignus, in se austerus, cilicium quod die consecrationis suæ sumpsit, ad triennium nõ deposuit.

Episcopi & Senatoris dignitatem grauissimè tuetur in Russiæ Conuentibus.

consilia, sed ea ex animi sui sententiâ moderaturum, id quod primo, qui Visnæ erat indictus conuentu, luculenter satis ostendit; nam magno Procerum numero, qui eum honoris causâ deducebant eò ingressus, in expediendis consilijs publicis facilè primas partes tenuit, ita vt & sententia ipsius ab omnibus comprobata esset, & cùm anteà Senatores omnes dictis sententijs excedere loco consilij, quo Equester Ordo priuatim de rebus deliberare posset, solerent, tunc publico omnium consensu quòd Nobilitas multum candori Episcopi fideret, illum, & alios Senatores retinuerit, nec aliter nisi illis præsentibus consilia sua se expedire velle ostẽderit. Quantâ auctoritate in Comitijs Cracouiensibus Anno millesimo sexcentesimo tertio celebratis, quæ prima posteaquàm Episcopus factus esset, fuerunt, sententiam dixerit, & quam spem de se concitauerit, non attinet recensere; illud sanè constat neminem tunc fuisse, qui partium factione infectus non esset, qui illi Vice-cancellariatum, quo per leges Regni Tylicius Episcopus Varmiensis diutiùs fungi non poterat, deberi non putaret; quæ res mouit Cancellarium, vt omni conatu ad retinendum in Magistratu Tylicium lege soluentibus obtinuit. Reuersus ad Episcopatum, in eo constituendo omne tempus impendit, inprimis autem de iuribus bonorum Ecclesiæ diuturnas controuersias cum potentibus vicinis ortas, & in varias lites productas, mirâ quadam solertiâ sustulit, finibusque certis fundum Ecclesiæ circumscripsit, ne qua deinceps de eo quæstio oriri possit, prædia nonnulla restaurauit, vnum etiam exstirpatis, excultisque agris construxit. Oppidum Iasliciens. in finibus Regni Hungariæ situm, mercatu vini nobile, muris cingere aggressus non mediocri parte eius operis effectâ, posteris eius munitionis perficiendæ exemplum reliquit. Grauis eo tempore in Regno Poloniæ familiam Diui Dominici discordia agitabat. Paucorum factione seiunxerant se Monasteria Russiæ ab obsequio eius Ordinis per Poloniam Præfecti; denique eò vsque ambitio discordias fouentium processerat, vt magno religionis dehonestamento, ad arma & cædes esset ventum, his illos è Monasterijs exturbantibus. Proceres plerique prout erga alteram eorum partem affecti erant, Episcopi etiam alij Russis, alij Polonis fauebant, opemque ferebant. Res agebatur magnâ contentione non in Poloniâ modò, sed in Vrbe ipsâ, adeò vt Clemens VIII. Pontifex Maximus, manus supremæ potestatis ad comprimendam eam seditionem admouere coactus fuerit. Igitur is dat negotium Pstroconio cognoscendæ eius causæ, qui solerti adhibitâ industriâ, posteaquàm vtriusque partis rationes expendisset, graui oratione castigatâ virorum religiosorum minùs religiosâ contentione persuasit, vt depositis odijs, æquas, quas ille præscripserat, concordiæ conditiones acceptarent. ita tum perniciosum schisma extinctum, & dignitati Ordinis in Ecclesiâ Catholicâ suo merito illustris, optimè consultum est. Intereà fit certior Pstroconius, Ioannem Tarnouium Archiepiscopum Gnesnensem supremo grauatum morbo, in summo vitæ periculo

Anno Domini 1603.

Dicta primũ in Senatu à Pstroconio sententia, quantam illi commendationem concitauerit.

Episcopatum suum ab iniurijs vindicat ac in splendorem pristinum restituit.

A Clemente VIII. Pontif. Max. arbiter ad componendas in Diui Dominici per Russiam & Poloniam controuersias constitutus, rem inter disidentes feliciter componit.

Ioannis Tarnouij Archiepiscopi Gnesnensis morbus supremus.

culo versari. Paulò antè is Stanislao Karncouio immortali memoriâ digno Antistite, (qui Ecclesiam Gnesnensem, Collegiumq; eius beneficentiâ suâ ita auxit, vt quod nunc eum splendorem retineat, illi potissimùm acceptum ferat) vitâ functo, Archiepiscopus Gnesnensis Regis beneficio renunciatus erat, prælatus in eâ petitione Tylicio, qui magnoperè eam dignitatem quæ prima est in Repub. concupiuerat, non solùm quod locus is vetustâ consuetudine Episcopis Cuiauiensibus deferri solitus fuerit, verùm etiam quòd Tarnouius suâ animi magnitudine, partisque opibus, & tantis quas sibi comparauerat clientelis, eorum conatus qui de Rege in ordinem redigendo, consilia inibant repressurus, & Regiam dignitatem Primatiali potestate asserturus putaretur. Quam conceptam de se expectationem vt non modò conseruaret, verùm etiam augeret, ita se statim comparabat, vt splendore nominis sui, & liberalitate in pristinum statum Archiepiscopalem dignitatem restitueret; cuius rei causa præter splendidissimum & numerosum aulæ comitatum, complures magni nominis Senatores sibi adsciuerat, qui illi præsentes essent, & quorum operâ in consilijs expediendis inniteretur, maioreque apud omnes esset auctoritate: Gnesnam eo apparatu ingressus, vt suâ magnificentiâ omnes qui vnquam in eo genere clari & illustres erant, cunctorum confessione superarit, vniuersamque Poloniam in admirationem sui conuerterit. Erat ei idem de Repub. sensus cum Sigismundo Miscouio consanguineo suo Supremo Regni Marschalco, ac præcipuum hominum opinione in Regis gratiâ locum eo tempore tenente, vtrique idem studium Regiæ dignitatis conseruandæ, quorum potentia cùm in tantùm excreuisset, vt suâ factione quiduis in Republicâ effecturi viderentur, Cancellarius sanè siue quòd omnino ita existimauerit, seu inuidiæ in Tarnouium, cuius omnis apparatus valdè illi suspectus fuit, concitandæ causâ, spargit Tarnouium conspiratione cum Rege factâ, Regnum inuitis Ordinibus per vim in proximis Comitijs in filium Regis Vladislaum Principem transferre velle, eiusdem criminis Miscouium, acethatertereà quod is accitis peregrinis titulis Equitis Poloni modum excederet, insimulat. Erat tum quoque in deliberatione Regis connubium, erant præterea multa Reipub. negotia, totque & tam potentes factiones, vt quemnam exitum habitura essent futura Comitia, incertum esset, maximè quòd in ijsdem Vice-cancellariatus, Tylicio Episcopatum Cuiauiens. adepto, alteri cuipiam conferendus esset, qui ne ad eum qui alterius factionis esset deueniret, Cancellarius summâ ope adniti constituerat. In eo rerum statu, vt dixi, Tarnouius graui ictus morbo, posteaquam aliquot septimanarum ægritudine vexatus esset, piè & religiosè excessit è vitâ. Venerat ad eum Pstroconius paulò antequàm vitâ functus esset, sed iam à sensibus alienatum intercluso linguæ vsu eum repererat, vt nullâ de re cum eo conferre posset. Delatam autem ad se supremâ Tarnouij voluntate testamenti curam ita suscepit, vt nihil prætermitteret, quò ea quæ ille iussit, rata fierent, in eaque

Quâ ratione in Archiepiscopũ euectus fuisset.

Quanto apparatu Gnesnã ingressus.

Quæ simultates inter eum & Cancellarium interuenissent.

Moritur Tarnouius.

eaque re summam fidem defuncto amico & benefactori suo præstitit. Et sanè nisi ille suam auctoritatem interposuisset, piæ Tarnouij fundationes, in quas ille liberali animo grandem pecuniæ summam effudit, in irritum recidissent. Iustis Tarnouio Louicij persolutis, rebusque illius ritè ordinatis, constituerat in Russiam ad Episcopatum reuerti, quo hominũ sermoni se subtraheret, qui existimabant eum Vice-cancellariatum ambire; sed cùm in Comitijs, quæ iam indicta erant, insultaturos plerosque mortuo Tarnouio, famamque & existimationem illius calumnijs oppugnaturos prospiceret, veritus ne & defuncti, & suam pariter innocentiam in discrimen conijceret, mutauit sentẽtiam, tantisperq; Louicij substitit, donec Comitijs inchoandis dicta dies veniret. Quæ posteaquã appetijt, profectus Varsauiam amicis hortantibus ne sibi deesset, minimo sanè conatu summâ Regis voluntate munus Vice-cancellariatus consecutus est, opus sanè maioris quàm alio vnquam tempore negotij. Videbatur enim Rex eum factioni Zamoscianæ opposuisse, vnumque è reliquis legisse cui potissimùm fideret, cuius prudentiâ & consilio niteretur. Comitia quidem ea, agente Cancellario rebus infectis soluta sunt, Rexque tantummodò duobus Senatusconsultis factis, quorum alterum de connubio Regis, alterum de concedendâ Electori Brandeburgensi curâ ægri in Prussiâ Principis fuit, Varsauiâ Cracouiam profectus est. Omnium planè tunc oculi erant in Pstroconium conuersi, in illum omnis incubuit inuidia popularis. Sed profectò est quiddam diuinum in ijs viris qui difficillimo tempore gerendis Magistratibus admouentur, vt peculiari ij Diuini numinis ope subleuati videantur. Erant plerique Pstroconio parùm æqui, qui nihil minùs quàm huic Magistratui ferendo parem, & mox suo ac Regis dedecore tanto oneri succubiturum eum augurarentur. Sed ille suscepto eo munere, omnes industriæ intendit neruos, ad gerendum ex dignitate Regis & Reipub. eum Magistratum, effecitque vt non modò Regem non pœniteret hoc eum honore auxisse, verùm etiam reliqui omnes faterentur, tali tempore neminem alium aptiorem fuisse, qui Regias partes contra maleuolorum conatus accuratâ publicorum consiliorum moderatione tueretur. Comem & facilem se omnibus præbere, palamque animum ab omni æmulatione & maleuolentiâ alienum ostendere, sincerè vel cum ijs ipsis qui non benè ei vellent agere, quasi innatum illi erat. Eâ re effecit vt Cancellarius ipse, posteaquàm actiones ipsius propiùs inspexisset, non malè de illo existimare cœperit, datisque ad eum literis, & depositâ omni simultate ad capessendam Rempub. consiliaque secum communicanda eum cohortatus fuerit. Et sanè si is diutiùs vixisset, effecisset mox Pstroconius suo candore, & sincero de rebus iudicio, vt illi non minorem Cancellarius quàm alijs qui ab ipsius arbitratu pendebant, fidem haberet, neque eò res deuenisset, quò mox vitâ functo Cancellario, hi qui, vt aiebant, ex mente Cancellarij præposteris consilijs ingentem in Repub. motum excitarunt, progressi sunt.

Eius suprema voluntatis executor Pstroconius iusta Louicij defuncto persoluit.

Pstroconius Vice-cancellarius Regni renunciatus.

Eximia Pstroconij Vice-cancellarij in obeundo suo munere solertia.

Suo candore frangit Cancellarium, eumq; sibi comparat amicum.

ſunt. Sed cùm Cancellarius quarto ab exactis Comitijs menſe, Anno ſalutis humanæ milleſimo ſexcenteſimo quinto in viuis eſſe deſijſſet, non modò tota negotiorum moles in vnum incubuit Pſtroconium, verùm etiam, ea quæ viuente Cancellario à quibuſdam agitata dicebantur, de indicendo Conuentu Rocoſſiano conſilia in apertum proruperunt, auctore Nicolao Zebrzidouio Palatino eodemque Præfecto Generali Cracouienſi, viro acri, non ita pridem Regiâ gratiâ florenti, & eo offenſo popularem auram ſiniſtrâ Regiarum actionum interpretatione captanti; quæ res quantum in Repub. mali pepererit, quibuſque diſſidijs pacatum Regni ſtatum exagitauerit, ac poſtremò ciues ipſos in mutuam perniciem armauerit, alio loco à nobis narratum eſt. Ad Pſtroconium quod attinet, ille pacatorum cõſiliorum auctorem ſe præſtitit ſemper, tum potiſſimùm cernens grauari Regiam exiſtimationem confictis criminibus, odiumque populi augeri, eò incubuerat, vt conciliandis hominum animis creſcentem inuidiam minueret: ac inprimis Staniſlaum Zolkieuium tunc Caſtellanum Leopolien. ac Præfecturæ Exercituum Regni pro Zamoſcio vicarium, vnum ex intimis amicis Zamoſcij, virum recti iudicij, & priuatis rationibus publicam ſalutem anteferentem Regi conciliauit; effecitque vt mortuo Zamoſcio huic vni, etſi Regi aliquantiſper ob amicitiam Zamoſcij ſuſpecto, ſecundùm mortem illius cura Exercitus demandaretur: plurimùm ea res valuit ad labefactandas partes aduerſæ factionis. nam cùm plerique cernerent Zolkieuium non fauere conatibus Palatini Cracouienſis, facilè ijdem in partes Regias cõceſſerunt; Pſtroconio in eam curam incumbente, vt quàm plurimos ad rectè de Rege, Regijſque deſtinatis ſentiendum induceret. Præcipuè autem aduerſa factio in inuidiam populique odium vocabat Regem, eo quòd ille diſſentientibus pleriſque & diſſuadentibus, Conſtantiam Caroli Archiducis Auſtriæ filiam, prioris vxoris ſororem germanam, conſortẽ thori deſtinaret: ea res aduerſâ vulgi opinione excipiebatur, paucique erant qui ſibi id perſuaderi paterentur, id Summo Pontifice annuente & ſacris legibus, quibus Rex cùm prioris vxoris ſorore matrimonium inire vetabatur, eum ſoluente, ritè & legitimè fieri poſſe. Hoc illud aiebant aduerſarij eo matrimonio peti, vt Rex illicitis matrimonij pactis initis, Regnum Auſtriacis traderet; multæ ſub hoc nomine ſparſæ in vulgus opiniones, vanæ licet & nullo nixæ fundamento, apud credulos & in ſeditionem pronos fidem habebant. Et Rex quidem circa exitum anni, deducentibus in Regnum ſponſam Mariâ matre, Maximiliano fratre Archiducibus Auſtrię, Cracouiæ nuptias celebrauit, effecitque vt ſacri ſimul & ſecularis Ordinis præcipui quique eis intereſſent, actumque eum cohoneſtarent. Cæterùm factio aduerſa tantò magis exarſit, non in Regem modò, ſed in omnes, qui Regijs deſtinatis non aduerſati fauere ijs putabantur: præcipua autem inuidiæ flamma hæſit in Pſtroconio; ille omnium ſermonibus Regiarum nuptiarum conciliator, eorumque conſiliorum,

Rokoſij initia.

Pſtroconius Vice-cancellarius, mortuo Cancellario, difficilimo regni tempore totam negotiorum molẽ ſuſtinet.

Zolkieuium Regi conciliatum Rokoſſianorum conatibus opponit, & per eum plurimos in Regias partes pertrahit.

Quas ob cauſas Regi ab aduersâ parte conflatum odium.

Idem odium deriuatur in Pſtroconium, ſed falsò.

filiorum, quę vulgò ſuſpecta erant, auctor exiſtimabatur. Vidit ille & prę-uidit, Regique ipſi ſæpè dixit, ea quæ mox ſecuta ſunt euentura, ſuaſitque Principi, vt aliquantiſper opinioni hominum ſeſe accommodaret: ſed eò iam res deuenerat, vt nec Regi ipſi integrum eſſet reſilire ab incepto, nec dignitate ſaluâ poterat reſcindere pacta, fidemque datam Principibus Auſtriacis, qui duobus Summis Pontificibus, Clemente VIII. & Paulo V. ſuadentibus & annuentibus hanc ipſam Regio matrimonio deſtinarant. Non eſt huius loci vt vtilitates huius connubij, Regemque & eos qui hoc conſilium probarunt, nihil perperàm egiſſe oſtendam; hoc tantùm innuiſſe ſuffecerit, Pſtroconium nunquam quidem Regi auctorem huius nouæ, & vulgò non probatæ affinitatis contrahendæ fuiſſe, cæterùm re perfectâ non ſecus ac ſi ipſe princeps eius conſilij eſſet, ita Regem factumque eius tuendum ſuſcepit, vt grauiſſimis rationibus oſtenderet, non benè eos patriæ conſulere, qui Regem & Senatum eo nomine apud imperitum vulgus inuidiâ onerarent; quippe ſeditionis & inteſtinæ diſcordiæ cauſas ab ijs quæri apparebat. Quod mox innotuit, cùm Palatinus Cracouienſis cum Hæreticis cōſilia communicare cœpiſſet, atque eorum potiſſimùm fretus potentiâ, primò ad Stęzicam, mox Lublini Conuentum egiſſet, generalemque totius Nobilitatis Conuentum, quem Rokos, petito ab Hungaris, gente ad ſeditionem natâ nomine, appellare placuit, ad Sendomiriam priuatus homo, priuatâ auctoritate indixiſſet. Multa hìc commemorare poſſem propoſita à Pſtroconio conſilia ad eludendos conatus aduerſæ factionis prudenter accommodata, ſed duo tantùm attingam, quæ ſalutaria fuiſſe, & ſalutem ipſam Regi attuliſſe exitus docuit. Alterum eſt Zolkieuio reconciliata gratia Principis, eo in aulam diſſuadētibus pleriſque euocato, quam rem tantâ curâ egit Pſtroconius, vt cùm Zolkieuius iam ad Regem proficiſceretur, & neſcio quis ſuſpicionis ſcrupulus Regi ab inuidis, & Zolkieuianę laudis oſoribus iniectus eſſet, perſuaſumque vt Rex ad eum mitteret, quo ex itinere domum regrederetur, obſtitit conſtanter Pſtroconius, effecitque vt venientem Rex benignè ſuſciperet, curam publicæ ſalutis illi demandaret, quam ille fide integrâ geſſit & ſuſtinuit. Alterum eſt cùm iam Rokoſſiana factio apertam ſpiraret rebellionem, atque in eo res eſſet, vt Cracouienſi Vrbe præſidio firmatâ, Palatinus Reipub. nomine Regem ingreſſu eius Vrbis arceret, arcemque & inſignia Regni in poteſtate ſuâ teneret, quoad Rex obiecta, vt illi dicebant, crimina coram datis à Nobilitate arbitris dilueret. Fit de eo conſilio certior Rex, conuocato Senatu proponitur, quid in tali caſu facto opus ſit, Cracouiamne cuius Arx iam modico Palatini præſidio tenebatur, & quam Palatinus ipſe mox maioribus copijs ingreſſurus dicebatur eundum, & præuertenda celeritate hoſtium conſilia; an in Pruſſiam ſecedēdum, quoad Zolkieuius qui in Ruſſiâ copias agebat cum Exercitu ſuperueniret? pleriſque Senatoribus periculi Regis quàm dignitatis maiorem rationem ducentibus, & vt in tutum

Pſtroconius tamen partes Regias tutatur ſtrenuè tanquam cōmunem cauſam.

Rokoſſianorū Conuentus, quorum conſiliis prudenter obuiat Pſtroconius.

locum permissa hosti Cracouia Rex se cum coniuge & liberis reciperet, aut certè Varsauiæ vbi tum cum aulâ erat subsisteret, ne quam occasionem hosti armato suâ discessione vel Cracouiæ occupandæ conatu sui violandi præberet suadentibus, è contra Pstroconius grauissimis rationibus concessâ aduersarijs Cracouiâ, actum esse de Rege & Regno ostendit, eundem obuiam hosti & audendum, celeritate tantum opus esse, cætera ac iter ipsum expeditum fore, ciues Cracouienses integrâ esse erga Regem fide, nec Palatinum ita paratum esse, vt Regem præuenire possit, & si præueniatur, non ausurum eò progredi. Varsauiæ qui subsistendum Regi suaderent, eos longè maiori periculo personam Regiam obnoxiam facere, quid enim non ausuros hostes occupatâ Cracouiâ, fugæ verò & in tutiora loca sese recipiendi consilium longè à dignitate Regiâ, longè à præsenti rerum statu alienum videri, ad fallendum tamen distinendumq; hostem naues parari placuit, sparso rumore Regē Torunium vel Mariæburgum in Prussiam nauigaturum. In hanc sententiam frustra renitentibus alijs facto Senatusconsulto, ea ipsâ horâ decreta est Cracouiam profectio, eodemque die susceptum iter, vt aduersâ factione nihil minùs quā eo tempore Regem Cracouiam profecturum suspicante, Rex priùs propè Cracouiam constiterit, quàm à Palatino eodem iter intendente id sciri possit, coactusq; sit Palatinus retrocedere reuocato properè ex arce Cracouiensi suo quod isthic erat præsidio, ne in potestatem Regis veniret; vtriusque istius consilij auctore Pstroconio suscepti Regē nunquam pænituit, & prudentes rerū æstimatores optimè rebus Regijs eâ ratione cōsultum esse iudicabāt, quod & exitus rei probauit. Multa alia referre possem, quæ ille Regi vtiliter suasit; erat enim vir perspicacis iudicij & prompti consilij, quod non solùm grauiter proponere, verùm etiam prudenter explicare nouerat. Cancellarius Regni in Comitijs Regni Varsauien. Anno 1606. renunciatus, collegamq; in eo munere sortitus Stanislaum Minski ex Palatino Lanciciensi, Procancellarium Regni à Rege creatū, summam tamen consilij ipse tenuit, quòd Procancellarius inuidiam apertè subterfugeret, neque earum actionum, quę Magistratum eum gerentibus pro salute Principis intrepidè suscipiendæ erāt, partem aliquam capessere vellet. Itaque Pstroconius, & ea ipsa Comitia & Vislicíensem Conuentum, quem Regiarum partium Duces, Rokosiano apud Pokriwnicam acto opposuerat, & cui Rex ipse vniuerso ferè Senatu sibi adsistente præerat, ablegato ad Rokosianos Procancellario, & mox eodem graui morbo oppresso solus obiuit, omniaque Cancellarij munia sustinuit: soluto eo Conuentu; quòd Rokosiani graues & iniustas Regi, & ijs qui cum Rege erant conditiones ferrent, motis cōtra eos copijs ad Ianouecium ventum est, vbi Palatino Cracouien. & Ianussio Radiuilo, qui Exercitui Rokosiano pręerant, vel captis vel deditis, vel vt ipsi aiebant, sponte iudicio Senatus sese permittentibus, cùm non deessent qui suaderent auctores seditionis vel necandos, vel in vinculis retinendos, hic quoque mitioris sententiæ auctor

Cracouiam Regi in primis occupandam salubriter consulit Pstroconius.

Quod proceres in Senatusconsulto & exitus impensè comprobauit.

Pstrokonski Cancellarius Regni.

auctor fuit Pstroconius, negans per leges Regni licere in ciues ordinario iudicio nondum iudicatos animaduertere, maioremque motum excitatum iri, si illi licet id meriti, opinione tamen vulgi insontes existimati, vel morte punirentur, vel contumelia afficerentur, diem potiùs illis dicendam, vt in proximis Comitijs se sisterent, causamque excitati tumultus dicerent. Ita illi tum sponsione data dimissi, cùm non seruata fide iterum armis & non iure se tuerentur, neque vocati ad Comitia venire vellent, non deerant qui lenta Pstroconij consilia accusarent, sed illi semper constitit ratio dati consilij. Secuta sunt posteà Comitia anno 1607. Varsauiæ indicta, armata illa & turbulenta, cùm Castris quorum præsidio tutò negotia publica tractarentur, ad Vrbem admotis, tertio inde milliario hostium castra abessent, & inter militarem strepitum armorumque vim consilia expedirentur. Actum est cum Rokosianis vt ab armis discederent, atque arbitrio Senatus, & totius Reipub. se causamque suam permitterent, sancitæ plurimæ leges ad stabiliendas Nobilitatis libertates, circumscribendumque Regium imperium pertinentes, satisfactum magna ex parte populi desiderio & minùs æquæ flagitationi. Rex ipse quò suum pacis cupidum animum cunctis declararet, nihil se non facturum, quòd concordi omnium sententiâ à se postularetur, testatus est, & fecit pleraque fecissetque multò plura, nisi ortâ inter Ordines Regni de rebus controuersis disceptatione, mutuis altercationibus Comitiorum tempus extractum fuisset. Postremò cùm nullis omnino rationibus Rokosiani vt pacatè se gererent, ab armis discederent, causam suam iudicio Ordinum Regni permitterent, adduci possent, cùm persuasiones amicorum & principum Senatus, qui ad illos Regis permissu sæpè commeabãt, cùm Regis & totius Reipub. auctoritatem contemnerent, factum Senatusconsultum, vt nisi intra certũ diem arma deponerent, eo loco quo hostes patriæ haberentur, & vi atque exercitu ad officiũ reducerentur. Neque tamen his illi territi, rem pene dictu incredibilem ausi non plures quã duo Palatini, Nicolaus Zebrzydowski Cracouiensis & Ianussius Grudzinski Rauensis, ac Castellanus Parnauien. Petrus Staborowski, isque nondum eo sacramento quo Senatores Regi & Reipub. obligantur obstrictus, nec pleni iuris Senator, pauci prætereà ex Equestri Ordine, Regi Regnum publicè proposito edicto abrogarunt, institium indixerunt, interregnum promulgârunt. Erat Regia causa potior & iure, & viribus maioribus nitebatur, stabat à parte illius & Comitiorum consensus, & vniuersus Senatus, & exercitus robur. Aduersariorum è contra omnis in eo spes, militem Regium contra ciues arma non stricturum, faciliùs eum seditionem moturum, quàm causam Regiam armis defensurum. Nec temerè ea orta erat fiducia, nam plerosque è Regio exercitu ea opinione imbuerant Rokosiani, quasi illi pro libertate niterentur, hi qui cum Rege stabant, eandem oppugnatum irent; itaque & in Castris præsente Rege variæ voces audiebantur, & postmodùm cũ Rokosiani primi

Eius contra reos Rokoßanos mitior proposita sententia.

Cum Rokosianis primò pacatis consiliis actum.

Armis tandem decertatum est.

versus Cracouiam castra mouissent, Rexque cum Exercitu eos secutus, & apud Varkam oppidum assecutus fuisset, complures militum turmæ iussæ cum hoste manus conserere, imperium abnuerunt. & nisi arte Zolkieuij, seueraque in paucos seditionis auctores animaduersione, exercitus exactis proditoribus purgatus fuisset, nescio an non summo gentis nostræ dedecore, Regis eorumque qui Regias partes sequebantur, causa prodita fuisset. Nec apud Vranscum eâ alacritate animorum à Regijs militibus excepta pugna, trepidatumque & magnâ confusione res acta, Ducibus ipsis qui bello præerant, (præerant autem Carolus Chodkieuiuicius dextro, Stanislaus Zolkieuius sinistro exercitus cornui) non satis inter se concordibus, ita vt Rex ipse in summo periculo versaretur, & fuga passim conturbatis ordinibus fieret. Insperata ea res accidit nobis, qui cum Pstroconio non longè à Prætoriâ Regiâ cohorte inermes substiteramus, visaque res proditioni similis, idque veritus Pstroconius adacto calcaribus equo ad Regem contendit, præfatus se cum Rege omnem fortunæ sortem excepturum, nec aliam salutis viam quæsiturum, conspicatusque vnum & alterum vexillum fugientium, vexilliferos prehendi iubet, atque penè inuitos & metu conterritos, suâ auctoritate è fugâ retrahit, atque ad Regem, qui cæteris metu turbatis & varia suadentibus, imperterrito animi Regi vigore nunquam loco moueri potuit, adducit. Mirati sunt qui præsentes erant Episcopi animi magnitudinem, tantò magis quòd nonnulli qui in ipsius comitatu erant, nõ verbis magis quàm exemplo fugam suaderent, eamque deserto Episcopo turpiter capesserent. Multa prætereà alibi dicenda vel dicta. Victoria Regi obtigit, pauci ex hostibus ceciderunt, sparsi reliqui quò quemque sors tulit abierunt: cæsi in acie vt terræ mandarentur, ea verò prima Pstroconio cura fuit, vt vulneratis Medici adhiberentur, vt moribundis Sacerdotes adessent, eiusdem summa solicitudo, nec vllum inter hostes & suos discrimen, pari omnes affectu complexus, vtrisque simul quantum res & tempus patiebatur, consultum esse cupiebat, me inter alios paterno imperio coëgit, vt partem curæ eorum qui è vita excedebant capesserem, eosque sacrâ ex homolegesi expiatos ad mortem Christiano ritu obeundam præpararem: feci id non inuitus cùm alij deessent, qui id munus obirent. Victis prælio aduersarijs, deliberabatur quâ pœnâ ij afficiendi essent, qui in acie contra Regem steterant, Rege optimo annuente & suadente Pstroconio, in neminem sæuitum, quos fortuna belli seruauit, nulli bona adempta, mansêre omnes incolumes, etiam ij, qui proditionis & initæ cum Gabriele Batthoreo Principe Transiluaniæ, de tradendo illi Regno, conspirationis rei conuicti sunt. quorum vnus Ioannes Felix Herbortus, clarâ & illustri ortus familiâ, eruditionis & eloquentiæ opinione tumens, leuis idem & ob egestatem ad seditiones resque nouãdas pronus, captus, cùm literis proprijs conuinceretur, perniciosa in Regem & Rempub. cum Batthoreo consilia agitasse, iam iam capitali supplicio vniuersi Senatus

Quæ circa conflictum egerit Pstroconius.

Victoria penes Regem stetit.

Sauciorum & cæsorum in pugna, pia & accurata Pstrocomj cura.

Pstroconio suasore in neminem rebellium sæuitũ.

Nullius ciuiũ extra pugnã sanguinem fundendum, prudens consilium Pstroconij.

natus ſententiâ addicendus, Pſtroconij qui extra aciem *nullius* ciuis ſanguinem eſſe fundendum, multis iiſque efficacibus ſemper vrſit argumentis, ſententiâ ſeruatus eſt, & pôſt ſponſione datâ, dimiſſus. Reliquis etiam rebellibus, vt Rex veniam daret, ac clementiâ potiùs quàm ſeueriori animaduerſione Rempubl. pacaret, facilè benigniſſimo Principi perſuaſit: itaque Senatu quoque vniuerſo in eam adducto ſententiam, agente potiſſimùm Zolkieuio, qui quòd ſororem vxoris Palatini Cracouienſis in matrimonio haberet, ſanguiniſque arcta coniunctio inter mutuos eorum liberos intercederet, indoluiſſe vices Palatini, & illi iam facti pœnitenti poſtremò fauiſſe putabatur, conditiones quibus Palatinus in Regis gratiam admitteretur, præſcriptæ ſunt. Vocatiſque ad Regem Cracouiæ eo tempore aduersâ valetudine laborantem Senatoribus Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ, poſtquàm aliquantiſper diſceptatum eſſet, inter eos qui maiorem Regiæ dignitatis rationem habendam, & eos qui nonnihil Palatino quoque indulgendum cenſebant, ad extremum venit ipſe Palatinus, verbiſque præſcriptis præteritorum veniam à Rege petijt, pariterque conceptis ſcripto orationibus Pſtroconius nomine Regio, & Ioannes Zamoski Archiepiſcopus Leopolienſis, pro Senatu illi reſponderunt. Ita tum pax coijt, & Reſpub. priſtinæ tranquillitati reſtituta eſt. Hæc anno 1608. menſe Maio acta, cuius etiam anni initio Bernardus Macieiowski Sac. R. Eccleſiæ Cardinalis Archiepiſcopus Gneſnenſis ceſſit è vita, vir pietate inſignis, genus illi clarum & illuſtre, quippe nepos fratris Samuëlis Macieiouij Epiſcopi Cracouienſis, qui Sigiſmundo Primo, & poſt Auguſto eius filio regnante, Princeps Senatus habitus Regni Vice-cancellarius fuit, primis ætatis annis ſub Rege Stephano militiam profeſſus, aulici comitatus Vexillifer ſumma cum laude munus id ſuſtinuit, mox abiecto balteo militari, ſacris initiatus atque Romam profectus, totum ſe Eccleſiaſticis inſtitutis imbuendum impendit, cunctis ob vitæ integrè actæ ſanctitatiſque conſtantem opinionem amabilis, primò Epiſcopus Luceorienſis renunciatus, mox legatione Regis Sigiſmundi nomine apud Sixtum V. Summum Pontificem functus, cùm magnum ſibi in Romanâ Curiâ affabilitate & comitate amorem conciliaſſet, ſecundùm mortem Georgij Cardinalis Radiuili, qui in Vrbe vitâ functus eſt, Clemente VIII. Summo Pontifice Regi eum impensè commendante, Epiſcopatum Cracouienſem adeptus, mox ab eodem Pontifice in numerum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium relatus, poſtremò mortuo Ioanne Tarnouio, Archiepiſcopus Gneſnenſis factus, minùs biennio ei ſedi præfuit. Extremis vitæ annis ſimultas ei cum Rege interceſſerat, fauiſſe Rokoſſanorum conatibus putabatur. Sed nos ad noſtra, Alberto Baranouio ex Epiſcopatu Vladiſlauienſi Gneſnam Regiâ deſignatione tranſlato, Regiâ item voluntate Epiſcopatus Vladiſlauienſ. Pſtroconio delatus eſt, quem dignitatis Eccleſiaſticæ locum adeptus, iam in portu res ſuas collocatas exiſtimabat.

Pax inter Regem & Rokoſſanos Pſtroconio in primis laborante ſtatuta.

Mors pia Cardinalis Macieiouij eiuſq; res in vita geſtæ.

Pſtroconio Epiſcopatus Kuiauienſis delatus.

Nihil igitur nisi quod ad functionem eam ritè obeundam pertineret mente voluens, totus eò propendebat, vt quàm primùm supremi Cancellarij munus deponeret, publicarumq; rerum abdictâ curâ, Episcopi officio fungeretur. Ergo Comitiis Varsauiæ anno 1609. mense Ianuario indictis, cùm Regem Volborij, oppidum id Episcopi Vladislauiensis, Cracouiâ Varsauiam proficiscentem conuiuio excepisset, vix dum rectè inchoatis Comitijs institit apud Regem, vt quàm primùm sibi Magistratu abire liceret, quod cùm vix tandem obtinuisset, in hospitium reuersus, veluti diu desideratâ quiete partâ, mirificè lætatus est, immensas Diuinæ Maiestati agens gratias, quòd in tantâ negotiorum mole sustinendâ singulari ope sibi adfuisset: quòd enim tanto ponderi non succubuisset, quòd Magistratum eum difficillimo Reipub. tempore ita gessisset, vt nec inuidi, nec inimici quidquam haberent, quod criminarentur, soli Deo acceptum ferebat. Vna res erat, quæ animum ipsius magnoperè solicitum habebat, dati erant auctoritate Comitiorum è Senatu, & Equestri Ordine, qui statum Ducalis Prussiæ inspicerent, formulam regiminis præscriberent, & Alberto Brandeburgico, qui eo quòd motæ mentis esset, Curatore egebat, Curatorem Ioannem Sigismundum Electorem Brandeburgensem à Rege & Repub. datum, certis præscriptis conditionibus in possessionem eius curatelæ immitterent, ac nouo sacramento Prouinciam illam Regi & Reipub. obstringerent: inter eos quibus hoc negotium tractandum commissum erat, princeps erat Pstroconius, eum vehementer torquebat cura suscepti istius negotij; nam inprimis ad officium suum pertinere iudicabat, omni studio promouere in Ducatu Prussiæ iam dudum pulsam isthinc, & eliminatam religionem Catholicam, id si impensiùs vrgerent, verebatur ne acriùs obtinentibus hæreticis, status illius Prouinciæ perturbaretur, omnisque in eum culpa infecti negotij recideret: non poterat autem vllam iustam Regi adferre causam, quo illo annuente sibi liceret domi manere, quamobrem me alijsque præsentibus, sæpè Deum precatus est, vt si minùs fructuosa & salutaris Ecclesiæ, ac Patriæ hæc sua legatio futura esset, se vel morbo impediret, vel si ita diuinæ Maiestati visum foret, è vita tolleret, voti vt mox videbimus compotem fecit Deus. Cracouiam ad Regem venerat, accepturus mandata secundùm quorum præscriptum Prussicum negotium tractari debuerat. Sacro parasceues die, Rege templa Christiano ritu religiosè obeunte, cùm in deducendo & manu sustinendo Rege aliquantisper fessus esset, altera die leuiori febri correptus, non satis curato morbo Cracouiâ discessit. Volboriam properans isthic valetudini recuperandæ Medicorum operâ adhibitâ, aliquantùm temporis impensurus; sed & Volboriæ tanta negotiorum moles eum circumstetit, vt non modò Medicis vacare non potuerit, sed & ad necessariam etiam quietem sumendam non satis temporis ei suppeteret, crebrò eum interpellantibus amicis, quibus tantùm indulgebat, vt sibi non parceret. Sed non solùm Volborij, verùm

Cancellarij munus deponit Pstroconius.

Prußiam Ducalem ex Regis & Ordinũ sententia inspicere & Curatori fatui Principis conditiones ex Senatusconsulto præscribere iussus.

Morbo intercipitur.

& in itinere deinceps Vladiſlauiam verſus ſuſcepto, exiguam habuit valetudinis curam, quòd nimiùm fideret viribus ſuis, ſeque non facilè morbo deijci poſſe exiſtimaret. In Coualienſi primùm oppido, quòd vicinum eſt Vladiſlauiæ, ſenſit ſe iterum tentari morbo, die decimâ ſextâ Maij Eccleſiam ſuam Vladiſlauien. ingreſſurus, multos proceres eius prouinciæ obuiam ſibi progreſſos, magna animi hilaritate excepit complexuſque eſt: dies erat nimio ſolis calore feruida, tot autem viris nobilibus, qui honoris cauſa obuiam prodierunt Epiſcopum ſalutantibus, neceſſe erat quemlibet eorum excipere, dicentem audire detecto capite, ita incaluit corpus itinere alijſque curis, & ipsâ ſuſcipiendi Epiſcopalis oneris meditatione feſſum, peractis tamen ingreſſus ad Eccleſiam cæremonijs, finitiſque ſalutationibus deductus ad arcem, multâ illuſtrium virorum frequentiâ menſæ aſſedit, & vix guſtato cibo, quaſi telo aliquo ictus ſubitò ſe proripuit; ſecuti ſumus abeuntem, ille verò eo morbo lætus, hoc illud eſt, inquit, quòd in ipſo tanti honoris ingreſſu mihi euenire oportuit, ne nimiùm me extollerem, leui plagâ me diuina manus tetigit. Febricula erat leuior, quam vt aliquod periculum ab eâ timeri potuerit, & quæ intra vnius horæ decurſum deferbuit, ſed poſtridie totum corpus flauâ bile perfuſum ictericio ſiue regio morbo eum affectum eſſe oſtendit. Aduocati Medici venam ſecuerunt, fluxit ater & aduſtus ſanguis, ſignaque futuri & diuturni morbi apparuerunt, ac Medicis ſeriam affectæ morbo valetudinis curam ſuadentibus, ille inprimis de ſalute animæ ſolicitus, Confeſſarium Presbyterum è Societate IESV, qui tum Torunenſis Collegij Rector erat Corczeuium accerſit, huic humiliter geſta totius ſuæ vitæ fateretur, veniam delictorum poſcit, mox ritu Catholico expiatus, me accerſito quaſi iam iam moriturus, Tabulas ſupremæ voluntatis cõficit. Mirabamur hominem vt nobis videbatur ſatis valentem, nec vi morbi deiectum, in continuâ verſari cogitatione mortis, animo quidem intrepido, & quaſi magnum quid aggredi geſtiente ſolicito. Teſtamento legitimè condito, omnibuſque ritè diſpoſitis, ſacriſque more Catholico expiatus, tum demum accerſitis Medicis, curandum ſe illis permiſit: lenta erat vis morbi, cuius cauſa obſtructio venarum meſſaraicarum à diuturno tempore contracta; nec enim ille niſi morbo vrgente medicinis vti conſueuerat, nimiâ quadam ſuæ valetudinis fiduciâ, alios etiam irridere ſolitus, qui cùm rectè valerent, Medicos nihilominus ad curam corporis adhiberent. Ego morbi cauſam ad curas & ſolicitudines, angoreſque animi, quos in gerendo Magiſtratu toto ferè Vice-cancellariatus, & Cancellariatus tempore, ſine collegâ, ſine vllo leuamento, ſolus tantum onus ſuſtinens pertulerat, retulerim. Medicis igitur manum admouentibus tantùm abfuit, vt morbi vis decederet, vt etiam maiora incrementa ſumeret, per ſex continuas ſeptimanas decubuit; hoc temporis interſtitio bis recidiuâ febri tentatus, eâque facile leuatus, non remiſit animum à publicis curis, ac inprimis quotidie ferè ſacrificium incruentum

In ſuo in Epiſcopatum atque in Eccleſiam ſuam Vladiſlauien. ingreſſu morbus inualeſcit.

Curam valetudinis ſuadẽtibus Medicis, & amicis, curam animæ potiorem habet Pſtrocomius.

Teſtamento condito, & procuratâ animâ curationem valetudinis tum demum Medicis permittit.

Morbi cauſa & occaſio.

tum offerens, immensam lacrymarum vim profundebat, omnes qui adire ipsum vellent, facillimè admittebat, causis iudicandis aliquoties præsedit, de statu Ecclesiæ, subditorumque solicitus, & cùm, vt dixi, in cogitatione perpetuâ mortis esset, quasi tamen vitæ certus, ad extremum eius exitum nullam muneris sui functionem intermisit. Cùm tertia iam hebdomada morbi præterijsset, rati Medici loci mutatione morbum decessurum, suaserunt vt Raciazum (arx est Episcopalis amœno admodùm loco sita, quatuor milliaribus Vladislauiâ distans) proficisceretur; fecit id ille libenter, nihil tamen eâ migratione effectum, idem morbus, eadem illius vis manebat, & vt dixi maiora in dies incrementa sumebat. Non possum silentio præterire insigne Pstroconij pietatis studium, quod in hoc itinere exhibuit: Templum erat Raciazij à Rozrazeuio magnis impensis inchoatum, & ferè iam perfectum; deerant turres, altaria, fenestræ, id à successoribus Rozrazeuij, Tarnouio, Tylicio, & Baranouio neglectum, pecoraque in loco sacro (nam eius templi in veteris Ecclesiæ loco posuerat fundamenta Rozrazeuius) stabulari, ossa humana diruto ossario, à canibus & feris dilacerari & dispergi, ita indoluit Pstroconius, vt lacrymas tenere non potuerit: è vestigio igitur iubet purgare locum, fores ad portas aptare, ossarium nouum condendis fidelium ossibus construere, vitreas fenestras conficere, quæ omnia summâ celeritate, illo instante & perurgente perfecta sunt; & si diuturnior vita illi obtigisset, haud dubium quin illâ ipsâ æstate totius fabricæ opus perfectum reddidisset, sed eius rei laus reseruabatur eius successori Laurentio Gembicio, qui pari tactus pietate, simul ac Episcopatum cepit, finem huic operi imposuit. Morbo in dies crescente, accessit postremò febris, quam, vt est, malignam Medici vocant, ac insuper triduo ante mortem aposthema, dextrâ faciei partem ac fauces ipsas occupauit. Nulla iam spes erat salutis, & Medicis tacentibus, ipse viribus se destitui animaduertens, nihil territus supremâ necessitate, ad mortem constanter & piè obeundam se præparabat; sermo nullus nisi de rebus diuinis, de cælesti illâ patriâ, de diuina erga genus humanum clemētiâ; quotidie sacrum Missę officium, cùm iam destitutus viribus ipse sacris operari non posset, audiuit deuotè & religiosè; petitas ex sacris Psalmis sententias frequenter in ore habebat: *Asperſisti me*, inquit, *Domine hyssopo* (bilem enim quæ morbo causam dederat hyssopo comparabat) *& mundabor: lauabis me & super niuem dealbabor.* &, *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me.* itemque, *Paratum cor meum Deus.* ac, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Die Principibus Apostolorum Petro & Paulo sacrâ, illi supremâ, manè vestes poposcit, vestitus (tantum adhuc illi virium supererat) ad altare quod in vicino cubiculo parabatur se deduci iubet; ibi prostratus Missæ Sacrificium Patre Simone Dolescio è Societate IESV sacra peragente audit, sacraque Synaxi refectus, vegetior quodammodò redit ad lectum. non dubitabat se eo die moriturum, nam & triduo antè quæsierat ex me,

Auræ mutationem frustra captant in eo sanando Medici.

Raciazij Templum infirmus instaurari curat.

Febri malignâ corripitur.

Die vitæ suæ supremâ ad sacellum perducitur, & Missæ sacrificio deuotè interest & SS. Eucharistiâ reficitur.

me, quàm cito ventura esset dies Apostolis sacra: cumque ego tertio ab hinc die venturam eam respondissem, conticuit; denique cibum cùm eo die caperet, Cui, inquit, vsui cibus iste, cùm anima alio egeat? cumque frigore pedes ipsius rigescentes attrectarem; ne mireris, inquit, iam inde anima se subduxit, & per partes morior. Hæc lætus & quasi iocanti similis. Cùm verò mors instaret, aliquantisper commotus, facie nonnihil perturbatâ: Coram Iudice meo, inquit, mox cōpariturus hac vel maximè vrgeor formidine: viximus in aulâ, Magistratus gessimus, non semper in hominibus negotijsque tractandis & expediendis æquabilem modum tenere potuimus, interdum non eâ quâ par erat intentione ad altare accessimus. Tum ego: Si quid tale est, quo ex eâ occasione grauari suam conscientiam sentit, nunc doleat. Doleo, inquit, ex animo doleo. Assurgere volenti porreximus manus: ego autem monui Confessarium, vt ita affecto cæteris abire iussis consilium daret, & indulgentiam largiretur; fecit id ille. Mox iussu Pstroconij, vniuersâ aduocatâ familiâ: Adsint, inquit, omnes, ac videant me morientem; iam hilarior, iam totus in oratione defixus, sacrum Oleum Christiano ritu, extremò vngendus adferri iubet: aderant complures Presbyteri & religiosi viri, orantibus illis & sacras Litanias recitantibus: ille cùm reliqui, ora pro eo, dicerent, ora pro me ingeminabat. Hoc Sacramento munitus, constanti vultu, intrepido animo præstolabatur mortem; & cùm iam vox deficeret, orsus Dominicam orationem, quamuis submissâ voce, ita tamen vt à nobis, qui aurem ori eius admoueramus intelligi posset, in his verbis, Aue Maria, Creatori suo spiritum reddidit, adeò placidè, & sine aliquo corporis motu, vt somnum cepisse potiùs, quàm mortuus esse existimari potuerit. Coluerat ille peculiari ritu Beatissimam Virginem, atque ab eo tempore ex quo Presbyteri ordinem suscepit, omni Sabbatho votiuo sacrificio Reginam cæli venerabatur, nec dubito quin præsentem in ipso mortis certamine eam salutauerit, nec temerè factum crediderim, vt in hac voce, Aue Maria, exspirarit. Multa alia pietatis officia ab eo vsurpata, quæ hîc paucis perstringam, testimonio esse possunt, quantoperè ille Dei & proximi amore flagrauit. Summum erat in eo vitæ ab omni illecebrâ carnali conseruandæ studium, omnes suspiciones turpitudinis, omnes familiaritates, quæ statum eius non decerent, vitabat; nullum vnquam verbum ex ore eius prodijt, quod castas aures offenderet, quodué ruborem mouere posset: si quid tale ab alijs diceretur, aures oculosque auertebat, vt quantum à rerum turpitudine abesset, tantum se ab obscænitate verborum alienum ostenderet. Crebra ieiunia, castigationes spontaneæ corporis, aliaque ad domandam carnem pertinentia in vsu habebat. Ieiunium Aduentus Domini solenne statumque illi erat. Curam pauperum gerere, Nosodochia Xenodochiaque inuisere sæpissimè solebat, nec pecuniam modò, sed spiritualem etiam eleëmosynam largiebatur, exhortando pauperes ad ferendas æquo animo ægritudines, reliquasque vitæ inopis

Diem sui obitus præsciuit.

Ad vicinam mortem (quod piorum est) trepidat.

Intermortuis vocibus. Orationem Dominicam recitat & in verbis Aue Maria, placidè moritur.

Puritatis mirum in tota vita studium.

Pœnitentiæ & mortificationis cultor egregius.

Inopum peculiaris cura & ratio.

inopis molestias, incitando eos ad pietatis studium, perquirendo de statu eorum, de ratione victus. In eleëmosynis largiendis plus quàm facultates suæ paterentur, sine vllo prorsus rei priuatæ respectu, planè liberaliter profusus, dumque eo nomine à domesticis admoneretur, Dominus prouidebit, respondebat. In quo genere quid aliquando illi acciderit, Ecclesias Diœcesis suæ perlustranti, paucis referam. In pago Cracouecio, ditionis Alexandri Ducis Ostrogiæ, templum erat Catholicum, quod idem Dux Græco schismati addictus, in Ruthenum ritum transtulerat, sed eo vitâ functo vxor illius fœmina religiosissima, iterum illud Catholicis restituerat, Romanæ Religionis dato Sacerdote: is omnium rerum egens, cùm quibus templum illud recèns restitutum indigeret, Episcopo explicasset, ille non subductâ ratione pecuniæ quantam tunc haberet, iubet numerare centum florenos, in subsidium Ecclesiæ impendendos. Dissuadenti fratri meo Matthię Lubienski eo tempore Canonico Gnesnens. nunc Præposito Miechouiens. qui & Cancellarius illius erat, & priuatas eius rationes tractabat, ostendentique quantum adhuc in perlustrandâ Diœcesi itineris & sumptuum faciendum esset, & quàm exigua summa pecuniæ (quadringenti erant circiter floreni) Episcopo superesset, ac proinde differri oportere petitionem Parochi, dum domum Episcopus rediret; assensit ille quidem, idque ægrè, cæterùm comminatus est breui euenturum, vt illum ipsum sui consilij pœniteret. Dicto euentus respondit; nam sequenti nocte arculam, in quâ & Episcopi & fratris mei pecunia erat fur abstulit. quod vt intellexit Episcopus, ne minimùm quidem iacturâ rei permotus, nimiam tantùm erogandi in pios vsus parsimoniam eo furto castigatam esse professus, vt quamprimùm domo pecunia in subsidium Ecclesiæ promissa mitteretur, mandauit. Erga inimicos & inuidos beneuolentissimus, iniuriarum quarumcunque patientissimus, non modò lædentibus non nocere, sed etiam humanitate & beneficijs eos sibi deuincire studebat. In grauissimis quibusque periculis singularem quandam animi tranquillitatem retinebat, vultusque ipsâ serenitate alijs metum demebat, illud vsurpans: Animus bonus in re malâ dimidium mali, quod quantoperè binâ Regiæ Maiestatis in Succiam profectione, & domestico ad Guzouium conflictu præstiterit, suprà attigimus. Nulla re aduersa magnoperè tristabatur, sinistri euentus nuntium piâ illa oratione, *Sit nomen Domini benedictum*, excipere solitus. Inter priuata pietatis exercitia solenne illi erat, qualibet media nocte surgere ad confitendum nomini Domini, & nemine conscio in genua protiolui, ac deuotissimè aliquot orationes, quas pij viri eiaculatorias vocant, ex intimo cordis affectu ad Deum profundere. Quotidie totâ conuocatâ familiâ sacras Litanias recitari curabat, vesperi & manè sacris meditationibus aliquantùm temporis semper impendebat, religiosos cœtus summo amore prosequebatur, è quibus Patres Carmelitanos excalceatos sanctissimi

Insignia circa liberalitatem in pauperes quædam in eo exempla.

Mira in eo mansuetudo & animi tranquillitas.

ſanctiſſimi inſtituti homines ex Italiâ euocatos, ſuâ operâ & impensa Cracouiæ collocauit, quos etiam factus Epiſcopus Vladiſlauienſis ad Eccleſiam ſuam Cathedralem adducere omnino conſtituerat. Si quando poſt exantlatos labores animum releuare vellet, in aliquod Cœnobium ſecedebat, non vt otio tempus conſumeret, ſed vt piâ de rebus Diuinis cogitatione, & ſacrâ cum viris religioſis conuerſatione ſe recrearet. Bina votiua ſacrificia qualibet hebdomadâ feriâ tertiâ de SS. Trinitate, Sabbatho, vt dixi, de Beatiſſimâ Dei Genitrice, per ſe ipſe deuotiſſimè peragebat; ſi quando aduersâ valetudine impediretur, per alium ſacerdotem (quod tamen rarò accidit) id fieri curabat, & quoad per negotia licuit: profeſtis verò omnibus Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium cum ſummâ deuotione & lacrymarum profuſione offerebat. Has omnes pias deuotiones, ita longâ exercitatione & continuo vſu in conſuetudinem adduxerat, vt quo minùs ijs ſtatis horis & temporibus vacaret, neque ſummis difficultatibus, neque negotioſi Magiſtratus curis, nec denique anguſtiâ temporis prohiberi vnquam potuerit. Corpus illi firmum, & ferendis laboribus idoneum, ſtatura iuſtè quadrata, raro capillo, veſtitæ genæ, vt propior imberbi eſſet; vox ſonora, oratio in qua magis inuentio & iudicium, quàm elocutio eniteret; Senatoria prorſus, grauis, docta, & quæ pondere ſententiarum magis quàm verborum lenocinio commendata in aures auditorum influeret. Memoriâ excellenti pollebat, ita vt omnia quæ audiſſet legiſſetué retineret: itaque ſermo illius plenus erat notitiâ antiquitatis; in cauſis cognoſcendis acre & perſpicax illius erat iudicium, non tamen temerarium vel arrogans, placidè vt aliorum ſententias exquireret, & non niſi vltro citroque explicatis rationibus cauſam definiret. Geſtis tot Magiſtratibus, gratiâ etiam Regiâ florens, nullas reliquit opes, vix diſtractâ etiam ſupellectili eo mortuo æs alienum ſolutum eſt, cùm alias non indiligens rerum ſuarum haberetur, ſed idem abſtinens, & ab omni illicito munere accipiendo alienus cùm eſſet, priuataſque facultates, non eas quę gerendis difficillimo Regis & Reipub. tempore Magiſtratibus ſufficerent haberet, ſumptu cenſum ſuperante abundare non poterat, quotieſcunq; tamen opus erat ſplendidè & magnificè, vel in excipiendis tractandiſque exteris hominibus, vel in obeundis negotijs in quibus dignitatis Regiæ & Magiſtratus quem ſuſtinebat, ratio habenda erat, comparebat. Exceſſit è vitâ III. Calend. Iulij. Anno à reſtauratâ ſalute humanâ, ſupra milleſimum ſexcenteſimum nono, ætatis ſuæ anno quinquageſimo ſexto, Vladiſlauiæ in Eccleſiæ Cathedralis ſacello, à Ioanne Tarnouio Archiepiſcopo Gneſnenſi exſtructo & exornato, ſepultus. Felicem illum dixerim morte ſuâ, qui functus tot Magiſtratibus, geſta ſummâ cum laude Repub. eaque poſt Rokoſſianas ſeditiones pacatâ & pace florente, multa ea quę mox ſubſecuta ſunt mala non viderit. Felix es Pſtroconi, qui iam pietati tuæ debito frueris præmio, de nobis & patriâ, de qua ſemper

Pius erga religioſos ordines affectus.

deuotionis ac pietatis exercitia.

Corporis habitudo & animæ dotes.

Inter tot quæſtuoſos magiſtratus, nullas congeſſit opes.

In Vladiſlauien. Eccleſiâ Epiſcopali ſepelitur.

 benè

benè mereri studueras, vel nunc etiam solicitus, nec enim ambigimus te cernere, cùm in conspectu illius sis, qui omnia videt & præuidet, quibus iactemur procellis, quanta amatæ à te patriæ immineant pericula, quibus Ecclesia Dei oppugnetur machinis. Nos hæc quæ scripsimus, tuæ memoriæ dicamus sacramusque, erit hoc qualecunque meæ erga nomen tuum obseruantiæ monumentum, & grati acceptorumque à te beneficiorum memoris animi non vulgare argumentum.



EPISTO-

EPISTOLARVM SELECTARVM
Decas Prima.

COSMO CARDINALI DE TORRES
Stanislaus Lubienski. Varsauiam.



CVm te Illustrissime Domine, grauissimo Sanctissimi Domini Nostri iudicio sacro purpuratorum Patrum Collegio adscriptum mihi significatum esset, non noua ea dignitatis tuæ accessio mihi visa est, sed quæ omnium votis iam diu destinata virtutibus tuis debebatur. Ego certè simul ac te in Regnum hoc Sanctissimi Domini Nostri & Sanctæ Sedis nomine venientem, benigna fortuna in ædes meas intulit; vt vidi, vt complexus sum, statim id quod futurum mox erat iudicaui Tibi amplissimum deberi honorem. Taceo quòd eâ familiâ natus es, quæ sæpiùs hac purpurâ fulsit, fuerit id cuiusdam felicitatis, quanquam & hæc ipsa comes est virtutis. Sed illa tua pietas, illud eximium propagandæ rei Christianæ studium, illa in honorificentissimo dignitatis gradu animi moderatio, hanc tibi dudum texebat vestem, & ad hoc amplissimi honoris culmen te ducebat. Suscepisti sacræ legationis munus eo tempore, cùm res nostræ penè deploratæ essent, cùm irruentibus barbaris nemo exterorum nos non interituros existimaret: sed erat animi tui contemnere tanta discrimina, & si quid immineret periculi, vltro appetere. Sic per turbatas bellis ciuilibus Germanias transiisti, sic cineres semirutæ & fumantis Bohemiæ intrepidus calcasti, sic inter micantes Hæreticorum mucrones, strictosque in tuam perniciem enses tuæ immemor salutis, memor officij & demandati muneris euasisti, & medios arduum tenuisti per hostes iter; sic fines Regni nostri quasi in tuto res nostræ essent hilaris ingressus es: sic ego te vt Angelum Domini à sacrâ Sede missum vidi & admiratus sum, felicitatem quandam ipso excelsi animi vigore nobis spondentem. Non est, nec erit vnquam obscura hæc tam eximia animi magnitudo, in suscipiendo & obeundo tam arduo & difficili munere, contemptisque periculis declarata: atque vt tu eâ in re institisti vestigijs maiorum tuorum, sic mox erunt eadem stirpe orti, qui admiratione heroïcarum virtutum tuarum ad similes pro Ecclesiâ Dei ausus excitabuntur. Floreat augeaturque tam nobilis sanguinis propago, quæ tot in omni genere virtutis excellentes protulit viros, qui rerum gestarum gloriâ, præcipuas orbis Christiani partes illustrarunt. Felices & nos qui te sacrâ fulgentem purpurâ in Patriâ nostrâ conspicimus: qui non tuâ solùm causâ, sed nostrâ etiam gaudemus: te

eâ dignitate, quæ ſumma eſt eſſe auctum, cùm ab omni ambitione ſemotus demandatum tibi munus in hoc Arctoi orbis theatro egregiâ cum laude obires; cùm Sereniſſimus Rex noſter, acerrimus virtutum cenſor in te maximè propenderet; cùm omnes omnium huius Regni Ordinum homines in admirationem amplitudinis tuæ rapti ampliſſimâ dignitate te dignum eſſe iudicarent. Nunc certè vti nemo eſt in totâ Poloniâ qui non eâ dignitatis acceſſione, quâ auctus es lætetur; qui non ampliſſima quæque voueat & exoptet: ita ego, vt Deus à deuotis tibi animis profecta vota rata habere, teque diu incolumem eſſe velit, toto pectore eum rogo. Ex Monaſterio Tinecenſi die XXIV. Auguſti M. DC. XXII.

GEORGIO VILHELMO ELECTORI BRANDEBVRGICO

Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Luceorienſis Regni Procancellarius.

CVR Sacra Regia Maieſtas Dominus Noſter Clementiſſimus, cur Ordines Regni minùs probent hanc Serenitatis Veſtræ, vel potiùs Sudermaniæ Ducis cum Bethlemio Serenitate Veſtrâ annuente coniunctionem, paucis ego è nomine à Serenitate Veſtrâ interpellatus explicabo, ratus meam libertatem vel candorem potiùs in optimam partem acceptum iri. Eo animo Sacra Regia Maieſtas Dominus Noſter Clemētiſſimus, ac inclyti Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ Ordines, Sereniſſimam Domum Brandeburgicam, ſanguinis arctiori nexu Regibus Poloniæ dudum obſtrictam, nouiſſimi beneficij acceſſione obligandam putarunt, vt contra omnes hoſtes amicitiarum illuſtriorum incremento, paratiores tutioreſque eſſent: ſed præcipua cura Regiæ Maieſtati fuit de recuperando Regno Sueciæ, quod iniuſtè interceptum, propinquus quidem agnatus, ſed idem iuratus hoſtis detinet. Ad id efficiendum quid Sereniſſimus Serenitatis Veſtræ auus, quid deinceps Sereniſſimus parens ſe allaturos, quę auxilia conciliaturos promiſerint, recens eſt memoria; ſed illis fortaſſe deeſſe poterat occaſio benè in hoc negotio de Sacrâ Regiâ Maieſtate merendi: Serenitas Veſtra ſtatim ac Principatus poſſeſſionem adijt, multa quoque imprimis ſigna dedit, ſuæ erga Regiam Maieſtatem optimæ voluntatis, quæ tamen mox collocatâ in matrimonium Regiæ Maieſtatis hoſti ſorore ſuâ in dubium vocari potuiſſent, niſi Serenitas Veſtra conſtanti aſſeueratione ſe inſcio id factum fuiſſe teſtata eſſet. Non ignotæ erant Serenitati Veſtræ Regiæ Maieſtatis de minùs ſyncerâ Bethlemij erga Regiam Maieſtatem Regnumque Poloniæ voluntate grauiſſimę ſuſpiciones, inde ortæ, quòd cum Turcis contra exercitus noſtros ſteterit, quòd ſæpius ad vaſtandas regiones noſtras Tartaros incitauerit, quòd ſuſcipiendi contra nos belli Oſmano Turcarum Imperatori auctor pręcipuus fuerit. Iſta quidem tamquam ab homine Tur-

cicæ seruituti obnoxio profecta minùs non afficiebant, cæterùm clandestinæ ipsius cum hoste Sueco in perniciem Reipublicæ Polonę & Regiæ Maiestatis conspirationes, interceptis anno superiori literis deprehensę, affectataque sub hoc prætextu affinitas, quo ille esset erga nos animo, & quid hac nouâ coniunctione peteret, luculenter declararunt: & Serenitas Vestra hoc nomine per Internuntium Regiæ Maiestatis interpellata, ac de perniciosis Bethlemij tentamentis edocta quàm alieno esset ab incunda cum hoste affinitate animo palam ostendit. Nunc mutatæ voluntatis suæ, nullam aliam Serenitas Vestra adfert rationem, nisi quòd licuerit semper familiæ suæ suo arbitratu affinitates contrahere: facilè quidem id concesserim, nisi eâ fides quâ Regiæ Maiestati & Reipublicæ Serenitas Vestra obstricta est intercessisset; nisi Serenitas Vestra feudoligio deuincta, se hostibus Reipublicæ hostem fore spopondisset; nisi seriâ & planè paternâ Regiæ Maiestatis cohortatione, ne hominem malè erga Regiam Maiestatem animatum, nouâ cum hoste Sueco affinitate coniungi pateretur Serenitas Vestra, admonita esset; nisi denique Serenissimam sororem hosti Reipublicæ nunquam se desponsaturam promisisset. Quæ cùm ita sint, facilè Serenitas Vestra statuere potest, quid & Sacra Regia Maiestas, quid amplissimi Ordines, de Serenitatis Vestræ syncerâ propensione sint deinceps opinaturi; & quas rationes, ne quid detrimenti Respublica per eam occasionem capiat, inituri. Illustraturúmne sit hoc matrimonium splendorem Domus Brandeburgicæ, in Dei manu situm est; verumenimuerò terrent nos superiorum temporum exempla, vel tristissima potiùs eiusmodi affinitatis experimenta. Sigismundus Primus Poloniæ Rex (cuius filia Serenissimi Serenitatis Vestræ aui mater fuit) Isabellam filiam Ioanni Zapolio tum quidem Regnum Hungariæ Budamque ipsam tenenti in matrimonium collocauerat; sed eo mox vitâ functo, infausti nominis Regina, armis Turcicis quorum præsidio maritus nitebatur Regno cum filio exacta, nisi in Poloniâ receptum habuisset mendicatâ stipe victus ei quærendus fuisset. Nuper Sigismundo Bathoreo, cui si nil domestici splendoris inesset, satis illustris Stephano Rege Poloniæ Patruo existimari poterat, magnâ spe nuptam vidimus Serenissimam Archiducem Austriæ, sed quàm tristi exitu ne commemorare quidem libet. Bethlemio an benè cum Regiâ Maiestate conueniat, nobis non satis constat; erga nos certè quâ ille sit voluntate communicatis cum Sueco hoste, in perniciem Regiæ Maiestatis & Reipublicæ nostræ consilijs ipse se prodidit. Ex vsu quidem Reipublicæ nostræ nunquam fuit vt fœdus cũ ijs pacisceremur qui sub alieno viuunt imperio. Ad me quod attinet, cùm probè norim quàm propensâ voluntate Sacra Regia Maiestas Serenissimæ Domui Brandeburgicæ semper fauerit, ego quoque & fausta quæque Serenitati Vestræ voueo, & illud inprimis opto, vt de Serenitate Vestrâ quàm optimè mereri possim. Allatæ quoque erant ad Serenissimum Principem Dominum Ioannem Albertum Serenitatis Vestræ lite-

ræ, ſed cùm eum titulum qui Regum filijs iudicio orbis vniuerſi debetur (errore fortaſſe ſcribentis) non præſeferrent, ad eas nullum reſponſum dari viſum. Humillima mea obſequia Serenitati Veſtræ defero. Ciemiernicijs die decimâtertiâ Decembris Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto.

CAROLO A DHONA CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO

Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Luceorienſis Regni Poloniæ Procancellarius.

SPERABAMVS equidem Electorem Brandeburgicum vel ſuâ ſponte, vel Tuâ cohortatione, vel fidei officijque ſui rationibus expenſis ad cauſam Regiæ Maieſtatis & Reipublicæ conſilia, conatuſque ſuos accommodaturum, & ita fere Comes Schwartzenbergicus eius nomine legatione apud Sacram Regiam Maieſtatem functus pollicebatur. Sed ecce poſt diſceſſum tuum hæc interim contigerunt. Regiomontani quas ſuo ære conduxerunt peditum cohortes has exauctoratas præſente & inſpectante Domino Electore nauibus impoſitas ad hoſtem miſerunt. Excuſauit hoc factum Dominus Elector, quòd Magiſtratus Regiomontanus non ſit omnino in ſuâ poteſtate, & pleraque arbitratu ſuo agat; ſed non ſine riſu accepta ea excuſatio. Optimè enim nobis notum eſt nutu Domini Electoris omnia iſtic geri, ſed adeò parum cautè negotia quibus ſalus Reipublicæ innititur tractari, vt non ſine ingenti exiſtimationis tanti Principis iacturâ, magna ſuſpicio ſubſit mutuæ cum hoſte pactionis. Impunè milites Brandeburgici cum Sueticis congrediuntur, colloquia & conſilia miſcent, & quod nuper capti milites faſſi ſunt, vnus idemque militum Præfectus, & in exercitu Guſtaui cohorti præeſt, & apud Electorem eodem tempore alteram ducit. Nimis incurioſi Conſiliarij Electorales videntur & publicæ ſalutis & Principis ſui dignitatis obliti: de nobis verò ita ſentiunt quaſi hęc animaduertere & expendere neſciamus. Sed pernicioſa conſilia, vltro ſe produnt, nec diu fucata perfidia latere poteſt. Idem Comes Schwartzenbergicus receperat ſe effecturum, vt Dominus Elector ad exercitum noſtrum ſubmitteret mille ducentos pedites & tria maiora tormenta, ad quatiendos muros apta. Poterat id fieri ſine vllo diſcrimine, dum à Noſtris Bransberga oppugnabatur; ſed dilata res hæc, vt hoſtis de hoc ſubſidio non ſolùm certior fieret, verùm etiam ad intercipiendam hanc militarem manum paratus eſſet, quâ de re communicata fuiſſe cum illo conſilia ita liquidè conſtat, vt negari non poſſit. Nam & Schwartzenbergicus Comes ad me datis literis quaſi pręſagâ mente ſcripſerat, ſe vereri ne ab hoſte ſubſidium hoc interciperetur;

tur; & nos id ita fore prędixeramus, factumque est vt consultò cohortes istæ Brandeburgicæ eò ducerentur, vbi ab hoste structæ erant insidiæ; nec multum hosti in his intercipiendis laborandum fuit, vltrò eo viso signa translata, & infamis facta deditio. Rem ita fuisse actam fatentur nonnulli nobiles, verè Germanâ fide Germani, qui infamiâ facti moti, ad nostros transfugerunt, testati flagitium hoc militaris proditionis sibi magnoperè displicere, seque ignaros & à Ducibus circumuentos, eam infamiam incurrisse. Hæc tibi significanda putaui, quem non dubito doliturum, ita Dominum Electorem suis Consiliarijs obsequi, vt eius officium desideretur, & hic Princeps tot à Regiâ Maiestate auctus beneficijs, nequaquam illis respondere videatur. Exactos ex Silesiâ Cæsareæ Maiestatis hostes, nos & gratulamur & gaudemus: paremque in alijs locis successum ex animo conceptis ad Deum votis optamus. Studia & officia mea tibi defero, florentemque fortunarum & dignitatis incrementis diu valere percupio. Varsauiæ.

GEORGIO VILHELMO ELECTORI BRANDEBVRGICO

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis.

ET literas meas redditas esse Serenitati Vestræ non dubito, & de meâ erga se voluntate eo Serenitatem Vestram esse sensu censeo, vt mea consilia, measque cohortationes ab amico pectore profectas, non omnino aspernandas esse existimet: cæterùm quia in eodem adhuc hæremus vado, & officium Senatoriæ functionis à nobis postulat, vt ad omnes Reipublicæ partes intenti paratique simus, studiaque eorum qui communis Patriæ salutem & debent & possunt tueri excitemus, nemini videri debeo importunus, si sæpiùs Serenitati Vestræ proposita iteratis suggessero literis. Communis causa est quam tuemur, patria vna eademque est cuius salus nobis curæ est. Prussia sine Poloniâ salua esse non potest: in eadem omnes nauigamus naui: Serenitas Vestra propior gubernaculo & clauo, quem nisi seriò hac tempestate regendum susceperit, non magnam laudem merebitur dissimulatione communis periculi. Scripsi aliquando, non id præcipuum Serenitatis Vestræ munus esse, vt hostem (cum quo Serenitati Vestræ magna est sanguinis necessitudo) paci amplectendæ idoneum reddat, quod quidem nemo improbauerit, sed aliquid ampliùs à Serenitate Vestrâ desiderari; nimirùm vt officij sui partes diligentiùs expendat, quid Reipublicæ Polonæ, quid Regiæ Maiestati debeat, æquâ lance exploret. Hos intra terminos nisi Serenitas Vestra constiterit, nisi palàm Regiæ Maiestati & Reipublicæ Polonæ studium, fortunas vitamque suam addixerit, quid de Serenitatis Vestræ officio sit

ſera poſteritas exiſtimatura, nemo eſt qui non videat. Fides eſt quæ Principes ſummi ſplendoris decore illuſtràt, poſſunt (etiamſi minimè licet) priuati homines interdum fingere, ſimulare vultum, fortunæ ſe accommodare & magis propriæ quàm publicæ ſalutis ducere rationem: ij qui eminent latere non poſſunt, eorum non ſolùm actiones, ſed & taciti mentis conceptus conſpiciuntur. Sunt multi qui Serenitatem Veſtram hoc bello Pruſſico officio ſuo functam eſſe affirmant, plures qui multa requirunt. Ego niſi Serenitas Veſtra apertè in cauſam deſcenderit, ſuamque Sacræ Regiæ Maieſtati, quem Patris loco, idque meritò colendum pridem ſibi deſumpſit voluntatem comprobauerit, vires ſuas opeſque omnes ad tuendam communem ſalutem contulerit, diuerſis hominum iudicijs actiones Serenitatis Veſtræ obnoxias fore præuideo. Malè expendunt Regni Poloniæ vires, qui eas ita Sueticis conferunt, vt non multò plus roboris in illis eſſe iudicent. fateor hunc hoſtem ſatis vigilare, & accumulandis nobis periculis, non tam boni viri, quàm acerrimi hoſtis fungi officio. Turcica in nos, Tartarica, & Moſchouitica commouet arma, & iam ea nobis imminere videmus; ita tamen ab eâ parte tuti ſumus, eos ferocienti barbariei exercitus obiecimus, ac ſi nullum in Pruſſiâ & Liuoniâ bellum haberemus. Citiùs Suecus fatigabitur, quàm vt vires noſtras atterat; diuino nutu hæc tam ampla Reipublicæ coaluit compago, niſi cœleſti decreto diſſoluenda. Fruſtra Moſchus, fruſtra Turca, cùm alia occuparet imperia in noſtram incubuit perniciem, & Suecus nondum expertus eſt quid concors in ſuâ causâ poſſit Polonia. Sed Serenitati Veſtræ hæc ſatis nota ſunt, cuius dignitati non benè ij conſulunt, qui Serenitatem Veſtram ſine Rege, & ſine Regno Poloniæ vel laude clareſcere, vel ſaluam eſſe poſſe cenſent. Expectamus quid Chriſtianiſſimi Regis Orator interim efficiet; cætera Diuina Maieſtas quę optimę cauſæ ſemper fauet moderabitur. Obſequia mea defero Serenitati Veſtræ, eiuſdemque gratiæ me diligentiſſimè commendo. Datum ex Arce meâ Pultouienſi die vigeſimâ quartâ Auguſti Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono.

GEORGIO VILHELMO ELECTORI BRANDEBVRGICO

Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis.

CONSTANS mea benè de Sereniſſimâ Celſitudine Veſtrâ merendi voluntas, haud ignota eſſe potuit ijs qui vnquam in aulâ Sacræ Regiæ Maieſtatis Domini mei clementiſsimi negotia Serenitatis Veſtræ tractarunt; ita enim exiſtimo me ea officia quæ Serenitati Veſtræ præſto, ſimul Reipublicæ, cuius Serenitas Veſtra pars eſt, & Regiæ Maieſtati quam tam arcto ſanguinis nexu contingit, impendere. Itaque & Serenitatis

tis Veſtræ legatis ea ſuaſi, quibus ſciebam ſiniſtras quaſdam ſuſpiciones, quibus dignitas Serenitatis Veſtræ opinione populari onerabatur, vtcunque aboleri poſſe. Quâ in re ſi primis exorti huius in Pruſsiâ belli initijs, voluntati & perſuaſionibus Sacræ Regię Maieſtatis paritum, & Portus Pilauienſis meliori præſidio firmatus fuiſſet, non adeò prompta omnia ad occupandum eam prouinciam hoſtis reperiſſet. Perſuaſum fuit quibuſdam eum nihil hoſtile contra Serenitatem Veſtram attentaturum, & perinde non irritandum fuiſſe. Sed enim ij qui ita exiſtimabant expendere inprimis debebãt, Serenitatem Veſtram & vniuerſos Ducatus Pruſſiæ Ordines, ſaluâ dignitate, ſaluâ fide nihil cum hoſte commune habere poſſe, non pacta, non inducias cum eo ſancire licuiſſe, niſi quæ ex communi directi Domini ſententiâ & aſſenſu ſanciendæ eſſent. Eæ diſſimulationes quibus hactenùs rei gerendę occaſiones elapſę ſunt & hoſti animum addiderunt, & ſtudia, ne dicam fidem tam Prouincialium quàm militum infregerunt. Sparſi imprimis famoſi libelli, palàm diſceptatum, hoſtíne adhęrendum, an à ſocietate veteri diſcedendum fideſque deſerenda? & quidem impunè hęc infamia ſcripta, inſpectante Magiſtratu circumferri, Legatorum Regiorum expeditionem differri, nulloque ad extremum reſponſo dato, idque ſerò eos dimitti; nos qui Serenitatis Veſtræ dignitatis ſtudioſi ſumus dolebamus, facileque conijciebamus, id ſubſecuturum vt & Prouinciales in varias irent ſententiâs & miles hoſtili imbueretur fauore. Intermiſſa deinde Portus Pilauienſis hyberno tempore oppugnatio, nec in aduentum hoſtis ad arcendum eum quidquam prouiſum: ſed miles per præſidia ſparſus ac finibus Regni admotus, longeque à mari vbi impetus hoſtilis impendebat, diſpoſitus: hinc illæ induciæ ſine ſcitu Regiæ Maieſtatis ex mente hoſtili ſancitæ. Nec deinceps tot elapſis menſibus, ad rem gerendam opportunis vlla ſignificatio propenſionis erga Regiam Maieſtatem & Rempublicam voluntatis facta, non conſilia cum Regiarum copiarum Supremo Præfecto communicata, non niſi ac ſerò admodùm ſubſidia militis arte hoſtili corrupti magis oſtenſa, quàm ſubmiſſa. Nunc Serenitas Veſtra videt, quid Guſtauus egerit, & quo fine callidâ diſſimulatione mentem Serenitatis Veſtræ diſtinuerit, cùm iam palàm ſe hoſtem Serenitatis Veſtræ eſſe profiteatur, cùm annonam & tributa imperet, cùm Portorij Pilauienſis prouentus intercipiat; hæc vel olim timenda vel cauenda erant, nec in caſum vt nihil ampliùs dicam dignitas & exiſtimatio conijcienda. Nũquam hoſtis Serenitatem Veſtram apertè cum Regiâ Maieſtate ſentientem, vireſque coniunctas habentem aggredi auſus fuiſſet. Nunc cum iam, vt audio, eoque nomine magnoperè lætor, Serenitas Veſtra ſolenni coram Regiæ Maieſtatis legato declaratione animum ſuum explicauerit, nullaque ampliùs dubitatio ſupereſſe videatur, de propensâ Serenitatis Veſtræ erga Regiam Maieſtatem & Rempublicam voluntate; id vnum agendum erit vt hoſtis intelligat, ſe coniunctis viribus petitum

iri,

iri; ſuccumbet ille, maximè cùm videat ſecundos Sacræ Cæſareæ Maieſtatis exercituum ſucceſſus, cùm Cæſaream Maieſtatem, omnia Regiæ Maieſtatis causâ, & facere & facturum; cùm coniunctos Principes, in communi periculo mutua ſibi auxilia laturos, ignorare non poſſit. Deum ego precor, vt hæc Serenitatis Veſtræ cum Regiâ Maieſtate coniunctio, ipſi & vniuerſæ Reipublicæ ſalutaris ſit, optatamque pacem & tranquillitatem pariat. Deinde recipio me per omnes occaſiones adniſurum, vt Serenitas Veſtra intelligat, me vnum eſſe ex ijs qui Serenitatis Veſtræ dignitatis exiſtimationiſque ſunt ſtudioſi, illique bene cupiunt. Humillima obſequia mea defero Serenitati Veſtræ. Varſauiæ.

MATTHIÆ CASIMIRO SARBIEVIO SOCIETATIS IESV SACERDOTI

Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis. Vilnam.

SERO reſpondeo literis tuis, æger eram acerbiſſimo vexatus morbo; itaque amicorum officijs, totis ſex menſibus vacare mihi non licuit; & nunc, licet morbo leuatus eſſe videar, reſiduis tamen eius adhuc ita vrgeor, vt pleno recuperatæ ſanitatis fructu frui haud poſſim. Sed tibi vnde hæc de me? Egóne nimis mediocriter in ſcribendo exercitatus audaci temeritate hiſtoriam ſcribendam ſuſciperem? alij faciant, qui præter excellentem eruditionem etiam abundant otio; mihi à curis nullæ feriæ; & pleraque in hoc genere à me dum iunior eſſem ſcripta, nunc accuratiùs examinata, obſcuro addixi carceri. Tua Diuina Poëſis Romanis quoque probata auribus mihi valdè placet; ſic te Lyricis vatibus inſeris, vt inter Principes referri meo quidem iudicio poſſis; ſic acutè Epigrammata nectis, vt ſacra eloquia ex quibus materiam ſcribendi petis dulci condita ſale, animos noſtros penetrent. Monumenta ingenij tui non imber edax, non aquilo impotens, aut innumerabilis annorum ſeries poterit eruere; etiam vitâ functus viues, ac per ora hominum incedes ſublimi feriens ſydera vertice. Miror Te à tuis, ab amœnis Muſarum campis ad obſcura Philoſophiæ dumeta traductum, & vereor ne pleriſque optimis veſtrorum ingenijs aliquid inde detrimenti eueniat, quod ſtudia ad quæ nati ſint deſerere iubeantur. Sed tu ad omnia præclara natus, ita Philoſophiam tractabis, vt partam ſcribendi gloriam tuearis. Vale, nec dubita te à me amari, Deumque precare, vt mihi difficillimum munus gerenti auxilio cœleſti præſtò eſſe velit. Viſcouię vigeſimâ quartâ Februarij Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo.

STA-

STANISLAO RACOVIO NOBILI POLONO

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis. Romam.

TANDEM accepi tuas literas, quibus exponis causas cur in Vrbe manseris; id quidem vtinam feliciter eueniat! expertus certè suasi Perusiam vt primò adires, hausurus isthic ex fontibus Bartholinis & Baldinis prima iuris initia. Roma & Romani semper splendent, & in admirationem sui auocant studiosorum animos: Pompæ illæ solennes, dum Summus Pontifex vel sacris operatur, vel Vrbem lustrat, dum Cardinales, dum Principum Oratores primos suos ingressus exornant, quid aliud sunt, nisi discentium verissimæ remoræ? Vacua his oculorum illecebris Perusia, & solis dedita Musis; licet illic vel festis ipsis diebus priuato studio vacare libris, audita publicè secum expendere. Non desunt Magistri, qui sponte & gratis monstrent viam capessendarum disciplinarum, nec vnquam Perusia caruit excellenti aliquo Eloquentię Professore. Denique Perusiæ quies, Roma semper in strepitu. Et Poniatouius meliùs rebus suis consuluisset, si meis monitis paruisset. Orationem tuam gratulatoriam vidi, legique; non reprobo, moneo tamen semper vt nitaris ad maiora. Res & fortunæ tuæ curæ mihi erunt. Poniatouium saluta. Vale, & me ama atque vt te ipso non solùm doctior verùm etiam melior quotidie euadas contende. Datum Cracouiæ Calendis Martij Anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio.

FRANCISCO CARDINALI BARBERINO

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis.

SI quæ alia Regio, Sarmatia certè nostra in eo statu constituta est, vt cùm ferè postrema cæteris Europæ Regnis in fidem Christi concesserit, nouis subinde egeat pietatis alimentis, quæ vel maximè ex succrescentibus felicium in agro Domini palmitum fructibus promanare solent: qualis nostrâ ferè ætate extitit Beatus Stanislaus Kostka Societatis IESV alumnus, iuuenis in Principe familiâ natus, ab ipsis incunabulis singulari pietate imbutus, paucis annis expleuit tempora multa. Roma ipsa testis est qualis ipsius fuerit è vitâ excessus; testes ij qui patrocinio ipsius singularia beneficia à Deo se consecutos esse profitentur. Nos ipsi quotidianis edocemur experimentis, quantum hic iuuenis ætate, maturus & senex sanctitate, in cœlo possit: non recensebo signa, & prodigia, quæ ad salutem publicam conseruandam, ad Catholicam religionem propagandam, ad Hæreses extinguendas redundantia passim cernuntur. Illud vnum concordi voce à Sanctissimo Domino Nostro vniuersa possit Sarmatia,

matia, Rexque Sereniſſimus vrget, ne Sua Sanctitas vota & deſideria piorum omnium differat, & vt hunc qui in cœlo Chriſti fruitur conſortio, in terris quoque eorum adſcribat numero, quos ſingulari ritu militaris veneratur Eccleſia. Ego ſanè duplici nomine me huic beato iuueni obſtrictum agnoſco, nam & nomen ipſius fero, & in hac Diœceſi ille natus eſt, cui ego paſtoralem ſolicitudinem mihi à Sede Apoſtolicâ demandatam debeo. Itaque maiorem in modum ab Eminentiâ Veſtrâ rogo, vt huic negotio in Vrbe feliciter celeriterque obtinendo, & conficiendo, auctoritatem ſuam quâ plurimùm poteſt accommodet: ſimulque Regnum hoc Catholicum quantę curæ illi ſit declaret. Humillima obſequia mea defero Eminentiæ Veſtræ. Datum Pultouiæ XVII. Kalend. Iunij Anno Domini M. DC. XXXIII.

MATTHIÆ CASIMIRO SARBIEVIO SOCIETATIS IESV SACERDOTI

Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis. Vilnam.

TANQVAM non vnus ex meis eſſes ita ſiles Sarbieui? neſcis nos vltrices decoris noſtri habere manus, & bilem in naſo? ſed ego hac non vtar, ne poëtam irritem; nam hoc genus hominum facilè furore corripitur, & audet, quod olim gigantes, vel ipſum Iouem ſummo deturbare cœlo. Meum te dixi, nam hîc natus es, vbi me Deus poſuit paſcere gregem ſuum: etiam te, non dico Vilna, ſed vel ipſa Roma adoret, etiamſi in tuas laudes totum conſpiret Belgium: quamuis denique diuinam ingenij tui vim me annuente magna pars orbis miretur, tamen diffiteri non potes quin meus ſis. Hæc ipſa Societas, cui nomen dediſti, mea eſt, nam voto inſtitutoque ſuo, obſequio eorum qui plus in cœtu fidelium poſſe exiſtimantur, ſe obſtrictam eſſe profitetur. Es igitur in cenſu meo; exigerem à te fructum laborum tuorum, niſi tu prior vltrò ſoluiſſes, quod vix debebas. Nomen meum magnis inſeruiſti nominibus, & ijs ornaſti laudibus, quæ non me, ſed magnos decent viros: ita tamen eas dulcedine carminis tui depinxiſti, vt me quoque decere videantur. Quo nomine quid tibi debeam, non facilè explicare poſſum: dicam tamen liberè, me gloriolâ non multùm affici; eorum tamen qui magno iudicio res æſtimant, optimâ erga me voluntate gaudere; nam expertem me humanitatis putarem, ſi in me ipſum inhumanus eſſem. Silere te initio literarum mearum queſtus ſum, nam vnus & alter annus abijt, ex quo nullam ſignificationem dediſti, quo animo erga me eſſes. Dices me quoque pari teneri culpâ, ſed vel ipsâ nunciante famâ audire potuiſti me publicis negotijs immerſum, morbis & ætate fractum, vix ſpirare potuiſſe. Non ſemper in noſtrâ poteſtate ſitum eſt, vt erga amicos officio defungamur; tu

tu quamuis alieno obſtrictus imperio videaris, liber es quâ libertate Chriſtus te donauit, in quâ vt lætus felixque viuas meique memor ſis ille præſtet, qui omnes ſaluos eſſe vult. Vale in Chriſto chariſſime conſerue & frater. Datũ Brocouij Nonis Auguſti Anno Domini M.DC. XXXIII.

MATTHIÆ CASIMIRO SARBIEVIO SOCIETATIS IESV SACERDOTI

Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis. Vilnam.

PAVLO vehementiùs proximis literis accuſaſſe videri poſſum ſilentium tuum: itaque modeſtiùs deinceps agam, nec proprio impetu in te ferar, ſed pares tibi opponam, qui tibi ſtimulos admoueant; nec aliunde petam laudis tuæ æmulos, niſi ex hac ipsâ, cui inſertus nomen dediſti Societate. Carmen habes ſcriptum dicatumque ijs, qui vna Siradienſi terrâ orti aliquantiſper eminent; in hoc agmine ego poſtremus vt ſum, ita eſſe cupio. Idem ego tamen huius carminis auctori, auctor fui vt ſcriberet, nec cauſam require, quis enim laudari non deſideret? maximus quiſque maiora cupit, & volitare per ora virûm. Non ſeriò dictum putes mi Sarbieui, Agnoſco ego me tum deprimi, cùm talibus gloriolæ delicijs lactor, viri boni amici noſtri, cùm nihil omnino ſimus his nos ſalibus magnorum virorum cenſuræ propè deridendos propinant, amore non iudicio. Legi & anteà, & nunc nouæ editionis tua carmina, diuini ingenij tui fœtum; ad eas laudes quibus viri eruditi nomen tuum æternitati dicant & conſecrant nihil addam, verè & eruditè illi de te ſenſerunt: ſubſcribo illorum ſententiæ ſine exceptione, adijcerem aliquid de meo ſi quid tale eſſet in penu, quod tuo decori inſeruiret. Cæterùm æquo feres animo te à me non reprehendi, ſed moneri: Diui, Albertus, Staniſlaus, Sigiſmundus, tot alij, qui vel ex gente noſtrâ orti, vel olim Patroni à noſtris adſciti, primis carminis tui apicibus inſerendi videbantur. Pultouia, vbi primum Muſis ſacramentum dixiſti, ne vno quidem verbo in tuis ſcriptis nominata; fluuiorum Rex Naruia, Bugus noſter, Viſtula melior quàm Thagus auri ferax, quaſi tibi ignoti prætereuntur. Maſouij quorum è ſanguine nobile genus ducis ſilentur. Siletur Staniſlaus Karnkouius Archiepiſcopus Gneſnenſis, qui quidquid facultatum habuit in Societatem Veſtram effudit. Silentur alij qui prima per Poloniam fundamenta iecere Collegiorum veſtrorum; Ioannes Zamoſcius perpetuâ felicitate felix, ſemper hoſtium victor, filius ipſius Martis & Mineruæ alumnus; Staniſlaus Koniecpolius Polonici exercitus Supremus moderator, quem & ſecundæ & aduerſæ res ita erudierunt, vt vtrique fortunæ par eſſe poſſit. Quid dicam ampliùs? Sigiſmundus Rex ingens ille campus excurrendi in laudes magni Principis, ſiue pietatem

eius ſpectes, ſiue belli vel pacis artes intuearis ſemper magnus. Sed cohibeo animi mei impetum, ne te non admoneri, ſed reprehendi meritò queraris; Si vile quid pangeres, & non tuam Poëſim vniuerſus ſtuperet orbis, ſi non in Poloniâ natus eſſes, & Patriæ nihil deberes, ferrem æquo animo, exteros tuis potiſſimùm inſeri ſcriptis: Italos Italis, Lithuanos Lithuanis, non inuideo; Maſouios ſuæ obliuiſci originis ægrè fero. ſatis hæc innuiſſe fuerit. Vale chariſſime frater, in hoc quod ambo Deo debemus obſequio Commilito meus. In arce meâ Brocouienſi duodecimo Calend. Septemb. Anno Domini M. DC. XXXIII.



EPISTO-

EPISTOLARVM SELECTARVM
Decas Secunda.

ANNIBALI BENTIVOLO
VTRIVSQVE SIGNATVRÆ REFERENDARIO
Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis. Romam.



LÆTIORA iam nunc quàm anteà nuncianda veniunt, posteaquàm Serenissimus Rex noster felicibus auspicijs exercitui Moschouitico Smolenscum obsidenti, suas propiùs admouit copias. Fretus is hostis & externis quæ fidei Catholicæ, & nominis Poloni inimici submiserant auxilijs, & multitudine militum suorum, quos gnari Gustauicæ militiæ Magistri toto triennio exercuerant, ita Smolenscum obsidione cinxerat, vt & obsessos intra muros arctè contineret, & contra eos qui suppetias laturi essent, vallo fossaque munitis amplissimis castellis, tutum se omnino fore existimaret. Et profectò artis militaris periti fatentur, hæc ipsa castella ita structa fuisse, & ita aptè disposita, vt humanâ vi expugnari posse non putarentur; nam & ab exercitu, qui supra centum millibus militum constabat defendebantur, & commeatu qui cùm terrâ, tum flumine Boristhene inferebatur abundabant: neque locorum iniquitas patiebatur, vt vel obsideri hostis, vel pabulatione, cùm ingentem equitatum in ijsdem haberet castris, prohiberi; vel denique ad campestrem pugnam aperto Marte ineundam cogi & elici posset. Arcem Smolenscensem arbitratu suo quin hostis tormentorum vi quateret, cuniculos ageret, muros suffoderet impediri non poterat; in Exercitu Regio non plena viginti millia censebantur; exiguæ sanè, si multitudini hostium conferantur, copiæ: Duces hostium veterani, Seinus qui ante viginti annos hanc ipsam Smolenscensem arcem oppugnante eam Sigismundo Rege per biennium fortiter defenderat, Prosorouius inter Moschos belli virtute clarus, Alexander Lesielius Scotus Gustauo Sueciæ Regi per omnia quæ feliciter gessit bella indiuiduus comes, & ita probatus, vt eum potissimùm delegerit, cui copias à se & ceteris Principibus nomini Polono infestis in Moschouiam missas Moschouiticoque stipendio auctoratas regendas committeret. Hi Duces, hic tam ingens exercitus, hæc quibus castra munita erant propugnacula humanâ vi cùm expugnari non possent, Deus ipse suam cœlestem opem Serenissimo Regi attulit, atque magno animo hostem aggredienti præsens adfuit: itaque aliquot assultibus impugnatis Moschouiticis castris Rege ipso exercitum

moderante, aciemque struente, & periculis quæ in eiusmodi oppugnationibus accidere solent caput Regium pro publicâ salute obijciente, cessit hostis, & turpiter desertis munitissimis stationibus obsidionem reliquit. Id celeriúsne an feliciùs Serenissimus Rex effecerit, non facilè est iudicare: minùs quàm intra vnius mensis spatium res tanta confecta, quæ nisi manifestum Dei adfuisset auxilium, per totum annum Regios conatus destinare & morari potuisset. Eo die (fuit is Diuo Michaëli sacer) quo Prosorouius hostium Dux è Castris profugit, Rex eidem cœlestis militiæ Principi Ædem in arce Smolenscensi construendam vouit. Speramus cætera eadem felicitate successura. Quanquam ab aliâ quoque parte non mediocre nobis imminet periculum, nam Turcæ ære Moschouitico cōducti ingentem exercitum finibus Regni per Valachiam admouent. Sed illis quoque alter exercitus Stanislao Koniecpolio Castellano Cracouiensi Duce oppositus, magno animo hostis aduentum præstolatur. Ego literas tuas die decimâ quartâ Augusti scriptas accepi, quibus quod tuum propensissimum amoris affectum erga me contesteris, gratias quàm possum maximas ago, meque ad obsequia Illustrissimæ Dominationi Vestræ totum do & addico. Ex arce meâ Brocouiensi die secunda Nouembris Anno Domini M. DC. XXXIII.

ANNIBALI BENTIVOLO

VTRIVSQVE SIGNATVRÆ REFERENDARIO

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis. Romam.

AD Smolenscum feliciter hactenùs Serenissimus Rex noster rem gerit, hostem in castris delitescentem, & ab arce Smolensci longè reiectum, arctâ obsidione cinctum tenet, quem magnis affectum cladibus, spes est breui ad summas angustias redactum iri. Turcarum impij conatus in irritum reciderunt, admouerant ij finibus Regni grandem exercitum, imò fines transgressi castra castris opposuerant. Nostris Stanislaus Koniecpolius (quem dum Cracouiæ esses, vidisti) Turcis Abbati Bassa summo cum imperio præerat, olim Turcarum Imperatoris hostis & rebellis, nunc abolendæ quasi perfidiæ studiosus, & nomini Christiano infestus. Multa ille animo conceperat, sed inprimis absente Serenissimo Rege nostro & bellum Moschouiticum gerente, Prouincias Turcico imperio vicinas & opportunas se expugnaturum, & intra fines Regni hybernaturum. Fefellit eum impia spes, nam semel collatis cum nostro exercitu signis, acceptaque ingenti clade, cùm videret irritatis nostrorum animis se tutò domum regredi non posse, nisi pace constitutâ, eas à Supremo belli Duce latas conditiones impetrauit, & accepit, quas ille ex Regiæ & Reipublicæ Polonæ dignitate tulit, & nullo dāno illato magnâ parte

parte exercitus ſui amiſsâ domum ingloriusredijt. Bellum quod hîc gerimus pium & Chriſtianum eſt: omnis quæ Turcarum, Schiſmaticorum, & Hæreticorum nomine continetur peſtis, crudeli conſpiratione nos petit, huic Regno ideò infeſta, vt eo exciſo triumphet impietas. Sed Sereniſſimi Imperatoris, & Sereniſſimi Regis Noſtri felices ſucceſſus, mirum eſt quantum animi bonis omnibus addant, & vniuerſum Septemtrionem exhilarent. Si quis in vniuerſum rem expenderit, ab hac parte ſalutem Reipublicę Catholicę dependere fatebitur; quæ bella intra viſcera Chriſtianorum Regnorum geruntur, ea ciuilia iure dixero. Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ felicem futuri proximi anni ſucceſſum ex animo opto, meaque obſequia defero. Plociæ Calendis Decembris Anno M. DC. XXXIII.

ANNIBALI BENTIVOLO

VTRIVSQVE SIGNATVRÆ REFERENDARIO

Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis. Romam.

SVSCEPTI contra Moſchos à Sereniſſimo Rege Noſtro belli initia, quàm ſecunda, quamque felicia fuerint, tribus ni fallor epiſtolis, vir clariſſime, ſignificaueram; in quibus intellexiſti exutum caſtris hoſtem, fuſum fugatumque, & à Smolenſco reiectum, caſtriſque intra quæ ſe receperat exercitum Regiæ Maieſtatis admotum, ac Moſchouitas miro ſtratagemate nuper obſeſſores arctâ cinctos obſidione. Hæc ad initium menſis Octobris geſta, quæ deinceps ſucceſſerint paucis attingam. Hoſtis in ſpem aduenientis ſubſidij ita intra munimenta ſe tenebat, vt nunquàm copiam pugnæ (niſi aliquoties furtiuè) dare vellet: magnâ ex parte tormentis res geſta, maiori hoſtium quàm noſtrorum exitio; omnia itinera, omnes vias præcluſerat Regia Maieſtas, ne hoſtis vel lignandi, vel pabulandi causâ egredi poſſet. Eâ re etſi hoſti frenum iniectum videretur, nihil tamen inſigne effectum; nam cùm per quatuor circiter menſes, ſuperbè hanc obſidionem Moſchi ſuſtinerent, nouumq; exercitum quem miſſum iri crediderant præſtolarentur, nullas pacis honeſtæ conditiones offerri ſibi paſſi ſunt. Id cùm videret Regia Maieſtas, partem iuſtam exercitus in ipſa Moſchouiæ penetralia, Ducibus Kazanouio & Gaſzeuio immiſit, vt & ſi quæ hoſti venirent ſubſidia, auerterent, & ipſi Moſchouiæ Metropoli, belli terrorem oſtentarent. Succeſſit ea expeditio feliciter, vidit ipſemet Supremus Moſchouiæ Dux latè collucentes ignes, ſenſit gemitum ſubditorum ſuorum, nec tamen tantum vel animi, vel virium habuit, vt ſuam, ſuorumque ſalutem armis tueri & in apertum prodire auderet. Iam ij quoque qui à Rege obſidebantur multum de pertinaciâ remittere cœperunt; fortiter quidem à munitionibus ſuis ſæ-

piùs nostros reiecerant, tutique ingenti vallo septi videbantur, si sola deesset, expugnat quæ cuncta fames; hac pressi sub finem demum Ianuarij velle se de pace agere ostenderunt. Nihil ampliùs quidem est quod perscribam; sed satis felicitatis haberemus, si hoc bello hoc tantum consequeremur, vt diminuta hostis superbia eum ad iustas pacis conditiones adduceremus, & à societate Hæreticorum quorum ingentibus auxilijs insolescebat segregaremus. Existimo te non latere, quàm latè pateat amplissimus ille Septemtrionis recessus, quantum Moschouia opibus polleat, & si homines ij, alioquin barbari & rudes tali disciplinâ militari vt hoc quadriennio factum est imbuerentur, mirum quãtum ad perniciem orbis Christiani valerent. Nihil illi aliud de Catholicis sentiunt, nisi eos esse impios, & Turcis & Paganis deteriores, locum quem Catholicus tetigerit, tanquàm immundum verrunt, & eluunt, & omnem consuetudinem Catholicorum auersantur. Notum est proximâ æstate eorum pecuniâ Bassam Silistriensem auctoratum, ingentem exercitum finibus Regni nostri admouisse, Hollandos, Suecos, Anglos, ab ijs foueri, & in odium Catholicorum conduci, pecuniâ item iuuari; denique id vnicum in votis habere, vt nomen Catholicum Romanum penitus extinguant, & suum Schisma vel potiùs manifestam hæresim stabiliant. Sed ad tractationem pacis redeo, quam synceriori fide eos suscepturos demissiores iam illorum animi spondent, & nos ijs potiùs, quàm diuturno & difficili bello pacem confici cupimus. Nam cùm proximè futurâ æstate ictæ cum Suecis induciæ exeant, huius periculi maxima ratio erit nobis habenda. Neque cum ipsis Turcis certa pax, nam etsi præteritâ æstate diuinâ penè virtute Stanislai Koniecpolij Castellani Cracouiensis ita repressi sint, vt magnâ parte exercitus amissâ regredi turpiter coacti fuerint, tamen hac, vt illi vocant, contumeliâ prouocati, maximè si à Persarum Rege otium habuerint, arma & bellum spirare videntur. Cæsaris quoque non satis secunda in Germaniâ fortuna, nobis vt maturè caueamus nos admonet. Breui me feliciora Illustrissimæ Dominationi Vestrę significaturum auguror; si votis nostris Deus annuerit, quem supplices precamur vt Serenissimi Regis Nostri pro fide Catholicâ susceptos conatus secundet, felicitetque. Sed quid hoc est? in omnium penè Regum aulis sacra fulsit purpura, Illustrissimus Honoratus noster hoc honore dignus, cur in alio censu, & huius sortis expers? in re non multùm ad me pertinente nolo esse curiosus, quanquam magni istius viri causâ valde cupio & Tibi Illustrissime Domine felicissima quęque. Plociæ v. Februarij Anno M. DC. XXXIV.

IOANNI GEMBICIO
SECRETARIO REGIO

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis.

in Moſchouiam.

MALE ſit barbaræ & æterno gelu damnatæ genti, quæ vobis tantum faceſſit negotium. Hoc vnum nempè deerat, vt Sereniſſimus Rex deuio & inuio itinere in ipſa Moſchouiæ penetralia protruderetur. Quiſquis huius auctor fuit conſilij velim, vt ipſum tantum, & non eum cuius ſalute noſtra ſalus continetur pæniteat. Tam immenſos Septemtrionis receſſus petere, vel voto ſaltem ad ſubiugandam illam barbariem adſpirare, nunquàm maioribus noſtris viſum. Nam tanta moles coërceri, aut in ordinem redigi vt poſſit, vix vnquam ſperandum eſt. Præclarè nobiſcum ageretur, ſi id quod iam à nobis auulſum fuit, vindicaremus, & oſtẽtatione armorum, ac terrore belli metu hoſtem vagum, in pace contineremus. Doleo vehementer te tot incommodis bellici itineris affici: nam etſi animo verè nobili ea te ferre video, tamen virtutem ipſam interdum ingenti labore labefactari neceſſe eſt. Quanquam te iam rude donatum, & inter veteranos relatum obduruiſſe ad iſta ferenda mala non temerè ſuſpicor, nec te terreri vel tubarum ſono, vel ſtrepitu tympani, ad cuius ſignum meliùs quam olim ad galli cantum, ſomnum capere aſſueuiſti: nec iam exhorreſcis cùm

Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum.

Notæ tibi ſunt artes bellandi, ſcis quo loco tutiùs conſiſtere, quò progredi, quò regredi, vel ſi interdum turbatis ordinibus aduerſi quid immineat, quò te maturè recipere debeas. Iam te nunc mihi fingo, poſteaquàm ad nos redieris militari faſtu tua præclara facinora nobis referentem, militaria præmia oſtentantem, theſauris è prædâ captis tumentem; quibus ſine cęde & ſanguine te potitum, nos mirati gratulabimur, præmia decernemus. Ego curandæ valetudinis causâ hîc per aliquot dies ſubſiſtam, nec multum à Veſtrâ conditione mea nunc abeſt; ſudas tu in agmine, ego in lecto; tu ſæpè eſuris, & ſitis; ego ferè ſemper; cibis ijs vteris quos ex caſtrenſi penu habere potes: ego ijs quos in pharmacopolio paratos porrigit medicus; tibi hoſtilia tela, mihi chirurgi manus ſanguinem elicit. Sed ſatis eſt tot luſiſſe verbis, illud vnum in votis eſt, eritque ſemper vt vos partâ victoriâ vel ſaltem compoſitâ pace reduces oſculo & amplexu excipiamus. Commendo me gratiæ & amori tuo. Datum Thorunij x. Maij Anno Domini M. DC. XXXIV.

HONORATO VICECOMITI

ARCHIEPISCOPO LARISSENO NVNTIO APOSTOLICO

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis. Varsauiam.

EST cur in meliorem spem veniamus prosperioris successus, & aliquando tandem amotis istis quæ impendent calamitatibus ad portum salutis fluctuantem Reipublicæ nauem nos reducturos, cùm Sanctissimus Dominus Noster indictis supplicationibus ad conciliandam Diuinam opem nos inuitet. Fæda & ignobilia bella dici ea possunt, quæ in Europâ Regum ambitio, & insana regnandi libido commouet. Eos qui talia gerunt, qui Christiano sanguine Christianos imbuunt gladios, sera malæ ambitionis meritò accusabit posteritas. Ecce nunc nouus apparet hostis, non ille solam petit Poloniam, non nostris tantùm imminet ceruicibus, per nostrum latus, per interitum Septemtrionis religionem Christianam extinctum it. Graui oppressi somno dormire videntur Christiani Principes, ruit paries, qui hactenùs per quadringentos annos obstitit, ne vniuersa Europa in Turcicam iret seruitutem, ne nomen Christianum deleretur, ne Crux Christi ludibrio esset barbaris. Hæc vident & fortassis rident vicini nostri, summi & præcipui Christianorum Principes, mutuis inter se certant dissidijs, si nos perierimus, rati aliquid virium sibi accessurum. Minimè dubitamus quòd si hæc quæ summum exitium nobis minantur nota fuissent Supremo Ecclesiæ Præsidi; illum pro suâ erga omnes pietate declaraturum fuisse, curæ sibi esse salutem huius Sarmatici Regni. Eius nominis Vrbanus Secundus quid non egit, vt Machumetanos possessione terræ Sanctæ deijceret? id sanè effecit, vt Godefrido Bullionio Hierosolyma in potestatem Christianorum veniret: iidē fuerunt conatus Vrbani Quarti, sed impares successus. Gregorij Decimi feruens ille zelus, illa eius dum adhuc in Palæstinâ versaretur, & esset electus Summus Pontifex concio plena boni desiderij ad milites sacri belli habita: Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si in principio lætitiæ meæ non meminero tui, mirum quantum afficit animum commouetque. Respondebant quidem promissis facta, sed dum Concilium Lugdunense eius rei causâ coactum promouet, in ipso præclarissimi conatus exordio viuere desijt. Bonifacius Octauus si pereunti in Syriâ religioni Christianæ manum porrexisset, fortassis non tam funesto fato concidisset. Exciderat ea quoque ex reliquorum Pontificum mente cura, donec duo Pij, Secūdus & Quintus diuino afflati numine tantam rem ad se pertinere censuissent. Ille quidem dum in Portu Anconitano bellum molitur, viuere desijt, nec animū sed vires sibi defuisse ostendit: hic suis precibus obtentâ ad Naupactum

victoriâ

victoriâ cælum meruit. Vtinam tandem aliquando Christiani Principes expergiscantur,& coniuncta arma in communem religionis hostem vertant, veriùs & gloriosiùs triumphaturi. Ego interim humillima obsequia mea Illustrissimæ Dominationi Vestræ defero. Plociæ XXI. Maij Anno Domini M. DC. XXXIV.

GVIDO CARDINALIS BENTIVOLVS

Stanislao Lubienski Episcopo Plocensi. Plociam.

VEnerunt ad me postremis hisce diebus Reuerendi Patres Præmyslaus Rudnicki & Ioannes Iamielkouski è Societate IESV Poloni Procuratores, multaque disertè narrarunt de beneuolentissimo affectu quo me tua Dominatio Illustrissima prosequitur. Id verò tam iucundum auribus meis accidit,quàm altè cordi insedit huic singularis amoris significationi aliquâ ex parte respondere. Quare cùm nihil aptius in præsentiâ suppetat quàm mea recèns edita opuscula Italicè elaborata, hæc ad te statim per eosdem Patres deferēda curaui, vt si non facundè, saltem ingenuè amorem meum in te eloquentissimum Præsulem testarentur. Tribus illa voluminibus comprehensa videbis. Relationes primum continet, quas dum Internuntij Pontificij munus obirem in Belgio confeci. Alterum Selectas Epistolas; quæ quoniam sparsim vbique non sine erroribus vagabantur,eas in ordinem coactas,in publicum dare permisi. Tertium verò memorabile bellum illud persequitur, quod æquè omnium nationum arma ac ingenia lacessiuit. A me nominatim haud alienus eiusmodi labor videbatur, vt qui in Belgicis Prouinciis desudauerim iuuenis, in iisdem iam ad senium vergens exercerer, atque ita Belgicum solum,quod & mihi affinitate coniunctorum ibidem bellantium ac obeuntium sanguinem, meumque sudorem olim biberat mea nunc etiam atramenta sorberet. Hæ magnum lucubrationes meæ fructū referrent, si à Tuâ Dominatione Illustrissimâ quæ non solùm in Poloniâ, verùm etiam in Europâ ferè vniuersâ tantam eloquentiæ ac doctrinæ famam collegit, libenti animo excipiantur: quæ eò magis beneuolentiæ tuæ calorem requirunt, quò in rigidum istud seuerumque Poloniæ cælum ab eo vestium ornatu, quem ego requirerem nudæ proficiscuntur. Et quoniam nunciatum mihi est Dominationem tuam Illustrissimam contexere Polonicam Historiam, hinc quotidie magis apparebit Poloniam iis florere ingeniis quæ & egregiè faciant scribenda, & fortiter facta scribant. Deum orabo vt sicuti tanto argumento parem scriptorem selegit, ita eidem vitæ diuturnitatem incolumitatemque sufficiat, quo suis laboribus Christianæ Reipublicæ maiorem in modum possit prodesse. Intereà Illustrissimæ Dominationis Tuæ cōmodis officia mea semper spondeo fore paratissima. Romæ decimo octauo Calendis Ianuarij Anno millesimo sexcentesimo trigesimo quarto.

GVIDONI

GVIDONI CARDINALI BENTIVOLO

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis. Romam.

PERVENERVNT tandem ad manus meas literæ Eminentiæ Vestræ Decimo octauo Calendis Ianuarij datæ, longum sanè & diuturnum itineris ac temporis passæ dispendium; elegantes illæ quidem, graues, & prudentiam longo rerum vsu quęsitam spirantes: ijs verò syncerę beneuolentiæ tinctæ coloribus, vt tanti viri, qualem Eminentiam Vestram orbis Christianus & æstimat, & admiratur animum heroïcum repręsentent. Acceperam paulò antè, tria monumentorum Eminentiæ Vestræ volumina, quibus dum obitæ à se functionis seriem exequitur, non desidem vel negligentem se in grauissimis Ecclesiasticis legationibus fuisse ostendit. Tumultuantis Galliæ sanguineas cædes, diuturnum in Belgio armorum strepitum, varias multorum Regnorum vices, leget & agnoscet auctore Eminentiâ Vestrâ posteritas, & tanti non ingrata beneficij Cardinalem Bentiuolum non solùm magnis ortum Principibus, verùm etiam præclaris ingenij dotibus summum decus meruisse fatebitur. De me quid dicam? pudet me tantarum laudum quibus me Eminentia Vestra onerat; ora hæc Septem subiecta Trioni longè remota à Parnasso riget & friget, ingenia nihil grande moliri vel in publicum proferre audent: & nescio an vspiam minùs grato animo quàm hîc si quis verum dixerit aut scripserit, excipiatur. Nempe liberi populi est laudari magis quàm argui: olim quoque sui temporis res gestas attrectare, & nondum expiatis vncta cruoribus arma, vitia, ludusque fortunę, Principum odia & amicitias priuato contexere iudicio, semper habitum periculosæ plenum opus oleæ. Quæ res me quoque aliquid conantem deterruit, ne quid tale aggrederer, quòd non solùm supra vires, & ingenium meum esset, verùm etiam grandi me sine fructu inuidia conficeret. Non deerũt, nec desunt audaciores alij, qui sui temporis res gestas component: me vitâ functo inter monumenta mea fortassis tale reperietur, quo eorum studium adiuuari possit. Cæterùm quibusuis res ab alijs actas memoraturis Eminentiæ Vestrę Opera scribendæ historiæ absolutissimum exemplar erunt, nunc mihi quia tua, & à te missa, eximiæ erga me beneuolentię Tuæ sunt argumentum permagni semper mihi æstimandum. Diutissimè viue Eminentissime Domine religiosissimisque ac magnis votis potiaris. Pultouiæ x. Iunij Anno M. DC. XXXIV.

GVIDO-

GVIDONI CARDINALI BENTIVOLO

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis. Romam.

COnfecto bello Moschouitico, paceque perpetuâ cum eâ gente, cum quâ & Maiores Nostri per aliquot sæcula, & nos ancipiti euentu diu armis decertauimus constitutâ, redeuntem Serenissimum Regem Nostrum magno desiderio expectamus; visuri mox victorem & domitorem latè per Asiam & Europam diffusi Septemtrionis, exosculaturi illam dexteram, quæ in Moschouiâ non solùm Moschos, sed omnes qui in exitium nominis Poloni conspirauerant, Anglos, Gallos, Suecos, & Hollandos Moschouitarum ære auctoratos, & crudelissimi in nos odij socios propè vno ictu concidit, & leges deditionis acceptare coëgit. Feliciorem huius belli euentum vix optare potuimus: minùs quàm intra vnius anni decursum, exercitus hostilis ingens, vel cæde vel fame perijt; solutâ Smolensci obsidione, longè lateque peruastatâ Moschouiâ, amplissimis Prouincijs & ditionibus recuperatis, & cum hoste perpetua pax est constituta, & is ne ampliùs cum hostibus nostris in perniciem Reipublicæ Polonæ conspirare possit, nouâ formâ fœderis obstrictus est. Hoc tantum opus tam breui tempore confici posse nemo sperauerat, nisi nobis auxilium venisset ex alto, quod sanè nobis adfuisse gratis animis profitemur, & Supremo Numini tantum beneficium acceptum ferimus. Serenissimus Rex noster huius belli Dux & auctor, idemque tanti parti decoris sine socio assertor, dici & æstimari debet. Ipse primus erat ad capessendum bellum, ad stringenda in hostem arma, ad obijciendum Regium caput hostium telis, postremus ad capiendam quietem, ad indulgendum aliquid valetudini suæ, quam simul cum sanguine Patriæ impendere paratum se esse sæpiùs ostendit. Nunc victor iam redit longè maius & periculosius gesturus bellum, cùm Turcarum Imperator Orientis vniuersas vires finibus nostris admoueat: Serenissimus quidem Rex Comitia Regni quæ sine illo obiri non possunt priùs expedire cogitat, interim tamen magnam partem exercitus, qui in Moschouiâ stipendia meruerat, contra hostem Christiani nominis vertit: quanquam veremur, ne hostis celeritate suâ hæc subsidia ex Moschouiâ venientia præueniat. Speramus tamen multum superbo illius animo decessurum, posteaquàm intellexerit Regiam Maiestatem feliciter confecto bello Moschouitico, intra fines Regni esse. Nec desunt qui in tanto periculo gratuitam militiam professi, integris in eam rem profusis patrimonijs, iusto exercitu Duce Stanislao Koniecpolski Supremo copiarum Regni, vt hîc vocant, Capitaneo, hosti sese opponere parati sint, eiusque tardare conatus, donec ex toto Regno submissa subsidia periclitanti Patriæ ferant opem. Sed hæc omnia in manu Dei sunt cuius permissu sæpè in discrimen nos adduci, semper tamen

singulari

ſingulari ope ipſius nos ab interitu vindicari vltro agnoſcimus. Sed quid deinceps contigerit Eminentiæ Veſtræ ſignificare non grauabor, ſi modò intellexero, hoc genus officij & obſequij mei illi non ingratum eſſe. Humillima mea obſequia & ſubmiſſam ſeruitutem Eminentiæ Veſtræ defero. Pultouiæ XVI. Calendis Iulij Anno M. DC. XXXIV.

GVIDO CARDINALIS BENTIVOLVS

Staniſlao Lubienski Epiſcopo Plocenſi. Plociam.

SPES noſtras quas in obſidione Smolenſchi Polonorum & Catholici nominis hoſtes Moſchi penè præciderant Potentiſſimus ac Inuictiſſimus Poloniæ Rex reportatâ de ijs inſigni victoriâ mirificè erexit: ad ſuos enim pedes proſtrata vidit ea barbarorum arma, quæ ipſi in noſtrâ perniciem ſumpſerant. Perſuaſerat ſibi immanis eorum furor, ab æterno frigore, quo plagæ illæ in quibus ancipiti euentu tam diu certatum eſt rigent, quando etiam hoſtilis rabies defeciſſet noſtras copias profligatum iri. Verumtamen fortiſſimi bellatores Poloni, tanquam certiſſima cœli fulmina immiſſis in hoſtilia caſtra incendijs oſtenderunt, ſe eos eſſe, qui etiam in medio niuium horrore, pro vindicandis Deo, & Regi ſuo illatis iniurijs inflammarentur. Immo verò ipſe digniſſimus immortalitate Rex ſuo docuit exemplo, nullum validius incitamentum proponi militibus poſſe, ad labores ac belli tædia inconcuſſo animo toleranda, quàm ſi ipſa Maieſtas Regia communis periculi & conſcia, & particeps in caſtris armata verſetur. Iam præſagit animus à bellicoſiſſimo hoc Heroë, ipſius quoque Germaniæ iam penè euerſæ calamitatibus ſubuentum iri. Et quidem intentatas Turcarum minas haud pertimeſcet Vladiſlaus Rex, cùm vel antequàm Regni coronam capeſſeret, Ottomanicam Lunã aut inobſcurauerit, aut cruentauerit, ac profectò exiſtimandum ſit, nunquam tanti Regis nomen hoſtes audire, quin eorum corda pauore pulſentur. Quæ verò ſit Romæ in hiſce rerum ſiue benè geſtarum nuntijs, ſiue meliùs gerendarum auſpicijs coniectura, facilè Dominatio tua Illuſtriſſima aſſequi poterit; videt enim in Catholici orbis Septemtrionalibus confinijs palmas enaſci ac lauros, religioſiſſimi Regis ac fortiſſimorum militum ſudoribus irrigatas: videt ab armato illo ſceptro ſe protegi, quod neque barbarorum viribus infringi, neque Schiſmaticorum conſpiratione labefactari poteſt. Magna autem hinc ſeges enaſcitur exercendæ tuæ Dominationis Illuſtriſsimæ eloquentiæ vt immortalitati egregia tam bellicoſi Principis geſta tradas. Sanè præclara Regum facinora niſi optimorum, hoc eſt tui ſimilium immortales calamos nanciſcantur, intereunt ac in ipſo ortu moriuntur. Nunc epiſtolas expecto & tuo & publico nomine ſcriptas; eas præcipuè quas dum Regiæ Cancellariæ ſummâ cum poteſtate præeſſes compoſuiſti; in ijſdem enim tum clariſsimi ingenij

ingenij tui, tum rerum ſub Sigiſmundo Tertio Rege glorioſiſſimè geſtarum imaginem contemplabor, meaque ſcripta ad eorum normam examinabo. Neque enim lucubrationibus meis eas laudes tribuere audeo, quas tua Dominatio Illuſtriſſima in eaſdem liberaliſſimè congeſſit, licet hunc fructum à tuâ commendatione retuliſſe me fateor, quod cùm ſapientiſſimum iudicium tuum improbare non poſſim, de iis haud timidè ſentiam. Qui verò deinceps rerum ſtatus, tum ad bellum, tum ad pacem ſpectantium, in hac tanta locorum diſtantiâ ſequetur, Tua Dominatio Illuſtriſſima pro ſingulari ſua humanitate quæſo ſignificet. Intereà Deum orabo, vt Inuictiſſimum Regem Veſtrum quotidie magis prouehat, eamque mentem cæteris Regibus impertiat, vt exemplum illius imitantes, ad rem Chriſtianam firmandam, & ad hoſtes illius compeſcendos animum adiiciant: eundemque Deum etiam atque etiam obſecrabo vt Tuam Dominationem Illuſtriſſimam quàm diutiſſimè ſoſpitet. Romæ Idibus Iulij Anno M. DC. XXXIV.

GVIDO CARDINALIS BENTIVOLVS

Staniſlao Lubienski Epiſcopo Plocenſi.

TVÆ mihi literæ & quid inuicta Polonorum natio armis id temporis poſſit, & quid ingenio, declararunt: neque enim minùs potentiſſimi Regis virtus in tuæ eloquentiæ quàm in militarium gladiorum ſplendore collucet. Video in Septemtrionali iſto Chriſtiani orbis confinio ad bellum omnia eſſe inclinata, ſed non propterea animis deſpondendum eſſe, cùm extremum hoc latus ægide adamantinâ, enſeque cœleſti, hoc eſt inuictiſſimo Rege ſpectemus armatum. Neque minantes Turcarum legiones, Vladiſlao inuicto Regi terrorem incutere poterunt, qui olim adoleſcens, neque adhuc ſceptri potitus innumeras Ottomanorum acies cum ipſo Imperatore perterrefacto in turpiſſimam fugam coniecit, & aliàs bellicoſiſſimo hoc heroë copias domini ducente Poloniæ niues Aſiaticorum ſanguine tepuerunt, interq; frigidi iſtius Axis rigorem, Orientis armati populi flammæ extinctæ conciderunt. Quamuis hoc tempore vlteriùs ſpem noſtram protendere debeamus: ſeſe enim admirabilem adeò Numinis Diuini potentia in Germaniâ oſtendit, vt exiſtimemus in Poloniam quoque tam læta felicitatis auſpicia extendi; iam enim ſub Norlingâ vno prælio numeroſus Suecorum exercitus profligatus eſt, iam perniocioſiſſima Hydra quæ omnia deuoratura videbatur alterum caput amiſit. Quid ampliùs reſtat, niſi vt penitus exſcindatur, ac demum coniunctis viribus Catholici Principes armorum tempeſtatem in communem omnium hoſtem conuertant? id ita futurum confidimus, optamuſque. Sed intereà vt imminentia pericula amoueantur, precibus apud Deum ſedulò agendum eſt, ac obſecrationibus impetrandum, vt

Serenissimus Polonorum Rex non solùm hostilibus viribus resistat, sed etiam recuperet, ac imperio suo adiungat ea quæ Regiæ coronæ immanissimæ gentes ademerunt. Deus immittat hanc mentem Principibus ac populis vt ad barbaricam audaciam quæ cedentibus instat, instantibus cedere consueuit frangendam conspirent. Dominationem Tuam Illustrissimam Deus diutissimè seruet incolumem. Romæ Calendis Octobris Anno M. DC. XXXI.

EPISTOLARVM SELECTARVM

Decas Tertia.

GVIDONI CARDINALI BENTIVOLO

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis. Romam.



I quod vnquam tempus fuit ad refrænandos conatus, frangendamque Turcicam potentiam opportunum, hoc illud nunc est, cùm tantarum virium Tyrannus tantis in campum productis copiis, tanto bellico instructus apparatu, ad famam solùm venientis Serenissimi Regis nostri hæret & incertus consilij quod suscepturus sit, ferocem animum metu perstrictum ad pacis studium flectit. Si prisci illi Heroës Europæi, quos pietas & religionis Christianæ asserendæ amor, ad exscindendam pestem istam Machometicam sæpiùs armare consueuerat, viuerent, haud dubio non paterentur tam præclaram rei gerendæ occasionem sibi eripi. Gallia olim talium virorum ferax, & tantæ laudis cupida, æternum sibi nomen felicissimis contra Christiani nominis hostes expeditionibus parauerat; nunc videntur omnes Christiani Principes velle vnius Regni Poloniæ periculo experiri, quantum Turcarum Imperator armis possit; quasi verò nobis pereuntibus, cæteris salutis & incolumitatis aliqua spes affulgeret. Itaque nullus nobis imputauerit, si cùm nemo Christianorum Principum socialia nobiscum iungit arma, si, quod magis deplorandum est, Christiani à Christianis oppugnamur, si quorundam persuasione ad inuadendos nos Turca ipse accenditur, si denique nemo ex Regibus Christianis se commouet, nos quoque rebus nostris aliter consulere cogamur. Hoc ipso anno arma nobis paranda sunt, quæ Suecis opponamus, cum quibus pactæ exeunt induciæ, nec spes est prorogandæ pacis, namque fastu hæretico tumens is hostis, indignas dignitate Regia & Regno poscit conditiones. Interim dispicimus, quis moti contra nos Orientis euentus erit: Nam vtrùm syncerè is hostis pacem offerat, an verò longioribus induciis bellum nobis facere cogitet, vt fatiget, non immeritò ambigitur. Et Serenissimus

mus Rex obuiàm imminenti periculo, victoremque Septemtrionis se duce exercitum ducit in hostem, cùm alias, tum præterito autumno suis auspiciis à Stanislao Koniecpolio, supremo exercituum Regni præfecto, viro tuendæ patriæ nato, repressum, & à finibus Regni gloriosè fortiterque reiectum. Etenim bellum quod prosequitur, anno superiore cœpit; siue ære Moschouitico conductus, ad auertendum inde illatum à Serenissimo Rege bellum; siue immani illâ, quâ maiores eius arserunt, regnandi incensus cupiditate, quam post occupatam Asiam, Africam, & florentissimam Europæ partem huc sæpiùs prolatandi imperij causâ, sed frustra Dei bonitate, vertit. Inde nobis crebra cum illo pro Deo & religione bella hactenus sine quouis aliorum Principum, solo cælesti auxilio gesta, quod Deus nobis continuare velit, vti eum toto corde oramus. Sed ego priuatis rebus diu moror grauissimas cogitationes Eminentiæ Vestræ; sisto igitur calamum, Deum precatus, vt Eminentiam Vestram diu seruet incolumem. Cui humilissimam meam seruitutem perpetuo nexu addico consecroque Varsauiæ IV. nonas Septembris. M. DC. XXXIV.

GVIDO CARDINALIS BENTIVOLVS

Stanislao Lubienski Episcopo Plocensi. Plociam.

TANTA est Inuictissimi Poloniæ Regis virtus atque felicitas, vt vel solâ ipsius in hostem venientis famâ innumeræ immanissimi Tyranni copiæ metu perstrictæ hæreant, atque ab intentatis minis ad inexspectata pacis consilia deflectant. Scilicet palàm hinc est, quid coniunctæ Catholicorum Principum vires ad conterendum teterrimæ belluæ potentiam valerent, si vel vnius Regis, quique positum habet non in ipsis Christianæ ditionis præcordiis, sed finibus Regnum, eximium robur tantum potest, vt terrorem illis incutiat, qui paulò antè orbem vniuersum perterrefacere posse videbantur. Sapientissimo proinde consilio Inuictissimum Heroëm Vladislaum Quartum in extremis Catholicis orbis finibus collocauit Deus, nimirùm vt fidum fortemque excubitorem illum eius Regni haberet in cuius vnius incolumitate vniuersæ Christianæ Reipublicæ salus consistit. Mirabunda se licet ostentet Ottomanica potentia, ingentibus Tartarorum agminibus succincta, adiungant sese illi Transyluanicæ, Moldauicæ & Valachicæ copiæ, conspiret cum Machometicâ rabie armatus Hæreticorum furor, animo proptereà fortissimus Rex non cadet, qui fugare, non fugere Turcas ab ineunte ætate didicit, quique in suis expeditionibus omnia non tam politiâ, quàm prudentiâ, quàm sacris legibus ac verâ religione definit: hac magistrâ duceque Constantinos ac Theodosios maximus iste bellator non minùs victoriis quàm pietate in se renouabit, quos prosperis succes-

ſibus innumeriſque victoriis Exercituum Dominus beauit. Sed ne longior ſim Tuæ Dominationi Illuſtriſſimæ literæ admonent, quæ cum clariſsimis verborum ſententiarumque luminibus exornatæ, mirificè omnium animos oblectare poſsint, modeſtè tamen verentur, ne mihi legenti moleſtiam afferant. Quod reliquum eſt, tanto Regi ad cœpta ſtrenuè promouenda vires à Deo precor, Tuæque Dominationi Illuſtriſsimæ diuturnam incolumitatem. Datum Romæ XII. Calend. Nouemb. Anno M. DC. XXXIV.

GVIDONI CARDINALI BENTIVOLO

Staniſlaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis. Romam.

CVM poſt tot partas victorias Sereniſsimo Regi noſtro meritò gratularemur, atque in ſpem felicioris ſucceſſus veniremus, intercepit vota & deſideria noſtra fatalis & acerbus caſus qui nos immaturâ morte Sereniſsimi Principis Alexandri vehementer perculit, & ſummo affecit dolore. Ipſius naturæ imperio gemimus, ob amiſſum Principem bono publico natum. Dolet Sereniſsimus Rex noſter vehementer, ereptum ſibi fratrem amantiſsimum; deflemus & nos lachrymiſque ei parentamus, quem ſi diutiùs fata ſeruaſſent, virtus quoque ad magna quæuis ſuſcipienda proſpero ſucceſſu duxiſſet. Non dubito quin & Sanctiſsimus Dominus noſter Regium iuuenem nuper à ſe viſum tam citò è vitâ exceſsiſſe vehementer doleat, & Eminentia Veſtra ſuas nobiſcum coniungat lachrymas. Literas Eminentiæ Veſtræ vndecimo Calendas Nouembris datas accepi, ingentes laudes, quibus Eminentia Veſtra Regiam Maieſtatem meritò extollit, complectentes. Lætamur & nos Principis purpurei Senatus encomio, à quo nihil laudari poteſt, niſi laude dignum. Seruet tantùm Deus Sereniſsimum Regem noſtrum, vouemus & ſpondemus eum ſemper Eccleſiæ Catholicæ auxilio & ſubſidio fore. Cum Suecis nihil adhuc certi conſtitutum habemus, nec illi hucuſque aliquam ſignificationem dederunt, pacemne an bellum malint. cæterùm is nunc Poloniæ res moderatur, qui quidquid dederint, accipiet. Humillima mea obſequia defero Eminentiæ Veſtræ. Datum Pultouiæ duodecimâ Decembris Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto.

MAT-

MATTHIÆ CASIMIRO SARBIEVIO SOCIETATIS IESV SACERDOTI

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis.

QVÆ de Nestoris ætate ego ad te scripsi, non eo sensu vt tu intellexisse videris scripsi, sed veteres auctores secutus dixi Nestorem tribus seculis, hoc est triginta annis vixisse: nec is numerus annorum infra illud æuum est, cùm olim Dominus longè ante dixerit: Non permanebit Spiritus meus in homine, sed erunt anni eius centum & viginti. Maxima & suprema hæc ætas erat, & quotusquisque tamen fuit qui illam consequeretur, plurimi quinquaginta, alij sexaginta, septuaginta, octuaginta annos vixerunt, eaque ætas maxima à Dauide, qui post bellum Troianum circiter centum annis vixit, censebatur. Sed de Seculis audi, quæ olim ab auctoribus notata fuerunt, ea accommodata fuisse ad magnum vitæ humanæ seculum: hoc est ad annos centum viginti: itaque qui hunc numerum conficiebat, magnum vixisse seculum dicebatur. Et Nestor quia tria secula vixerat, nonaginta annos vixisse creditur, & tamen heroës illos carne bouinâ assatâ vsos fuisse, ni fallor, scribit Homerus, nam à fabis & cicere frigeret manus tantis Heroibus; vinum denique oblatis pateris, largiùs hausisse. Itaque Nestor cùm nonaginta annis viueret, trium seculorum ætatem vixit. Quæ Petrus Maffæus, quæ Eusebius scribunt de nostro seculo, ijs eam fidem habemus, vt peregrè allatis. Auum Tuum ad centum & nouem annos ætatem prorogasse facilè crediderim. Vidlagam centum triginta annos superstitem fuisse, da veniam dictis, ego vix credo: Vidi enim plerosque eiusmodi qui tantum vitæ sibi arrogarunt. In bonis meis Brocouiensibus accidit me Episcopatum gerente vt centum triginta annos se habere duo rustici contenderint: testem certè nullum producere poterant se eius ætatis fuisse, sed exactiùs examinati, alter centum & septem annos, alter centum itidem & quindecem vixisse reperti fuerunt. Non ita nos desipere existimes, vt annum ad lunæ cursum accommodemus, nec tantoperè ætatem nostram delicijs deditam, vt generali censurâ annos à Deo statutos imminuat: cùm & nostrum æuum videat annos, vere, æstate, autumno, & hyeme constantes centenarios à plerisque transigi, & multos esse qui Dauidis ætatem superent, & satis per se & sine subsidio caleant. Vides fratrem meum septuaginta trium annorum ætatem viuere, & tamen robustum esse: viderunt maiores Nostri Casimirum Tertium, Sigismundum Primum Reges Poloniæ tot vixisse annis, vt & Dauidis Regis & multorum aliorum ætatem superarint. Quidni ego sperem tot annos, quot frater meus, me octo annis maior natu habet, consequi posse? Ad binas alteras literas à te ad me datas non respondeo, cùm satis superque inter nos contenderimus.

rimus. Vale mi Sarbieui quem ego puto Nestorem facundiâ longè superare, ætatem quoque eiusdem attingere posse. Brocouio XII. Calend. Augusti M. DC. XXXVIII.

SODALITATI GRACIENSI

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis. Gracium.

NVLLI meliùs sciunt vt celeri cursu decurrat ætas, quàm ij qui legitimos vitæ annos exegerunt: horum ex numero meritò ego censeri possum, qui sexagesimum tertium ætatis meæ annum propè iam expleo, sed dum transacti temporis rationes mecum expendo, non multùm me vixisse video. Præterierunt dies mei, & consumpti sunt tanquam non essent. Vixi quidem in luce hominum & ijs in Patriâ fulsi honoribus, quibus memoria mei ad futuræ posteritatis recordationem transmitti possit. Cæterùm inter omnia quæ mihi diuinitus obtigerunt non in postremâ apud me est existimatione, & vitæ solatio, dum recordor me ante quadraginta annos in numerum Sodalium Spiritus Sancti Gracij cooptatum fuisse. Mansisse semper ibi animum meum sæpiùs iteratæ literæ meæ testantur, & quàm diu vita superstes erit, sacri vestri Sodalitij institutis me olim imbutum fuisse, nunquam obliuiscar. Vestri erit officij simul atque intellexeritis me vitâ excessisse, ea pietatis officia exhibere fratri, quę ego alijs vicissim quantum in me fuit præstare conatus sum. Valete in Domino, meique & viui, & vitâ functi memineritis. Datum in Arce Nostrâ Brocouiensi XVI. Calend. Nouembris Anno M. DC. XXXVI.

MATTHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS

SOCIETATIS IESV

Stanislao Lubienski Episcopo Plocensi.

EGo verò in hac tantâ Brocouij tui amœnitate nihil doctrinâ tuâ amœnius, nihil lætius video, quam tu singulari semper humanitate condire soles. Nam vt Bugus deliciæ tuæ leniter fluat, leniùs tamen tibi vel in hac ipsâ tuâ epistolâ fluit oratio, vt iucundos afflet Zephyros, nunquam tu illos tamen tam auidè excipis, quàm ego dulcem quandam & in hac æstate tuâ recentem eruditionis tuæ auram capto. Quare non properassem modò ad te, sed volassem etiam illis alis, quas mihi tu ipse addidisti, cùm inuitasti. Sed enim quinæ huius septimanæ conciones, me hîc inuitum, & ad rus istud tuum anhelantem tenuerunt. Vim glaciei refrigerâtis & lenis Zythi mentio me recreauit; hoc præcipuè Varsauia caret, hoc ipsa Varca quæ eò dementiæ venit, vt Zythum suum vinum existimet, adeoque & lymphâ diluat, neque frigidâ allatitiâ opus est,

dilutus

dilutus in mensâ ponitur. Dignus profectò est prolixâ aliquâ Andreæ Critij Palinodiâ. Heri Princeps Casimirus Viennam, Vice-Cancellarius Cracouiam abiere. Supremus quoque Thesauri & Cameræ Præfectus abituriunt. Te verò felicem qui nunc & abes à curis publicis & tuas pulcherrimâ amænitate demulces. Nam isti dum negotia aut fingunt aut quærunt puluerem & solem bibunt. Tu è propinquo rides omnia, teque ipso ac tuis beatus es. Ne modò Pruscio isti Ascetri seuero & sæpiùs tibi mortem inculcanti nimiùm credas: ipsum enim Pruscium nuper ego per somnium vidi exanimem. Vates sum meoque nomine illi dicas ne diem quem alijs inculcat ipse habeat. Mitto illi Merlini Vaticinium quo austeras istas diluat cogitationes & iudicium ferat operæne pretium fecerim cùm specioso titulo captus in libellum decem nummos effudi. Vale Ecclesiæ Patriæ literarum decus vnicum.

MATTHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS
SOCIETATIS IESV
Stanislao Lubienski Episcopo Plocensi.

AD Septemtriones nos recessisse & gelu permagno adstrictos quereris? nos verò hîc æstu penè Italico laboramus: sed tu animorum fortasse frigus aliquod reprehendis; sed neque hoc accusare debes in me præsertim qui Te solem Patriæ in corde gero, ibi tu semper solstitium habes & nunquam occidis. Iam verò & in multorum memoriâ, atque adeò & ore amicissimo versaris. Doctrinam nuper tuam & eloquentiam magno in consessu Gembicij omnes ac plerique Lithuani qui bonarum literarum gustum aliquem habent supra cæteros extulere; ita cùm te absentem à nobis existimas pręsentissimus es. Vitas Episcoporum Plocensium à Ioanne Iamielkouio recepi & iterum regusto: ad hanc porticum pulchram breui stemma aliquod appendam. Annales Regni ne supprimas rogo, laudantur à multis, ab omnibus desiderantur: si suppresseris, multum posteris debebis: si dederis in lucem, multum illi tibi debebunt. De concionibus contra fidei nostræ hostes habendis & hac peste eliminandâ me mones, & meritò. Sed vtinam vt tu zelo, ita ego eloquentiâ valerem! studio certè quantum possum ac curâ contendo, ac magis etiam tuâ epistolâ accensus, & pietate animatus contendam. Viue Antistitum nostrorum sapientissime & me perpetuò Tuum ama. Vilnę ex Collegio Nostro XVI. Iulij Anno M. DC. XXXVIII.

MATTHIÆ CASIMIRO SARBIEVIO SOCIETATIS IESV

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis.

ALTERIS iam literis tuis hac vnâ respondeo epistolâ. Amo amorem tuum quem tam luculenter in me effundis, sed vt verum fatear, iudicium tuum improbo, pudet enim me tantopere à te laudato & erudito viro laudari. Quare fraternè à te peto ne deinceps futuræ imponas ætati, sed ea de me scribas quæ in me cernis, non quæ fingi possunt. Scis sępè errare amorem, & rem amatam amatoribus suis ita placere vt iudicio aberrent, quos tu ne imiteris rogo. Hodie est anniuersaria dies victorię ad Chocimum partę. faueat cœlum vt iterùm atque iterum recentibus victorijs de hoste nominis Christiani partis solido gaudeamus gaudio. Brocouio tertio nonas Octobris Anno M. DC. XXXVII.

MATTHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS SOCIETATIS IESV

Stanislao Lubienski Episcopo Plocensi.

FRVSTRA sim si silentij mei patrocinium aut ab inualetudine quâ sæpiusculè tentor, aut à perpetuis sermonibus sacris, aut à Lechiade quam iterùm reduco accipiam. Tanta sunt beneficia erga me tua, vt vel in lethali strato & ipsam agens animam quidquid otij & virium esset semper tibi debeam. Aliæ sunt causæ quæ mihi calamum è manu excussērūt. Popularis istius linguæ studium in quo nunc necessariò versor latinos apud me fontes adeò arefecit, vt orationis tuę flumini quę tibi in epistolis dulcissima est, quod refundam nihil habeam. Hæc causa si ad officia respectas est exigua, si ad pudorem meum, est maxima; certè à te vel ipso candoris & ingenuitatis meæ numine facilè veniam impetrabit; quàm enim vera sit ex paucis istis lineis barbarè steriliterque scriptis omnino agnosces. Prætereà argumenta scribendi tanta erant, quæ calami mei arena capere non posset, & metuebam sanè, ne si apertiùs ab alijs scripta acciperes, me aut ignorantiæ, aut exactę nimis prudentię apud te accusares, & tamen omittere illa si scripsissem vix possem. Adeò ingenuus sum, vt officiosis & leuibus quibusdam scriptis, alia continere animo quæ velle te scire autumabam non potuerim. Nunc quando me officio isto soluis crebras à me epistolas habebis, & si diu viuam profectò me tibi calculo computatorio exoluam: sin minùs, mortuus ea ad cęlites perferam quæ pro Ecclesiâ & Patriâ pręclarè gessisti & adhuc agis. Vale Antistitum optime

optime decus & ornamentum Poloniæ nostrę. Vilnæ ex Collegio nostro decimâ nonâ Aprilis M. DC. XXXVI.

MATTHIÆ CASIMIRO SARBIEVIO SOCIETATIS IESV SACERDOTI

Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis.

REDEVNTEM Sarbieuium meum è Badensibus Thermis saluto. Nō quęro vt viuas; viuere enim te, & omnibus morbis tam pretioso sulphure quod tam longè petendum erat purgatum redire sanum confido. Letheam illam aquam dixerim, quę cùm corpus sanet præteritorum memoriam æternâ obliuione sopiat. Melior aura Polonica: quam postquàm attigeris ipse tibi restitutus videberis: venient in mentem amici, & tota cohors tibi benè cupientium, quorum ego primus compareo, & an rectè omnia habeant requiro. Describes itineris commoditates, loci in quo te in aquis fouisti amœnitatem, Vrbis Viennensis (quam olim nostri maiores incoluêre & Wieden, quasi quòd illustrior appareat, vel Viednam quòd in eâ Veneficæ habitarunt appellauero) venustatem. Cætera cùm veneris nobis referes. Interim Vale meque amantem te, mutuo amore prosequere. E prædio meo Barthodzierensi tertiâ Octob. millesimo sexcentesimo trigesimo octauo.

SALVTATIO GRATVLATORIA NOMINE CAPITVLI VARSAVIENSIS

Cùm Serenissimus Princeps Dominus

SIGISMVNDVS POLONIÆ ET SVECIÆ REX

capto Smolensco Varsauiam rediret Anno M. DC. XI.



SI quod vnquam tempus fuit Serenissime Rex, quo te sacram hanc basilicam ingredientem, læto & fausto gratulationis officio excipiendum, atque immortali Deo Tuæ incolumitatis & fortunæ auctori, gratias agendas putauimus: nunc illud certè est, cùm te clarâ & illustri partâ victoriâ sospitem conspicimus. Tenuit anxia & diuturna expectatio animos nostros, & quamuis fama rerum à Sacrâ Maiestate Vestrâ gestarum, frequentibus nouata nuntijs, nonnihil laxamenti daret

ret susceptæ sollicitudini, ac interdum etiam ad lætitiam excitaret, secundo cursu affluens fortuna; tamen (fatendum est enim) incertos belli euentus dubiosque & ancipites communis Martis casus reputantibus, non inanis metus versabatur ante oculos: ac te vnum, cuius incolumitate publica salus continetur poscentibus, nihil adeò læti nuntiari poterat, quod omnem metus suspicionem animo penitus eximeret. Nunc te omnium post hominum memoriam maximâ & clarissimâ partâ victoriâ conspectui nostro redditum lęti gratantesque excipimus, & publicam omnium Ordinum lætitiam priuatâ quoque Collegij nostri voce testamur. Suscepisti Diuino magis quàm humano consilio bellum, genere ipso necessarium, magnitudine periculosum; rebus præclarè gestis omnem antiquitatis memoriam superasti, sacra maiorum tuorum vestigia pressisti, atque felici virtutis imitatione longè illustriora reddidisti. Quæ te nunc hostilis regio conspexit, tuaque victricia sensit arma, eadem retroactis sæculis Vitoldum illustrem, & victoriosum sanguinis Tui Principem, Atauum Tuum Casimirum, Auum Sigismundum, quem non nomine tantùm & vultus lineamentis, sed iis etiam virtutibus, quibus vt sui temporis Pater Regum appellaretur, promeruerat, præclarè exprimis, felicissimis victorijs easdem terras peragrantes admirata est: sed illorum fixa ad perpetuam posteritatis memoriam trophæa penè iam interciderant. Gens feritate barbara, religione superstitiosa, multitudine infinita, fide ambigua, nec magis telis quàm suo cœlo, suo sydere armata, aduersis nostrorum vsa opportunitatibus, quæsitum maiorum nostrorum sanguine Reipublicæ patrimonium, fraude & proditione interceptum inuaserat. Non annos, sed secula accepti damni numerabamus, penitus iam ea macula insederat in animis nostris; nemo vltor extitit, nemo qui tantum dedecus amoliretur, ac perfidiam virtute vltum iret, repertus est; Maiestate quoque Vestrâ tot iam annos imperium felicissimè moderante, erat non nemo qui quereretur, nimis diuturnas hosti fœdifrago prorogari inducias. Regium est Serenissime Rex nec prouocare bella, nec timere; non illa segnis tua quies magnis Reipublicæ interpellata negotijs, nec infructuosum, nec obscurum fuit otium: sed in maioris gloriæ opportunitatem dilata virtus, & suscipiendi belli expectata occasio: cùm suo ipse scelere vecors, nefariâ innoxij pueri cæde pollutum amisit imperium Hodunus, alter item ille ficti nominis Demetrius, lusus magis fortunæ quàm tantâ fortunâ dignus, & vel eo solo nomine impius, quòd erga Maiestatem Vestram, cui omnia debebat, ingratus, parto impostorijs artibus Regno breui excidit: cuius ruina etsi nonnullam nomini nostro notam inussisse videri possit, tamen eadem rei benè gerendæ præclaram vltro suppeditauit facultatem. Non satis erat sceleratæ genti, cæso Tyranno assertam tueri libertatem, versa in rabiem hospites paulò antè suos fide publicâ eò profectos, in ipsis mensæ hospitalis sacris, barbarâ feritate contrucidat; omnia diuina humanaque iura ac fœdera confundit. Erat ea belli causa

iusta

iusta, legitima, necessaria, cùm mussitantibus cunctis & nonnullis tuæ gloriæ quæ publico bono coniuncta erat inuidis (nec enim eâ peste hominum vlla Respublica carere potest)palàm dissentientibus, Tu inuictissime Rex semper pacis & honesti otij auctor, primus arma expedienda censuisti: ausus es quod vix credi poterat, eo præsertim rerum statu, nec satis domesticis sopitis dissidijs, quenquam ausurum, animo quàm viribus paratior, causâ quàm copijs potior. Dicã verum; diuino magis quàm humano consilio bellum aggressus es. Smolenscum iuris quondam Maiorum tuorum Arcem & oppidum, arte & naturâ munitissimum, magnitudine ingens, mœnium & fossarum amplitudine tutum, commeatu ac bellico omni apparatu instructum, propugnatorum copiâ ac obstinatâ audaciàque ad defendendum in sui vsque perniciem contumaciâ inexpugnabile, obsidione cinxisti. Initium huius rei mirer an finem? multum est quòd perseueraueris, plus tamẽ quòd non fueris veritus ne perseuerare nõ posses. Spectata est tua fortitudo in periculis, labor in negotijs, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo. Multo sanè labore persuadendum erit posteritati vt narraturis credat Sigismundum III. Regem Poloniæ, eiusque exercitum in regione æterno damnatâ gelu, aduerso tempore, cælo aspero binas in castris egisse hyemes, obsidionem continuasse, hostem tuendis propugnaculis naturâ factum, & vsu exercitatum, tanto numero mœnibus clausum, nunc assultu, nunc ascensu, interdum actis cuniculis infestasse. Hæsit aliquantò ad hunc scopulum fortunæ tuæ cursus, sed ita hæsit, vt Maiestas Vestra eo ipso clarior, illustriorque euaderet, atque magis solidâ potiretur victoriâ: cùm interim felicissimis Maiestatis Vestræ auspicijs fortissimi Duces belli rem præclarè gererent, inuictus tuus exercitus hostilis latebræ occasione vsus, hyemem asperam barbaris inferret, & alieno tempore arma tractare cogeret, atque eo ipso tempore, quod perpetuis frigoribus assuetis hostibus amicissimum alienissimum fore nostris putabatur, cùm flumina ripas gelu iungunt, durataque glacie ingentia tergo bella & sustinent & transportant, in armis atque in hostico versaretur, & hyberna æstiuis, æstiua hybernis continuaret. Cęsi ingentes hostium exercitus; pręter multas munitissimas arces, capta ipsa Imperij Moschouitici primaria sedes, redactus in potestatem Maiestatis Vestræ temerarius vsurpator Imperij, factæ irritæ audacis & noui impostoris artes, detecta fraus & versutia simulatam obedientiam offerentis callidæ & vafræ gentis, vt tracta in aliam atque in alteram æstatem obsidio, cõsultò ad nobilitandum maximis victorijs Maiestatis Vestrę nomen, explorandamque hostium fidem, & stabiliendum Imperium existimari possit. Nos interim de Maiestate Vestrâ soliciti & Diuini ignari consilij, ad has quas nunc Maiestas Vestra veneratura accedit aras prostrati, supplices ad cælos manus tendebamus. Vidisses Serenissime Rex, in te vnum, tuamque salutem omnium vota conferri: sacri profanique ordinis homines cælestem tuis auspicijs opem implo-

implorare, te vnum votis, ſuſpirijs, ac deſiderijs omnium expeti. Serò quidem, ſed tandem aliquando penetrarunt voces gementis populi, auditæ preces, flexum cœleſte numen; aſſiduitate & conſilio Ducum, virtute militum, conſtantiâ, felicitate, & auſpicijs Maieſtatis Veſtræ confecta res eſt. Captum Smolenſcum: patet vniuerſa Moſchouia: non vicinæ modò nobis ab eâ parte gentes, ſed omnis ignoti nominis ſeptemtrio pronus Maieſtati Veſtræ colla ſubmittit: vt non ſpem modò ac votum, deſideria noſtra, ſed ipſius voti certam teneant fiduciam. Ingens ſanè gloria, & æternâ futuræ poſteritatis memoriâ celebranda, quam ſi nec militum robori, nec Ducum rei militaris peritorum experientię, nec vlli felicitati, ſed Maieſtatis Veſtræ pietati & ſynceræ erga Deum religioni adſcripſero, non vereor ne quid ei detrahere videar. Tua Sereniſſime Rex in Deum fixa mens, ſemper tuæ ſacræ occupationes, & in perſoluendis votis & precibus impenſæ horę, hoc tantum & tam eximium decus nobis pepererunt. Nec minùs Sereniſsimæ Reginę pium ac ſanctum hac in re enituit ſtudium, quę Caſtrenſes Maieſtatis Veſtræ labores, fuſis ad Deum precibus, ſudorem bellicum lacrymis, vigilias & excubias frequentibus ieiunijs, atque liberalibus in egenos largitionibus, vitę periculum ſacroſanctis incruenti ſacrificij hoſtijs abſens licet & tantis locorum diſſita ſpatijs, ſed præſens animo cumulatè ſuppleuit; vt non immeritò illius quoque Maieſtati veluti eius laudis conſorti gratulari debeamus. Gratulamur ſanè Maieſtatibus Veſtris & Sereniſsimo Vladiſlao, nato ad illuſtrandam temporum noſtrorum memoriam Principi, paternarum virtutum hęredi, felicitatem, incolumitatem & diu exoptatum atque omnium votis & deſiderijs expetitum ad nos reditum. Tibi verò Sereniſſime Rex potiſsimùm & tuo & Reipublicæ nomine gratulamur, Deumque immortalem precamur, vt omnes cogitationes tuas hinc lætus ſequatur euentus, & ne qua vnquam præſentis diei lætitiam aduerſæ fortunæ procella perturbet, vel vmbra obnubilet, ſed felicibus initijs felicior reſpondeat ſucceſſus; vt tantis virtutibus & rebus geſtis gloria Imperij Maieſtatis Veſtræ & nouetur & augeatur.

LAVDA-

LAVDATIO FVNEBRIS SERENISSIMI SIGISMVNDI III. POLONIARVM ET SVECIÆ REGIS, &c.

IN theatro lugubris mœstitiæ & acerbiſſimi doloris poſitum intuemur Sereniſsimum & Inuictiſsimum Principem SIGISMVNDVM III. Poloniarum & Suecorum Regem. Ille Europæ, Aſiæ, & Africæ in potentiſsimo Turcarum Imperatore, quem non minùs fortiter quàm feliciter à ceruicibus noſtris repulit, victor: ille latè patentis Moſchouiæ, expugnato Smolenſco, Vrbe Regiâ, ac tanti Regni, quod Europæ ingentes receſſus ſuâ Iuriſdictione complectitur, Principe Suiſcio, vnà cum duobus fratribus capto, triumphator magnificus: ille immaniſsimæ omnium quæ ſub ſole extant Tartaricæ nationis terror: ille omnium hoſtium domitor: illa pietas, illa religio, illa iuſtitia, ille humani generis amor, & deliciæ: ille, qui quadraginta quatuor & amplius annorum feliciſsimi Imperij ſucceſſu id conſecutus eſt, vt Rex ſui temporis Regum dici & haberi mereretur; ille qui Auguſtis domus Auſtriacæ connubijs, vniuerſi Chriſtiani orbis Reges & Principes illuſtrium affinitatum nexibus ſibi deuinxerat: ille Regię ſobolis ad ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ natæ felix Pater: ille inquam Sigiſmundus, qui & originis nobilitate, & Regnorum quibus præfuit felicitate, & imperij diuturnitate, omnes ſui temporis Reges longè ſuperauit, eſſe deſijt; & ſe vixiſſe, hoc ſupremi exitus ſui triſti ſpectaculo, teſtatur. Lacrymiſne eius mortem decorare, an memoriâ Heroïcarum magni Regis virtutum animos à mœrore & triſtitiâ auocare conuenit, Vobis qui præſentes adeſtis diſpiciendum relinquo. Illas quidem poſcit Domus Regia, tanto orbata parente: poſcit inprimis Sereniſ. Princeps Vladiſlaus Sigiſmundus, noſter Electus, & Suecorum Gottorum hæreditarius Rex: poſcunt omniũ Ordinum & Statuum Regni Poloniæ, & Mag. Ducatus Lithuanię, quos atratos & frequentes videmus, inclyti Senatores, Equites, & Proceres: poſcit denique hęc funebris pompa, ad excitandum dolorem compoſita: cęterùm hæc omnia ad vnius alteriúſve diei, vt rerum humanarum conditio fert, decurſum duratura, linquamus alijs. Deflebunt Sigiſmundum, quos naturæ lex lachrymas fundere iubet: deflebit vniuerſa Reſpublica noſtra quàm diu nominis Polonici exſtabit memoria: deflebimus nos, qui eius beneficijs creuimus, honoribuſque ab eo aucti ac ornati conſpicimur. Fundemus non ſtipendiarias, nec triſti cohortatione extortas lachrymas; ſponte illæ fluent, maioremque in pectoribus animiſque noſtris conti-

Plinius in Paneg.

neri dolorem quàm palam ostendunt testabuntur. Sed nos interim ad alia orationem nostram conuertamus, ingensque & magnum pelagus virtutum huius qui quondam Magnus Rex, nunc exangue cadauer cernitur ingressi, in earum admiratione aliquantisper immoremur. Neque sanè quisquam existimet temerè vel audacter me hoc munus suscepisse: non temere, nam hæc prouincia nutu Tuo Serenissime Rex Vladislae ad me delata est: non audacter nimis, nam propè quadraginta annorum obsequio, plus plerisq; experimenti capere potui quoad præsentem vsum seruiat. Scio ego Regias virtutes sub vulgarem censoriæ notæ æstimationem cadere non posse. Sublimius & maius iudicium illæ sibi deposcunt: de quibus cùm multa dixerint, scripserintque, ego potissimùm eas deligam ex quibus Regiam Sigismundi Coronam compactam fuisse, vel ipsa inuidia fateatur necesse est. Audeamus igitur aliquid plus genio & ingenio nostro, ordiamurque magis verâ, quàm ornatâ oratione susceptum exequi munus.

Christiani & Catholici Regis virtutes recēsenti viro Ecclesiastico maximè conuenit, vt dicendi initium sumat à pietate, à religione, à constanti augendi & promouendi cultus Diuini studio. Hęc enim omnium virtutū esse prima, & præcipua fundamenta, impius sit, qui negauerit: super hanc basim feliciter assurgunt parietes cunctarū perfectissimarum actionum, cùm nihil rite nihilq; prouidenter homines, sine Dei immortalis ope, consilio, honore, auspicari possint. Nisi fortè quispiam, vt sunt hominū ingenia, obstrepere voluerit, & cæteras quidem virtutes æmulandas Principi non negauerit; pietatem religionemq; priuatorum hominum occupationem esse contenderit. Talem talesque ego, si modò tanta impietas vllibi receptū habeat, extra orbis solisque vias reiecerim, & indignos iudicauerim, qui cōmuni aurâ, communibusq; vitæ subsidijs, perfruantur. Regius Vates Spiritu Sancto afflatus, cùm sciret plerosque Reges vel efferri superbiâ, vt homines se esse vix meminisse velint; vel certè, quæ summa impietas est, pietatis studia cæteris actionibus postponere; vel accendi iracundiâ, vt ad crudelitatem exercendam prono ferantur impetu, ab hac amentiâ auertere eos conatur: Et nunc, inquit, Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus & pereatis de viâ iustâ. Intelligite, vos pari cum cæteris esse conditione, naturâ mortales, necessitate & lege fati mox morituros. Erudimini, nam etiamsi terræ sitis Iudices, etiamsi ius ex æquo & bono dicatis, etiamsi viam iustam tenere videamini: nisi tamen disciplinam non terrenam, sed cœlestem apprehenderitis; nisi Domino cum timore seruieritis; nisi trementes laudes eius decantaueritis, & nomen Sanctissimum, Maiestatem illam omni Maiestate maiorem, exaltaueritis; ex hac ipsa viâ, quæ vobis iusta videtur, ita decidetis, vt vos perijsse serò quidem, sed seriò sitis dolituri. Cæteræ virtutes (inquit Valerius Maximus) admirationis

Plinius in Paneg.

tantum-

tantummodò multum, pietas verò etiam amoris meretur plurimum. Ad hanc Sereniſſimum Regem noſtrum, non factum, ſed natum vidimus; hanc ex ipſis maternis traxit viſceribus, hanc ſuxit ex vberibus. Meritò Sanctus Gregorius, vel ipſe potiùs Spiritus Sanctus, dum ſtupendum illud inuictæ patientiæ exemplar Iobum in terrâ Hus, quæ erat erroribus impijs infecta, natum refert, id illius laudi & præconio adſcribit; quòd vir pius, inter impios conuerſatus, pietatis tramitem non deſeruerit: eſſe enim bonum inter malos, plus eſt, quàm ſi inter optimos optimus appareres. Non obfuit Sigiſmundo, imò profuit naſci in Regno Hæretico, & eo Patre qui ad ſuum arbitrium religionis cauſam reuocabat: blandimentis, quæ iuuenilem animum facilè commouerent vrgebat Pater, ſibi gratum fore, ſi filius ſuæ ſententiæ, vel opinioni potiùs erroneæ accederet; ſed & minæ, & ipſa penè vis admota, ſtabile pectus loco mouere non potuit, ſed vera ſeu ficta Senatus Suetici denunciatio, cariturum Regno niſi nouæ religioni nomen daret, id extorſit, vt in perniciem potiùs ſe daturum, quàm religionem Catholicam deſerturum, profiteretur. Hæc admodùm iuuenis, inter Hæreticos Magiſtros, ac eorum & Patris imperio obnoxius, iam matre ſanctiſſimâ fęminâ orbatus, illius tamen monitorum memor, dixit fecitque prudenter, conſtanter, religiosè. Tantis initijs totus deinceps vitæ decurſus optimè reſpondit. Ita ſemper vixit Sigiſmundus, vt eius pietatem Summi Eccleſię Præſides laudarent, Reges Chriſtiani admirarentur, Ciues amarent, hoſtes pertimeſcerent: ipſe inter maxima poſitus pericula, eâ vbique tutus parata vitę diſcrimina inauditâ felicitate euitarit, ſuperaritque. Dum Chriſti religio, dum Eccleſia Catholica, dum ſincera Euangelicæ veritatis profeſſio durabit (quę tamen omnia ad ſupremum totius vniuerſi exitum duratura, Chriſtus ipſe ſpopondit) extabunt in Poloniâ & Lithuaniâ nobiliſſima monumenta Sigiſmundi Regis pietatis, magnificentiæ, liberalitatis; Templa Baſilico opere ſtructa, Arę, Altaria, Diuorum Statuæ auro & argento fuſæ, teſtabuntur Sigiſmũdum Regem, neque erga Deum pietate, neque erga Sanctos Dei veneratione, cuiquam etiam maximorum & ſanctiſſimorũ Regum concedere voluiſſe. Loquetur & ſponte agnoſcet Polonia, quę illo regnum auſpicante magnam Senatus partem, vt inferiorum Ordinum homines ſilentio prętercam, diuerſis infectam hæreſibus vidit, ſe propè vniuerſam cum ampliſſimis Prouincijs ſuis, ad veteris Orthodoxæ & Catholicæ Romanæ religionis normam, paternâ & piâ tanti Regis curâ traductam. Neque ille ad id efficiendum vllâ vi opus habuit: ſola ipſius pietas, ſola erga Deum religio, erga Sedem Apoſtolicã obſeruantia, mentis puritas, corporis caſtitas vnumquemque commouere poterat, ad obſeruandum magniq́ue ęſtimandum tantum Principem, eiuſq́ue pręſtantiſſimas virtutes æmulandas: itaque pij regiminis dulcedine, adeò mox cunctorum hominum animos pellexit, vt ad ſui exemplum penè totam compoſuerit Poloniam. Multa hac de re dici poſſent, multa adferri, quæ for-

taſſe Catholicis viris grata eſſent; aduerſariorum verò aures minùs iucundo ſono ferirent: ſed ille, qui dum vixit pietatis ſuæ actus Deo ſoli notos eſſe voluit, ne nunc quidem, vt in publicum proferantur velle admittere credendus eſt. Ad alia igitur tranſeamus: videamus vt cæteræ Regiæ virtutes ſemper quidem pietati coniunctæ, & in eâ fundatæ, in illo enituerint. Iuſtitia inprimis quam omnium virtutum Reginam meritò viri ſapientes exiſtimarunt. Ageſilaus quidem Rex, cùm ab eo quæreretur, vtra virtus eſſet præſtantior: Fortitudo an Iuſtitia? grauiter reſpondit: Fortitudinis nullum eſſe vſum, niſi adſit iuſtitia: quòd ſi omnes eſſent iuſti, fortitudini locum non ſuperfuturum. Quàm latè ea virtus pateat, & ad omnes publicas priuataſque actiones ſeſe diffundat, nemini obſcurum eſſe arbitror: hæc honores dignis; hæc præmia meritis; hæc coronas immortalis gloriæ largitur fortibus; hæc bella definit; hæc pacem moderatur; hæc Principem intra præſcriptos regiminis cancellos; hæc ſubditos in officio, ſocios in fide continet: hæc ſontes punit, innocentes abſoluit, exſcindit latrocinia, regna conſeruat, Principes & Reges cælo inſerit. Romanos olim rerum Dominos nihil magis nobilitauit quàm iuſtitia: eam autem non ciuibus tantùm, amicis & ſocijs, ſed hoſtibus quoque ſuis ſemper ſeruandam eſſe cenſuerunt; eâ domi foriſque, pacis bellique tempore conſtanter eminere contenderunt. Mirari ſanè licet tanti virtutem in illâ Vrbe æſtimatam, vt ei latere non liceret; ab aratro & ligone euocabantur viri fortes: ijs ſumma imperia, ijs Dictaturæ deferebantur, ampliſſimi & clariſſimi victoribus triumphi decernebantur. Veteranis & emeritis militibus ea quæ ad ſenectutem cum honore traducendam neceſſaria erant, publico ſumptu abundè ſuppeditabantur: ijs qui in acie, pro patriâ vitam profudiſſent, honores, laudes, Statuæ, monumenta æterna deferebantur, proponebantur, conſecrabantur. Ac vt omnibus conſtaret, non niſi per virtutem honores haberi poſſe; honori ac virtuti templum dicarunt, interiecto tantùm diuiſum pariete, ita vt in honoris templum, nullum eſſet oſtium, nullus niſi per virtutis templum, in illud aditus: virtus enim cauſa honoris eſt: honor effectus virtutis: illa meritum, hic prœmium: illa radix, hic fructuoſiſſimæ radicis fructus: ſine virtute nullus verus, ſolidus, ac diuturnus honos eſſe poteſt, & qui honore priuat virtutem, is homines priuat virtute, vt Cato dicere ſolebat. Quid ego hoc loco de Sigiſmundi Regis iuſtiſſimi iuſtitiâ dicam? Percurramne omnes eius Imperij annos, & tempora? Non me eò demittam, vt cuncta rimer & perueſtigem. Vos plerique teſtes eſtis illum nunquàm in mandandis Magiſtratibus, in decernendis honoribus, ita à ſcopo & ſuæ intentionis & Reipublicæ dignitatis aberraſſe, vt eum hunc vel illum promouiſſe, vix vnquam pœnituerit: magno & acri iudicio expendens & merita & onera, non facilè explicabat, quid decreturus, quem muneri publico admoturus eſſet: ita pleriſque cunctantior

ctantior visus, & qui interdum desideria ambientium longâ expectatione suspensa torqueret. Vix tamen accidit, vt præter communem opinionem quenquam vel dignitate ornaret, vel præmio afficeret. Sciebat enim optimè, quantum publicæ salutis & suæ dignitatis interesset, dignos Magistratibus præficere. Est malum (inquit Spiritus Sanctus) quod vidi sub sole, quasi per errorem gradiens, à facie Principis: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Antiochus Syriæ Rex, Medicum consilij sui præsidem fecerat. Ludouicus XI. Gallorum Rex, sutori suo Fetialis ac Internuntij; tonsori Legati; Medico magni Cancellarij partes detulerat: ea res ita commouerat Galliæ nobilitatem, vt parum abfuerit, quin Rex Regno excideret. Nihil tale vnquam admisit noster Sigismundus, ab omni eiusmodi sorde alienus, fauebat quidem virtuti, fauebat industriæ, & vt olim Hannibal: Qui hostem feriet ille mihi Carthaginensis erit: sic optimum & dignissimum Ciuem eum existimabat, qui & in Sago, & in Togâ, vtilem Patriæ nauaret operam. Altera illa pars iustitiæ, quę lites discernit; quæ noxios punit; quæ publicam quietem tuetur; quæ Ciues inter se mutuâ connectit charitate & concordiâ; quæ bella indicit; quæ fœdera sancit, maiori quidem ex parte non est nec fuit in potestate Regum nostrorum. Sic prisca instituta Maiorum, sic leges voluerunt, ne Rex priuato arbitrio arma sumeret: ne inconsultis Ordinibus noua fœdera feriret; ne in Ciuis Poloni caput, existimationem, bona, absolutâ potestate quidquam decernendi ius haberet. Quæ res fortassis ad fręnandam libidinem Regum facta, in Sigismundo certè locum non habuit, cuius mite Imperium ac legibus libertatibusque Regni accommodatum, extra suspicionem fuit, vel maioris auctoritatis, vel liberioris potestatis vsurpandæ. Ille quidem, quantum ea res ad censuram eius pertinuit, quantum conando efficere potuit & in proprijs iudicijs, quæ Regiæ Iurisdictionis esse dicuntur, nunquam à tramite Iustitiæ se dimoueri passus est: & vt ij qui Regio nomine ius dicunt, quàm optimi iustissimique ac iuris cæteris peritiores legerentur, omni studio elaborauit. Dicam id quod sentio, bonâ veniâ aliorum dictum tamen sit: Interfui & præfui Iudicijs Supremis & in Aula Regiâ, cùm Vice-Cancellarij munus obirem, & in ijs Tribunalibus, in quibus ex Equestri Ordine lecti Iudices ius dicunt: hęc quidem non possum nisi laudare probareque, vtpotè quæ veram idęam repræsentant syncerae & non contaminatæ libertatis; neque ampliùs latus existimationis meæ, quòd ab inuidiâ temerè petatur, patefaciam, nisi vt hoc fatear; Regia Iudicia & in Comitijs Regni, & in Aulicâ, vt vocant Iurisdictione, quæ Fisci, ac Ciuitatum iuri Magdeburgensi subiectarum, causis continetur, casta, pura, & integra esse. Ita voluit Sigismundus Rex, iustitiæ amantissimus & studiosissimus, ita ad recti Iudicij normam sese accommodauerunt ij, quos ille lateri suo assidere, quos summæ rei præesse, quibus existimationis suę summam committere voluit.

Sed quid ille iniustitiæ admitteret, qui priuatas suas actiones ad Iustitiæ æquitatisque regulam semper componebat: qui simulatione & inani ostentatione comparere, indignum suâ existimatione putauit: qui semper id egit, vt qualis haberi vellet, talis esset? Nescio (inquit Sanctus Hieronymus) quomodo turpiora sunt vitia, cùm virtutum specie colorantur. Si dissimulauerit, delinquit dupliciter: aït Spiritus Sanctus. Simulata enim æquitas, teste S. Augustino non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia iniquitas etiam est simulatio. Syncerœ & ad regulam virtutis Regis nostri examinatę actiones, cęterorum qui tum cùm maximè fallunt, id agunt, vt boni viri esse videantur simulationes, damnant & sceleris Hypocritici conuincunt. Hic candor, & non fictæ mentis synceritas, præclarissimas quasque Regis nostri actiones, heroicos ac diuinos pro Republicâ conatus, secundo semper euentu prosperabat: & quamuis primis eius initijs parum propitium fortuna vultum ostendere solita fuerit, vix tamen vnquam, aliquid maius aggresso, felix defuit successus. Admirationem summam excitabat in animis gentium & magnorum Principum constanter semper culta à Sigismundo fides, quam non modò ciuibus, sed hostibus suis semper religiosè seruauit: pacta & promissa rescindere, fidem datam immutare, semel alicui destinatum honorem vel beneficium ad alterum transferre, æquè insolitum illi fuit ac iurisiurandi sacramentum irritare. Audiebat Socratem prudenter Regem Nicoclem admonentem. Omni studio contende, vt tuis verbis maior sit fides, quàm aliorum iuramentis. Animo reuoluebat sacram Dei ipsius vocem apud Zachariam Vatem. Vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendacij ne diligatis; omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. Meminerat quàm acerbas, iustas tamen pœnas subierit Domus & familia Regia Saülis, ob violatum ab eo datum populis Gabaonitarum, per Iosue Ducem Hebræorum, iusiurandum ob ademptum agrum, occupataque contra datam fidem oppida, ob cædem per Saülem factam. Septem ipsius nepotes Regius sanguis, patibulo publicè affixi, pependerunt; & per summam immanium cruciatuum acerbitatem, non suâ sed maiorum suorum culpâ contractum scelus, & sacrilegium, expiarunt. Viderint cæteri Principes, ludere iuramentis assueti, quid vel ipsis, vel eorum posteritati immineat, quibus pœnis teneantur, quibus tormẽtis aliquãdo tandem impia expiaturi sunt sacrilegia, etiamsi nunc exultare videantur in scelere; etiamsi perfidiæ suæ palam iactent stratagemata; etiamsi prospero successu ferantur, & per summum nefas occupent aliena Imperia, sanguinem Christianum atrociter fundant, sacratas Deo Aras, Templa, aditusque sacrorum sacrilego incestent ausu, eàque omnia impunè se perpetrare glorientur: vna veniet dies, vna hora, vel potiùs minimum labentis temporis momentum, cùm hæc omnia inanis gloriolæ & impiæ iactantiæ falsa ornamenta istis Trasonibus, sanguine Christiano

no ſaginatis, triſte & ſupremum adferent exitium. Illíne qui nunquàm Chriſtiani nominis hoſtem in acie viderunt? qui pedem domo, niſi ad infeſtandas Chriſtianas Prouincias, ad accipienda occupandaq; Regna non extulerunt? qui quotidie impias ſocietates, impia fœdera cum Turcis, cum Barbaris feriunt, vt eorum rabiem in Chriſtianos accendant, ſuamque tam turpi ſubſidio Tyrannidem ſtabiliant? Illíne inquam, quidquam veræ laudis, veri decoris ſibi,etiamſi integra laudatorum ad adulationem compoſitorum agmina aduocent, vſurpabunt? Sed nos ad noſtra redeamus, atque à Iuſtitiâ ad Clementiam tranſitum faciamus. De quâ vt aliquid dicerem, cùm multa præclara eius virtutis ſpecimina quę in omnibus Sigiſmundi actionibus enituerunt, tum vel maximè vna eiuſdem Regis vox me impulit. Nam cùm errore quorundam Regis imperium faſtidientium, ad arma ventum eſſet, acieſque eunti Regi, ſub nomine eorum qui tum libertatis patronos ſe ferebant, ſtructa & armata opponeretur: acri, ſed breui prælio res confecta fuit, paucis cæſis, reliquis aduerſarijs in fugam actis. Suadebant nonnulli è fugâ retrahendos eos, qui Principes eius erroris erant: Sed Rex, abſit hoc inquit, ne dum paucos noxios conſectamur, innocentes multi pereant. Digna ſanè vox quam omnes Reges, omnes Principes audirent: quę in pectoribus eorum qui cæteris præſunt figeretur. Vox pietatis, vox clementiæ, vox manſuetudinis. Nemo eorum qui in aduersa acie ſteterant, erat,cui non hoſtilis eſſet in Regem animus, cuius non parricidij rea mens, qui non primus haſtam aut gladium Regio ſanguine tingere cuperet:omnes tamen Regio ore, parricidij ſcelere exoluti,omnes pronunciati innocentes, non quia nocere noluiſſent, ſed quia non potuiſſent. Certabatur adhuc, & bellum feruebat, fugiebant hoſtes mox bellum renouaturi: ſed Sigiſmundus & iniuriæ, & periculi immemor, memor clementiæ, ſiſti acies iubet, militem ne Ciuem feriat, ne capita aduerſariorum præcidat, ſeueris cohibet iuſſis. Commemorare poſſem multa alia eodem temporis momento Regiæ clementiæ argumenta: eos qui peſſimè erant de Rege locuti, qui ſcriptis eius nomen lacerarunt, qui ante ipſum conflictum in pectore Regio ſe defixuros haſtas promiſerant, captos, & in poteſtatem Regis redactos, non ſolùm honeſtè habitos, verùm etiam ſtatim dimiſſos; omnium quicunque in acie ceciderant, humata corpora: his qui aut vulnera acceperant, aut veſtibus ſpoliati erant, nihil defuit; nam & Medici præſtò erant, & Rege auctore, milites paſſim detractis ſibi veſtimentis neceſſitati ſpoliatorum ſubueniebant. Dies quidem illa quâ pugna commiſſa eſt, funeſta bonis omnibus, triſtis admodùm ipſi etiam victori Sigiſmundo eſſe poterat, ſed ad immortalitatis gloriam, ad famam inauditæ clementiæ eidem conciliandam, maximè accommodata. Vicit Sigiſmundus, non armis ſed clementiâ, remiſit iniurias, omnem animi offenſam depoſuit, cunctos ad gratiæ ſuę ſinum admiſit, duobus non poſtremæ notæ, qui diſſenſionis illius ciuilis, veluti

quidam litui erant, non solùm erroris veniam dedit, verùm etiam alterum ex ijs, summis excoluit honoribus; alterum si superuixisset, si non vitæ summa breuis spes ipsius præcidisset, non minoribus honoribus & dignitatibus aucturus ornaturusque. Tanta quidem huius virtutis laus est, vt Romanæ eloquentiæ Parens meritò dixerit: Homines ad Deos nulla aliâ re propiùs accedere quàm salutem hominibus dando. Quàm multos Sigismundus Rex suâ clementiâ flexit! vt cùm priùs Regijs actionibus & destinatis obsisterent, mox mutato animo, eidem adhæserint, præclarosque ipsius pro Republicâ conatus studio operaque sua adiuuerint. Verecundiam enim (inquit Seneca) facit ipsa clementia regentis. Vtque frequentia eorum qui sub curâ & manu Medici salutem quærunt funera Medico dedecori sunt: sic Principi quotidiana odia subditorum. Sacra quidem Scriptura Regis thronum clementiâ & misericordiâ roborari, verissimè asserit. Et Seneca errare eum dicit, qui existimat tutum ibi esse Regem, vbi nihil à Rege tutum est: securitas, securitate mutuâ paciscenda est. Vnum est, inquit, idemque inexpugnabile munimentum, amor Ciuium. Quid pulchriùs quàm viuere optantibus cunctis, & vota non sub custode, sed palam nuncupantibus? Optimè Agasides Lacedæmoniorum Rex cuidam quærenti, quomodo tutò sine satellitibus regnare posset, respondit: Si ita popularibus imperet; vt liberis pater. Quòd si clementia Ciuibus grata est, quid si eadem conspiciatur hosti præstita, quantam admirationem in animis hominum excitat? Suiscius qui summam rerum in Moschouiâ tenuit, captus, & ex dignitate personæ vnà cùm fratribus honorificè habitus, cùm fato diem extremum obijsset vitâ functus, non sepulchro sed Mausoleo à Sigismundo victore, victo hosti magnifice erecto, illatus, & ad perpetuam clementię memoriam condecoratus est. Non attingam cæteras virtutes, non quòd existimem eas Regio decori non conuenire: sed quia ita in omnibus Sigismundi actionibus fulsere, vt vel inimicorum perstringerent oculos. In maximis quibusque periculis, in ipso vitæ discrimine, nullus vnquam eum vidit ita commotum, vt serenitatis vultum immutaret, vt non ab animi præstanti magnitudine consilium sumendum censeret. Monitus in prælio Guzouiensi, vt perturbatâ dextræ partis exercitus acie, ad læuam quæ immota stabat signum Regium transferret, Ducibus idem suadentibus, constanter vultu renidens, ne ad vnum quidem palmum terræ loco quem ceperat se mouere voluit. Ad Lincopiam in Sueciâ arte Caroli circumuentus, & à Suecis desertus, cum paucis qui fidem seruauerant, Regemque & Polonos pro Rege mori paratos, & vitæ discrimen, non multitudine hostium, sed virtute suâ metientes, non deseruerant, vrgente Carolo, pugnæ copiam fecit, atque in primâ acie, quæ tormentorum ictibus petebatur, stetit imperterritus; multitudinemque hostium & impetum longè maioris exercitus, virtute suâ sustinuit. Nec illud silentio transmittere possumus, cùm Sigismundus sub alterum ex Sueciâ discessum

ſum Culmarienſem portum peteret, viq́ue ventorum nauis, quæ Regem vehebat, in breuia adacta & inuerſa fatiſceret, periculumq́ue eſſet, ne compagibus ſolutis mergeretur; cymba vna ſuperfuit, quâ Rex ad littus euadere & ſaluti ſuæ conſulere poſſet; quam cùm eſſet conſcenſurus, & aliquot vel timidiores vel audaciores in eandem ſe demitterent, vnuſq́ue ex ijs quibus Regiæ ſalutis cura demandata fuit, ſtrictis armis ab exſcenſu eos arcere vellet; Define, inquit Rex, & vnumquemque ſaluti ſuæ, quam quiuis tanti æſtimat, quanti & ego, & vos meam æſtimatis, conſulere. Quid memorem alia? Magni quidem momenti negotia ſemel aggreſſus, nunquàm deſeruit, metu vel terrore denunciati etiam periculi: ſententiam nunquam mutauit; obſtinatior alijs viſus; ſed virtutes eius expendentibus, fuit ſemper conſtans & inuictus. Quidni talis eſſet, qui non ſolùm hoſtium, ſed quod præſtantius meritò habetur, ſui ipſius ſemper victor extitit? Legimus magnos Reges, & ſummos Imperatores expugnatis victiſq́ue hoſtibus, per ſummum dedecus, libidini & intemperantiæ ſuccubuiſſe. Dauid Rex, niſi adulterio domum polluiſſet, ſine vllâ exceptione ipſius Dei ore laudari potuerat. Ad Ticinum, ad Thraſimenum, ad Cannas, Hannibal toties Romanorum victor, Capuanis mollioribus hybernis concidit. Alexandrum Magnum, poſt deuictum orbem propè vniuerſum, Babylonicæ illecebræ occiderunt. Eandem ob cauſam amiſſa Regna, euerſa Imperia, exciſas Vrbes, nulla ætas fuit quæ non viderit; nulla natio quæ triſti experimento non ſenſerit. Sed non ſenſit, regnante Sigiſmundo Polonia: purus caſtuſq́ue & ab omni illecebrâ conceſſæ voluptatis alienus, etiam iuuenis vixit: iuuenis inquam ætate & formâ præſtantiſſimus, natu longè maioribus, puritatis caſtitatiſq́ue exemplo præiuit: virgineus in Regio vultu nitor, in ſermone verecundia, in omni actione ingenuus pudor, ciuibus externiſq́ue eum admirandum & venerandum exhibebant. Faciliùs creſcit quàm inchoatur virtus. Summum fuit in Sigiſmundo prima naſcentis crepundia caſtitati conſecraſſe, eo iacto fundamento, cætera creuerunt, & feliciſſimè adhæſerunt: caſto caſtiſſima obtigerunt matrimonia: rara ea proſperitas, & raro viſa. Pudet paulò antè præteriti temporis; viderunt certè Patres noſtri ab Auguſtâ Domo duas Reginas huc deductas infeliciter nupſiſſe. Vidimus nos eadem familiâ ortas, Imperatorij ſanguinis duas Heroides, pias, pudicas, optimas, ſanctiſſimas, quæ non modò dum viuerent admirationem quandam in animis noſtris excitarunt, ſed etiam tantâ relictâ prole, iam vitâ functæ, ſuâ fœcunditate, ne ampliùs dicam, vt meliùs ſperare in poſterùm poſſimus effecerunt. Optimus maritus Sigiſmundus; optimæ priori vxori, par ſucceſſit ſecunda: eadem vtrique virtus, eadem fœcunditas; idem erga Maritum amor, eadem obſeruantia; ex vtraque vxore ſuſcepti liberi, ita educati formatiq́ue vt eodem vtero editi videantur. Grandis hæc felicitas & vix aliquando audita è duobus Matrimonijs Natos ita coaluiſſe, & ad commune decus promouendum conſpiraſſe, nullum

lum æmulationis, nullum ambitus, nisi qui fratri natu maiori ad Regnum aditum patefaceret, vestigium. Quatuor fratres summo & ipsi loco digni Regis filij, in frequentissimo ordinum consessu, in publico Electionis Conuentu, Fratris causam egerunt, orarunt, imperaruntque. Tantam concordiam, tantumque ad commune bonum consensum vix vnquam vlla vidit ætas. Fateamur necesse est bono Reipublicæ natos; nec grauem esse nobis hanc prolem, quæ licet numerosior videatur, quadam tamen synceræ concordiæ vnitate ita coaluit, vt omnes, quales olim Geriones in Hispaniâ fuisse non temerè antiquitas finxit, vnâ animâ viuere existimari possint. Horum virtuti quid vnquam arduum aut difficile esse poterit? His Regna, his amplissima debentur Imperia: illorum patrocinio, illorum tutelæ aliquando orbis vniuersus deuictis Barbaris salutem acceptam feret, & veluti monstrorum domitoribus honores æternùm mansuros decernet. Sed nos paulò altiùs euecti, vela contrahamus & ad nostrum redeamus Sigismundum, quem diuinitus Reipublicæ nostræ datum, si quis & conditionem illorum temporum, & Interregni, quod Stephani Regis mortem subsecutum est, turbulentissimum statum, animo diligentiùs expenderit, facilè agnoscet. Vt cætera silentio præteream, in ipsis Electionis noui Regis Comitijs, binæ acies infestæ sibi; altera viribus ferocior, & externo milite ad opprimendam patriam conducto armata; altera causâ melior, in campo steterunt: summum periculum erat, ne orbata tutore & Rege Patria, Ciuilibus armis discerperetur: aliquoties instructis exercitibus, iam iam congressuros, secreta quædam fati vis, à mutuo exitio coercuit. Candidati Regni vacantis ex præcipuis Orbis Christiani familijs comparebant; crescebat in dies ambitus, ingentes commoditates & vtilitates, ijs qui Regnum sibi deferri petebant promittentibus; plerisque etiam, heu dedecus patriæ! quà spe, quà præmijs allectis, operam suam ad perniciem patriæ externis Principibus pollicentibus. Leuiori manu Sigismundi causa primò agebatur; & Legati eius (nam ita Pater mandauerat) materna potiùs iura repetebant, Electionis prærogatiuâ cæteris cedere, aut saltem non multùm obniti videbantur: nullo fructu, & nullâ propè spe felicioris successus, consilia tractabantur: vis & arma in Comitio valebant; homines pacis & concordiæ cupidi, prodire in publicum vel non poterant, vel non audebant. Non deerant quidem nonnulli, qui in Sigismundum propenderent: Regina Anna eius Matertera, non obscurè illi suffragabatur: Domus Iagiellonicæ propè vltimus surculus Magni Sigismundi Primi nepos, Regis Augusti Sorore natus in ore omnium erat. Sed reputantibus alijs, quantum ille opis & auxilij, contra potentissimos competitores, quos bello & armis qualecunque ius suum vrsuros apparebat, esset allaturus; metus quidam obuersabatur oculis, ne si iuuenem, adhuc nullis maioribus fultum viribus Regem dicerent, aduersariorum potentiæ succumberent. Magnus ille Ioannis Zamoscij Magni Cancellarij & exercituum Regni Supremi Ducis animus, & mens tantæ

molis

molis capax, rebus fluctuantibus ac penè perditis remedium attulit. Namque is suis, quas in vsum Reipublicæ parauerat, aduersariorumque viribus ac copijs expensis, animaduertit, minimâ popularitatis & communis fauoris accessione ijs qui externis freti auxilijs minabantur, ac vim intentabant, se si non superiorem, certè parem futurum, eorumque audaciam & temeritatem facilè repulsurum; inito cum Stanislao Karnkouio Archiepiscopo Gnesnensi Regni Primate, cum quo cæteri Episcopi, vno aut altero excepto, idem sentiebant, & cæteris Senatoribus, quibus temerarij aduersariorum ausus displicebant, consilio; ex omnium sententiâ ab Archiepiscopo Gnesnensi, quem inter præsidia sua, ne vi armatâ ab instituto prohiberetur, receperat, more institutoque Maiorum Sigismundum Regem renunciandum curat. Audito Sigismundi nomine, noua quædam lux affulgere visa; pauere aduersarij, assurgere animis ij, qui bonarum partium erant; vniuersa expers factionum Nobilitas, suffragium huic vni deferre. Videres nuper incessos milite campos, vexillis pacis & tranquillioris spei impleri; omnes nomen Sigismundi occinere, omnes eius auspicijs insigniri. Itum est Cracouiam, & hæc Vrbs in quâ Reges Poloniæ auspicatò imperia ordiri solent, iustis munita præsidijs. Viueres etiam nunc Zamosci, fatereris profectò id quod sæpiùs testatus es, te in omnibus concertationibus, in omnibus prælijs Sigismũdi Regis fortunâ fretum, pro Patriâ caput tuum omnibus obiecisse periculis. Nondum illum videras, cùm Germanicas legiones Cracouiæ imminentes cecidisti, reliquos in fugam egisti. Vrbem Regiam obsidione soluisti, Sigismundo deinde Cracouiam tenente, & feliciter coronato, tu iterum cum exercitu profectus, Archiducem Maximilianum, Imperatoris Romanorum filium, Imperatoris fratrem, in finibus *Silesiæ* vires reparantem; & iam præter Germanos & Polonos, Hispanicis ac Hungaricis copijs auctum, supremumque exitium Patriæ minitantem, ad Byczynam assecutus, vicisti, debellasti, Archiducem ipsum cum præcipuis quibusque magni nominis iuris deditione in Sigismundi potestatem redegisti. Longum esset recensere omnia: per occasionem attingam nonnulla. Quantæ molis erat eo tempore Regnum Poloniæ capessere! quæ domi forisque imminebant pericula, animus ipse meminisse horret. Vniuersum Regnum in diuersas scissum factiones, iuuenili (nam Sigismundus cùm Rex legeretur, vigesimum primum ætatis annum agebat) consilio restaurari, & tam dissentientes voluntates ciuium ad concordiam reduci posse, quis crederet? Iuuenis, vt dixi, erat Sigismundus, mores & instituta nostra nondum nouerat; multorum consilijs, dum sibi quisque studet, distrahebatur: sed inerat animo illius, plus quàm humana prudentia, Rege magno digna modestia, virginei pudoris decor, religio, pietas, quę Deo inprimis, tum & hominibus amabilem illum reddebant, omnibus eius actionibus, felices ac prosperos conciliabant successus. Itaque intra vnius anni decursum, & cum Serenissimâ Domo Austriacâ, cũ

summa

ſummâ Regis & Regni dignitate tranſactum, dimiſſoque Archiduce Maximiliano, pax conſtituta, amicitia etiam perpetuò duratura ſancita, & ijs qui ad Auſtriacos fauorem in Electione flexerant, venia erroris, Regis clementiâ, ac publico Comitiorum Regni decreto data. Sic concordiâ, ſine quâ Regna eſſe & ſtare non poſſunt, ſtabilito firmatoque Imperio, eam de ſe excitauit Sigiſmundus opinionem, vt ipſis initijs feliciſſimos regiminis ſpõderet ſucceſſus. Fruſtra minis & bellico apparatu terrere eum voluerat Turcarum Imperator Amurates III. Nam per Tartaros bellum orſus mox expertus eſt non cedere animo Sigiſmundum, ſed paratum eſſe, vel in ipſius hoſtis ditionibus, quærere hoſtem. Ceſſauit illa procella, & cæteri vicini ad pacis ſtudia animos flexerunt: pactæ cum Moſcho induciæ; firmata cum Turca pax. Suecia denique morte Ioannis Regis iure ipſo naturæ & ſucceſſionis beneficio acceſſerat Imperio Sigiſmundi: ritè inſtitutoque Maiorum Regni illius paterni & hæreditarij habenas capeſſiuerat, iuſiurandum à Suecis ſeruandæ fidei acceperat, pari ſacramento ſe eiſdem obſtrinxerat. Felix erat Suecia tali Rege, tali pace; ſed ambitio & Regni cupiditas corrupit omnia, Carolus Regis Patruus, per eius abſentiam, primò leui manu attrectare cœpit clauum Regni: mox totum ad ſe traxit Imperium per ſummam impietatem abdicato nepote. Hinc bella in Liuoniâ, quam Carolus inuaſerat, orta; & per aliquot annos ſatis à noſtris feliciter geſta. Fugatus aliquoties Carolus; in Kircholmenſibus verò campis, virtute Caroli Chodkieuicij Supremi pro Magno Ducatu Lithuaniæ copiarum Ducis, ita cæſus, vt penè vniuerſo amiſſo exercitu vix ipſe fugâ euaſerit. Sed nihil acerbius Sigiſmundo erat, quàm ſtrictos in ſua viſcera vertere mucrones; gentem in quâ & ex quâ natus eſt, alieno errore à ſe abductam bello perſequi: itaque quantum potuit, quantumque illi licuit, à ſupremâ vi abſtinuit. Hinc aduerſæ partis creuit audacia, & Carolus malè partum Regnum, filio ſuo Guſtauo, olim pœnas violati familiæ ſuæ domeſtici fœderis daturo iniquè poſſidendum reliquit. Cætera vt ſucceſſerint, vt in Liuoniâ, vt in Pruſſiâ, & quo euentu bellatum fuerit, res tanquam nuper geſta, hæret in recenti omnium memoriâ: & Guſtauum cladis aliquoties acceptæ, biſque ictu ſclopeti propè lethalibus vulneribus cruentati ſui corporis puto dum viueret non fuiſſe oblitum. Inuitus hęc commemoro, gratiora illa & magis pleno prædicanda ore, quæ Sigiſmundus in vindicando iure Regni, ac interceptis ab hoſte Moſcho Prouincijs repetendis ſummâ cum laude feliciter geſſit. Gens feritate barbara, religione ſuperſtitioſa, fide ambigua, nec magis telis, quàm ſuo cœlo, ſuo ſydere armata, quæſitum Maiorum noſtrorum ſanguine Reipublicæ patrimonium, fraude & proditione interceptum inuaſerat. Non annos, ſed ſęcula acceptæ immanis iniuriæ numerabamus; penitus iam ea macula inſederat in animis noſtris; nec immeritò exiſtimabamur bellicæ laudis & decoris poſſeſſione, ceſſiſſe hoſtibus. Regis Stephani præclaros quidem & proſperos conatus mors inopina

ria interuerterat: Sigiſmundum ne ſtatim à ſuſcepto Regno bellum aliquod ordiretur, quorundam nimiùm pacis amantium conſilia arcuerăt, quanquam & ille eo ſemper eſſet animo, vt exiſtimaret Regium eſſe, nec prouocare bella, nec timere. Extincto per ſummum ſcelus tanti Imperij vnico reliquo hærede Demetrio, ſummam rei ad ſe traxerat Hodunus, homo in Moſchouiâ non magno loco natus. Fraus diu latere non potuit, extitit vltor ficti nominis Demetrius, ad cuius famam Hodunus ſcelere vecors, nefariâ innoxij pueri cæde pollutus, excidit Imperio. Nec impoſtoris diuturnum Regnum eſſe potuit, quamuis vt id ſtabiliret quorundam Polonorum auxilijs niteretur. Pepigerat dum in Poloniâ eſſet Marinæ Georgij Mniszek Palatini Sendomirienſis filiæ nuptias, ſtatimque rerum in Moſchouiâ potitus publico Procerum, vt gentis mos eſt, conſenſu, expediuerat in Poloniam Legatos, qui & à Rege & à patre ſponſam dari peterent, eamque in Moſchouiam honorificè deducerent, Regem ipſum, & pleroſque Proceres, ſponſæ conſanguineos, ad nuptias inuitauerat. Rex per Legatos officio functus; reliqui eò profecti, magis ad nuptias quàm ad bellum; neque enim aliqua fraudis ſubeſſe poterat ſuſpicio, publica fide, publico vniuerſæ eius gentis aſſenſu interpoſita. Vt rem in pauca contraham, in ipſis nuptialibus ſacris, Moſchi auctore Suiſcio conſpiratione factâ, tumultuque excitato illum ipſum Demetrium ſuo arbitratu ſtrangulant. Dicant ſanè ij iure à ſe factum, Tyrannum impoſtoremque ſublatum. Sed quid innoxij meruerant hoſpites, in quos immani ſæuitum eſt cæde? Legati Regij, iure gentium ſacri, cur arctâ & infami circumdati cuſtodia? erat ea iuſta belli cauſa, & vltor poſcebatur, qui & atrociſſimæ vindex eſſet iniuriæ, & iniquè ac nefariè à Moſchis vſurpata iura repeteret. Sed ne quid temere aut inconſultò fieret, miſſi qui iniuriam nomini Polono factam, qui Legatos violatos quererentur, qui denique res & homines interceptos clarè repeterent. Hi quoque ſine honore habiti, & ſerò admodùm dimiſſi: itaque quod iuſtis rationibus obtineri non potuit, bello & armis repetere viſum. Arx Smolenſcenſis noſtri olim iuris obſidione cincta, immiſſus in remotiores Moſchouiæ Prouincias miles, cæſi hoſtiles exercitus, deditione in poteſtatem redactus Suicius, Regia ipſa Moſchouiæ Vrbs milite Polono inſeſſa. Tu Vladiſlae Princeps omnium eius gẽtis conſenſu Rex & Imperator lectus dictuſque, in tuam fidem tota videbatur veniſſe Moſchouia; Smolenſcum denique captum: tam magni momenti, & tam præclaræ res biennio cõfectæ & totus triumphatus Septemtrio. Cur deinceps verſa retro fortuna fuerit, fideſque parum fidæ gentis nutauerit, magis ſilere libet, quàm vulnera Reipublicæ parum gratâ manu attrectare. Manet tamen manebitque ſemper inclyta memoria clariſſimarum Sigiſmundi Regis victoriarum, quibus & ius Regni aſſeruit & inolitam opinionem quaſi eius gentis potentia nobis formidabilis eſſe poſſet, penitus ex animis omnium exemit. Quid ego alia bella & prælia commemorem? coërcitam

 Niſouij

Nisouij militis sæpiùs licentiam : octies ampliùs fusos fugatosque excussâ quam raptim egerant prædâ, Tartaros : Michaëlem Transyluaniæ Moldauiæque Principem, multarum gentium victorem, qui Turcicæ etiam potentiæ imminere, & formidandus esse videbatur, victum & Moldauiâ exactum: Aaronem Valachiâ pulsum: Domui Mohilanæ in Valachia & Moldauia armis ius assertum? Hactenùs quidem vis Turcarum ita illibata steterat, vt posteaquàm illi arma & Imperium in Europam transtulissent, in omnibus ijs prælijs quibus ipsi eorum Ottomanicâ stirpe orti Imperatores præfuerunt, semper victores euaserint. Sigismundus Imperator idemque Hungariæ & Bohemiæ Rex, coniunctis cum Ioanne Duce Burgundiæ viribus, primus arma Turcica maiori quàm vllus vnquam exercitu ad Nicopolim irritare ausus, tam tristi pugnauit euentu, vt & Burgundus in potestatem barbari hostis venerit, & Imperator vniuerso amisso exercitu vix piscatoriâ exceptus scaphâ ignoratus quis esset solis latebris tutus, turpi fugâ euaserit. Vladislaus Iagiellonides, noster & Hungariæ Rex ingentis animi iuuenis prospero quidem aliquoties successu bella Turcica tractauit; sed postremò Amurati Turcarum Imperatori ad Varnam congressus, etiamsi initio pugnę barbarorum agmina cecidisset fugassetque, ac ipse cum delecto Polonorum robore in primâ acie versaretur, ipsumque Amuratem voce & manu posceret, & iam acinacem in eum stringeret, concursu prætoriani militis oppressus, iam penè victor & in ipsâ victoriâ Regium effudit spiritum. Solimanus in campis Mohacensibus, Ludouico Rege Hungariæ cæso, septies circiter fortunam belli cum potentissimâ Domo Austriacâ quæ statim à morte Ludouici possessionem Regni Hungariæ adire contendit, experiri voluit: sed nec Buda intercepta, nec Vienna obsidione cincta, nec deleti aliquoties Germanorum exercitus, elicere potuerunt potentissimos Germaniæ & Hungarię Reges, qui viuente Solimano vixerunt, vt in campum & aciem descenderent, vt pugnæ copiam facerent. Nostrâ memoriâ Archidux Maximilianus Rudolphi Imperatoris, fratris sui auspicijs, & trium exercituum Germanici, Hungarici, & Transyluanici, virtute ac robore fretus, cum Mahumeto III. qui paulò antè Agriensem Arcem, hactenùs inexpugnabilem creditam, vi expugnauerat & ceperat, ad Cherestessum signa conferre ausus, iam vicisse videbatur, nisi Tartarorum audaciâ circumuenti Christiani milites, cùm se & à tergo, & à fronte peti, cædique viderent, solutis ordinibus loco moti hosti victoriam concessissent. Scilicet non erat in fatis vt gloriam victi aut coërciti Turcarum Imperatoris quisquam alius delibaret: integra & solida Sigismundo Regi Poloniæ seruabatur. Tu quoque Vladislae Princeps arcano Dei decreto destinabaris, vt in partem huius gloriæ & fortunæ venires. Nunquam certè maiori vi vniuersa barbaries conspirauerat, in perniciem rei Christianæ. Iuuenis admodùm Princeps, & odio fidei Christianæ, & immensâ gloriæ cupiditate incensus præcipiti ambi-

ambitione ferebatur, in eamque venerat opinionem, vt primo impetu se nomen Polonorũ deleturũ arbitraretur. Somniabat deinceps alia regna, alia imperia, & Poloniâ armis in suam redactâ potestatem, nullos Europę angulos, nullos recessus sibi non peruios, nullam vrbem, nullam arcem, nullum munimentum suis viribus non cessurum rebatur. Eâ impotentis & ferocis animi audaciâ elatus, ad Europęi militis quem ex omnibus Prouincijs & præsidijs euocauerat, experta maiorum suorum bellis robora, Asiaticos Africanosque exercitus adsciuerat: quadringenta equitum peditumque millia numerabantur. Aderat Tartarorum Imperator, centum viginti millibus comitatus, & ad longè lateq; spargendam vastitatem, incendia & cædes miscendas, instructus paratusque. Tres integros annos ad parandum bellum aula Turcica impenderat: nulla alia tanto temporis spatio Purpuratos Osmanicos magis cura torserat, nisi vt quisque paratissimus compareret: tanta armorum copia, is belli apparatus, tot maiora ad quatiendos muros, tot minora ad campestrem stragem edendam ænea tormenta, in exercitu erant, vt si quis ea recensere vellet, fidem eorum qui hæc non viderunt excessurus putaretur. Tantæ moli impendentis grauissimi belli quid opponeret Sigismundus, aut quam opem imploraret, quem in societatem periculi adsciseret? Æstimantibus certè eius temporis Reipublicæ Christianæ statum, ingens quidem summi exitij discrimen apparebat: spes verò prosperioris successus nulla affulgebat. Summus Pontifex, preces & Vota sub quorum patrocinio tutò constitit salus nostra, libenter deferebat. Ferdinandus Imperator domestico implicatus bello de summâ rei in certamen trahebatur: vniuersa Domus Austriacæ potentia nutare videbatur. Galliæ Rex, cuius inuicti maiores militaris gloriæ decus potissimùm bellis Asiaticis nomini Gallico & posteritati suæ parauerant nihil bella aut pericula Turcica ad se pertinere aiebat. Hispanum res Austriacæ Domus in Germaniâ minùs secundæ distrahebant. Archidux Austriæ Albertus, pro Rege Hispaniæ in Belgio summâ cum potestate gubernator, in ipso vitæ exitu, quantum Reipublicæ Christianæ cuperet, quantoperè communi periculo commoueretur, luculentâ animi testificatione declarabat, & se ea omnia quæ in suâ essent manu facturum ostendebat. Reliquorum Principum Catholicorum fauor in aperto, subsidia in obscuro, vel nulla apparebant. Ex ijs qui de religione Christianâ aliter quàm Orthodoxa & vniuersalis Ecclesia Romana docet sentiunt; solus Serenissimus Iacobus Magnus Britãnię Rex vidit periclitante Poloniâ vniuersam Remp. Christianam in summum venire periculum; solus ad ferendam opem studium operamq; suam detulit: solus peditũ lectissimorum cohortes, in suo regno cõscriptas, & suo stipẽdio auctoratas mari expediuit; & venisset ea manus satis opportunè, nisi in portibus Danicis fuisset retenta. Reliqui omnes eius sectæ Principes gauisuri etiam interitu nostro credebantur. Gustauus certè Suecorum Rex non aliter ac si crudelissimi Turcarum Ty-

ranni iuratus ſatelles, ac Machumeticæ impietatis promotor eſſet, tum vel maximè nos oppugnabat, nobiſque perniciem & ſeruitutem à ceruicibus Chriſtianorum arcentibus & amolientibus, ille per eam occaſionem Rigam, totius Liuoniæ ciuitatem primariam, & portu nobilem expugnabat; Liuoniam iuris noſtri Prouinciam, cæde & incendijs vaſtabat. Nihil dico quo in ſtatu tũ res noſtræ eſſent: accepta ſuperiori anno in Valachiâ clades, alter è Ducibus captus, cæſus alter, veterani militis flos & robur vno prœlio concidiſſe videbatur. Quis non attonitus ſtuperet, Sigiſmundum Regem ſolâ diuini auxilij fiduciâ fretum, neque tantis quæ imminebant periculis, vel motum vel territum, ſed maiora quàm quiſquam ſuſpicari poſſet auſum, Heroici animi magnitudine, hoſtibus perniciem, Patriæ ſalutem, ſibi immortale decus peperiſſe. Summâ celeritate ſcripti paratique exercitus, non ij quidem à quibus victoria ſperari poſſet, ſed qui potentiſſimi hoſtis ferociam morarentur: & ille Bizantio profectus, adeò celeri curſu difficillima Thraciæ itinera ſuperauit, vt longè citiùs, quàm ſperari potuerat, traiecto Iſtro, in ipsâ conſtiterit Valachiâ; mox viribus cum Tartaro coniunctis, pari celeritate ad fines Poloniæ properauerit. Sed iam Chodkieuicius, cui ſumma rei commiſſa fuit, iam Staniſlaus Lubomirſcius, Polonicarum copiarum ductor, ambo magni viri, ambo bellicis facinoribus illuſtres, fines quibus Valachia à Poloniâ diuiditur, tranſgreſſi, in hoſtico ad Chocimum, audaci, ſed felici conſilio Caſtra poſuerant. Tu quoque Sereniſſime Rex, paulò pòſt Paternorum tuorumque quibus te ſuperni fauores circumdabant, auſpiciorum felicitatem Caſtris, eò à Patre miſſus, intuleras, omnium in te oculos conuerteras, animos feſſis, & de euentu ſolicitis addideras, hoſti qui te veniſſe ſtatim ſentit, metum incuſſeras. Intereà dum Pater maiori vi bellum molitur, totiuſque Regni robore excito, vniuerſam in aciem ducit Poloniam: res Tuo ductu, Tua felicitate præclarè geſta; infeſtatæ diurnis nocturniſque incurſionibus Turcicæ ſtationes, ſæpiùs hoſtis iuſtâ acie fuſus, ſæpiſſimè ab oppugnatione Caſtrorum cum ingenti clade reiectus, cùm ſemper deteriori conditione ſuos intra munitiones reciperet, poſtquam Sigiſmundum propè iam adeſſe intellexit, ſpem quam capiendæ expugnandæque & in ſuam poteſtatem redigendæ Poloniæ conceperat, depoſuit. Videbat ſupra ſexaginta millia ſuorum militum, qui cęteris audentiores fortioreſque putabantur, ferro cæſa; longè maiorem numerum belli & temporis incommodis abſumptum, iumenta omnia corrupta; ſtratos hominum equorumque cadaueribus campos. Denique venire Sigiſmundum feliciſſimum magnorum bellorum confectorem, ſe victum faſſus, irritoſque ſuos conatus quod nulli vnquã Turcarũ Imperat. accidit, deplorans: conditiones quibus bellũ finiretur, accepit; prior Caſtra mouit, vt noſtris ſigna victricia & arma tenentibus, tergo abeuntis, & impedimenta deſerentis hoſtis, glorioſè illudere licuerit. Sint, vt fortaſſe non deſunt, qui partæ eo bello gloriæ detrahant; qui virtuti Sigiſmundi Regis obmuſſitent; prodeant,

deant,& aliquem vnum Christianum Principem, vel Imperatorem proferant, qui Turcicas vires tam audacter fregerit; qui ab aditu Regni ferocem Tyrannum tam feliciter arcuerit; qui ne vnico quidem terræ palmo, eum qui semper, vel integra regna, vel munitissimas arces, expugnare & intercipere solitus fuit, ditionum suarum potiri permiserit; qui hostem vincere assuetum, vinci posse tam prospero successu docuerit; qui denique tot barbarorum millibus deletis Turcarum, victoris titulum magis verè vsurpare possit. Dixi paulò ante, hoc decus Sigismundi Regis, & nemini alteri commune esse & fore; dico iterum eandem deuicti Orientis laudis hæreditatem inclyto eius sanguini deberi, ad cuius nomen vniuersa horret barbaries, quibusdam, iisque non obscuris coniecturis sibi inde exitium imminere prospiciens. Sed quid agimus? obliti videmur præsentium, rimati futura? Reuocat nos ad se Sigismundus Rex tristi quidem & lugubri funeris sui pompâ, pares animorum affectus meritò à nobis exigens, cæterùm morte felici, & bonis omnibus exoptando exitu mentes nostras exhilarans. Nam vt nullus vnquam hostis vidit Sigismundum, dum vixit vel periculo pauentem, vel supplicem: ita & ipsa supremi fati necessitas, promptum paratumque eum reperit ad parendum Diuinæ voluntati. Iam penè corporis vires omnes conciderant, iam inualescente vi morbi hebetati sensus ægrè sua munia obibāt; viuidæ tamen mentis, vigor idem erat; sermo nullus nisi cum Deo, aut de Deo; vultus securæ & innoxiæ mentis testis; totius corporis honestissima compositio, nullo mortis metu eum terreri, nullis dolorum acerbitatibus vinci & frangi testabatur. Sic cessit è vitâ, vt ij qui ab exilio redeunt, in Patriam lætus hilarisque. Semper quidem, dum vixit, toto animi conatu contendit, vt in hunc supremi exitus casum paratus esset: cęterùm cùm eum imminere sentiret, nullos alios vel libentiùs vidit, vel faciliùs admisit, quàm eos quibuscum vitæ & salutis suæ rationes conferre solebat: has quoque moriens ita accuratè expendit, vt si Christianæ modestiæ immemor foret liberè dicere potuisset, quod olim Titus Vespasiani filius, se nullius sceleris conscium cedere è vitâ. Nos certè id de eo credere conuenit: namque Christiano ritu, vt S. Ambrosius scribit, decedentibus, optima voluntas & desiderium sufficit. Habet gratiam Valentinianus, vel nos dicamus Sigismundus, quā desiderauit; habet quod poposcit; certè quia poposcit accepit. Nullius itaque errati quod non lachrymis eluisset, cuius veniam à conditore suo non poposcisset Sigismūdus sibi conscius, cessit è vitâ. Prosequamur illum ijsdem votis, quibus S. Ambrosius Valentinianum suum: Si quid Orationes nostræ valebunt Sigismunde, nulla dies silentio te præteribit: nulla inhonoratum te nostra transibit Oratio: nulla nox non donatum te aliquâ precum nostrarum contextione transcurret: omnibus te oblationibus frequentabimus; si non meminerimus tui, obliuioni detur dextera nostra; adhæreat lingua faucibus nostris, si non præposuerimus te in principio lætitiæ nostræ.

Ambr. in obit: Valent.

De obit: Valent.

ſtræ. Hos arbitror eſſe omnium veſtrum ſenſus; idem cunctos tacitis vouere ſuſpirijs. De me quid dicam? Angit me priuatus meus dolor; eſſe deſijt is, quo viuente viuere cœpi; quo auctore, id quidquid in me dignitatis eſt, conſecutus ſum. Patere Sanctiſſime Rex, vt exemplo magni Ambroſij cum Theodoſio ſuo iam vitâ functo ſermonem miſcentis iiſdem verbis nobis vti liceat. Dileximus virum miſericordem, humilem imperio, corde puro, & pectore manſueto præditum. Dileximus virum, non ſibi ſed Reipublicæ natum, Catholicæ religionis decus, Patriç noſtræ ornamentum, nullo vnquam periculo magnoperè commotum, in ipſo vitæ exitu mortis victorem. Dileximus virum, qui cùm iam corpore ſolueretur, magis de ſtatu Eccleſiarum, quàm de ſuis periculis angeretur. Aderant præſentes Liberi, digna tanto Rege proles, genus alto à ſanguine Cæſarum Regum; & quidquid in toto Chriſtiano orbe ſummæ dignitatis ſplendore fulget, quidquid illuſtres familias ſublimioribus titulis decorat, ac nobilitat; horum inquam ſanguine Vos Sereniſſimi Principes progeniti, adfuiſtis morienti Patri: omnium Veſtrûm lachrymis compoſitus eſt; nihil quod illi deeſſet, nouiſſimâ in luce deſiderauere oculi eius. Semper quidem ille pia & paterna dabat documenta Vobis rectè viuendi: ſed tam præclaro vitæ exitu, quid aliud egit, quidve in votis habuit, niſi vt ſui, virtutumque ſuarum memoriam pectoribus veſtris inſereret; vt quibus vitæ mortalis auctor eſſet, eoſdem pareret Chriſto, immortalitati conſecraret, cœlo inſereret? Non eſt quod externa exempla multùm requiratis: Sacræ illæ Maieſtates, Parentes Veſtri, vobis ad capeſſendam Regiarum virtutum viam, ad parandum ſummum decus ductores ſunt, eruntque optimi: non aberrabitis ſi eorum veſtigijs inſiſtere volueritis, & porrò velle debetis; id à Vobis Sigiſmundus, Anna & Conſtantia, Rex, & Reginæ, iam cœlo receptæ mentes & nunquàm perituri Regni Reges & Hæredes, Patrio depoſcunt iure, quorum ipſa nomina quid aliud deſignant, niſi pietatem, religionem, ſyncerum Dei cultum, Eccleſiæ Catholicæ & Sacerdotalis ordinis patrocinium, Sedis Apoſtolicæ venerationem, Ciuium amorem, pauperum ſolatium, caſtitatem, pudicitiam, temperantiam, animi magnitudinem, iuſtitiam, & cunctarum virtutum complementũ. Quod illi fuerunt, vt Vos quoque ſitis, omni conatu èniti, & contendere debetis, vt idem decus, eadem poſt ſera fata Vos maneat gloria. Tu inprimis Sereniſſime Rex Vladiſlae, quem & ætatis & dignitatis prærogatiuâ, cæteris altiùs extulit, quem Orbis Chriſtianus Regio decoratum honore ſuſcipit ac veneratur: non ſolùm promptè ibis per veſtigia Patris tui, verùm etiam eadem tecum ortos familiâ, & fauſtis nutritos ſub penetralibus; hos inquam, quos & naturç lex, & magni Patris voluntas, & Reipublicæ quç ſe ſuoſque tibi vni addicit, tuam revereri & comiter colere Maieſtatem ſuadet, exemplo tuò duces ad culmen veri decoris. Tibi vni hoc onus ferendum eſt; in te Domus hæc Regia inclinata recumbit; id & Sacrati Parentum manes, & Reſpublica à te flagitat;

Ambr. de obit. Theod.

tat; id denique fraternus poſcit amor. Felix ſanè & beata te Rege Polonia Lithuaniaque. Ad prima tua auſpicia, & vt primùm vota omnium in Te vnum flecti cœperunt, quanta rerum conuerſio! quanta ſpes affulſit melioris æui! Pax publica priuataque longo ab interuallo reuiruit; auræ peſtiferæ lues extincta; priſca agrorum fertilitas rediit. Nihil dico, quanto ſtudio ad Te Regem dicẽdum omnes Ordines incubuerint, vt nemo qui non te poſceret, in te ſpem Patriæ non reponeret, fuerit; vt magni viri priuata odia, priuatas lites, mox in perniciem multorum erupturas, tuo iudicio permittere non renuerint; & tu prudens felixq́ue arbiter, vno eodemq́ue temporis momento, multum inter ſe diſcordes & diſſentientes, ita conciliabas, vt deinceps ſtabili & ſyncerâ amicitiâ redintegrata priuata odia ad amorem Reipublicæ transferrent. Præclara hæc ſunt initia orientis imperij Tui, cuius nullum fortius eſt ſtabilimentum Ciuium amore; in cuius poſſeſſionem ita illaberis, vt nemo ſit, qui te in dies non magis diligat, & non plus ſe tibi, ob præſtantia tua in Rempublicam merita debere libens volenſq́ue profiteatur. Sed Tuæ virtutes aliud tempus, aliam poſcunt occaſionem, magis diſertâ oratione & facundiori prædicandæ ore. Nunc ego dicendi finem facturus, non aberraturum me puto, ſi verbis Diui Ambroſij Sigiſmundum Regem Magno Theodoſio, vel parem, vel certè ſi rectâ lance virtutes vtriuſq; examinentur ſuperiorem, terræ iam mandandum non ſolùm pio proſequar ſermone, verùm etiam religioſis deſiderijs & votis, ſupremum Sanctæ illius animæ officium impendam. Conteritur cor meum, quia ereptus eſt vir, qualem vix poſſumus inuenire: ſed tamen tu ſolus Domine inuocandus es, tu rogandus, vt eum in filijs repræſentes; tu Domine, cuſtodiens etiam paruulos in hac humilitate ſaluos facito ſperantes in te. Da requiem perfectam ſeruo tuo Sigiſmundo, requiem illam quam præparaſti Sanctis tuis: illo conuertatur anima eius vnde deſcendit, vbi mortis aculeum ſentire non poſſit; vbi cognoſcat mortem hanc, non naturæ finem eſſe ſed culpæ: quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt, vt iam peccato locus eſſe non poſſit. Proſequamur eum vſque ad regionem viuorum, nec deſeramus, donec fletu & precibus inducamus eum, quò ſua illum vocant merita in montem Domini Sanctum, vbi perennis vita, vbi corruptelæ nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla conſortia mortuorum, vera religio viuentium, vbi mortale hoc induat immortalitatem, corruptibile hoc incorruptibilitatem. DIXI.

Ambr. de obit. Theod.

ORATIO
IN FVNERE
SIGISMVNDI III.
POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS
DICTA.



MMORTALITATEM morte parari non temere credidit veri indagandi ſagax antiquitas; fruſtra queri genus humanum, quòd breuis æui ſit, magni viri magnis conuicere experimentis: celeriorem eſſe virtutis curſum, quàm vt longo opus habeat æuo, vſu diſcimus. Nullum cuius virtus maturuit, immaturâ morte extingui; vitâ functos viuere; veræ ſolidæque virtuti æternitatem deberi; animum cui illa tanquam ſuo principio adfixa eſt, nunquàm interire, & Catholica veritas certâ fide tenet, & Diuinæ humanæque loquuntur literæ. Ecce luculentum eius rei conſpicimus documentum. Sigiſmundus Poloniarum & Suecorum Gottorumque Rex Inuictiſſimus, ſi vitam eius ad naturæ leges reuocauerimus; ſi conditionem quâ natus eſt expenderimus; æſtimari poſſet eſſe quaſi non eſſet: lex quippe æterna iuſſit, orta vt intereant, nata vt moriantur. Sed Heroicæ tanti Regis virtutes, longè à neceſſitate fati, à lege mortalitatis remotæ, viuunt vigentque, in memoriâ hominum fixæ & ſculptæ, cœloque ipſi vbi immortalitatis quædam ſedes eſt, inſertæ. Vixit ille vitam, quâ perpetuò duraturâ propagatur immortalitas; æuo breui confecit curſum, per quem aditur æternitas; cœlum non vetitâ petit viâ, ſed per arduum magnarum virtutum iter conſcendit, effecitque ne & breuis æui fuiſſe dici poſſit, & morte immortalitatem conſecutus, qui nunc fato functus conſpicitur, vitâ viuat vitali. Magna res eſt priſcâ nobilitatis ſplendeſcere gloriâ, auos atauoſque numerare Reges, & longo Imperatorum cenſeri ſanguine, oſtentare maiorum ſtemmata bellicis parta facinoribus, ijs ortum eſſe progenitoribus, quorum ſalute ſtetit vniuerſi orbis ſalus, ſub quorum tutelâ nunquã publica nutauit felicitas. Ponamus nobis ante oculos Gotticę gentis, cum quâ nobis, ſi prima domus repetatur origo, idem genus eſt, multis ſeculis res præclarè geſtas, & ne plura commemorem, Romanum domitum euerſumque Imperium: huic Sigiſmundus Rex paterni auitique Magnorum potentiſſimorumque Regum, Regij ſanguinis & generis debet primordia. Iagellonica ſtirps clara, ſi quę alia, vel rebus geſtis, vel generis

ris ac ſanguinis, per omnes orbis Chriſtiani Regias familias affinitatibus partiti fœnore, vel quod nunquam vitæ in bellis contra barbaros geſtis pepercerit, quòd duos ſui ſanguinis Reges, Vladiſlaum ad Varnam, Ludouicum ad Mochacium Turcarum rabiem, ab exitio orbis Chriſtiani arcentes, ſaluti publicæ impenderit, & nominis ſui ſplendore aliquot ſecula illuſtrarit. Hac Catharina Ioanni Regi Sueciæ nupta, Sigiſmundi Regis mater edita eſt. Clara & conſpicua ſemper eſt habita, inclytæ Sfortiadum familiæ gloria, illuſtribus propagata affinitatibus, magnificis exornata triumphis. Bona Sfortia Alphonſi Regis Aragoniæ filia genita, Sigiſmundi Primi Coniux, Sigiſmundi Noſtri Auia materna, inde genus traxit. Parte aliâ Auſtriaci nominis ſplendor, cuius radij anguſtis Europæ, Aſiæ, & Africæ angulis contineri cùm non poſſent, ad ignotos vſque Antipodum, & alterius orbis receſſus penetrarunt, ita fulget, vt cæteras omnes ſuâ magnitudine obſcuret familias; ſi Reges Imperatoreſque eâ profectos recenſere liberet, nimis longa texenda eſſet narratio. Sol nuſquam vel oritur, vel occidit, quin Auſtriacum conſpiciat, & quaſi ſecum circumferat imperium. Albertus II. Romanorum Imperator, Sigiſmundi Primi Maternus Auus, Sigiſmundi quoque noſtri, cuius ille ex filia Nepos, generis eſt auctor & ſanguinis. Non noſtra hæc eſſe dicet aliquis? fatemur vltro: ſed quotuſquiſque eſt, qui tantis nominibus ſui ortus debeat exordia; qui tot clareſcat imaginibus, tot fulgeat ſtemmatibus? Illud proprium Sigiſmundi, naſci in Regno Hæretico, nunquam tamen vel modicâ erroris labe infici, pietatis & religionis ſtudio, cæteris exemplo eſſe; iuueniles luſus ſenili grauitate temperare; ab omni quæ corporis & mentis puritatem fœdaret contagione alienum gerere animum; ad præclaros quoſque auſus ſuſcipiendos, in ipſis pueritiæ crepundijs accendi; longè lateque magni Principis de ſe ſpargere famam, remotos etiam populos ad amorem admirationemque ſui allicere. Horret animus, meminiſſe tamen iuuat, quo in ſtatu, ſecundùm mortem Stephani Regis res noſtræ fuerint: nihil pacati, nihil quod ad ſedandas Ciuiles diſſenſiones pertineret, audiebatur: vbique arma, vbique Martius furor inualeſcebat; miles in conſilio, miles in Comitio, primas tenebat partes: nullus erat qui pacem ſuaderet, qui infenſos, & in mutuam perniciem accenſos animos componere vellet; quòd ſi quis meliora ſuaſurus compareret, parum aberat, quin ab ijs qui ſuam & Patriæ (heu dedecus!) ſeruitutem externis Principibus addixerant, hoſtis Patriæ iudicaretur. Pereundum nobis fuit, niſi ijs, qui partes Reipublicæ tutabantur, eam mentem inſpiraſſet Deus, Regem vt Sigiſmundum dicerent: ad eius adhuc abſentis, ſatiſque inualidi nominis famam, & bonis Ciuibus creuit animus, & eorum, qui externâ potentiâ freti, aliò flexerant ſtudia, ſpes labare cœperunt. Venit Sigiſmundus exiguo, aut ferè nullo, militum robore cinctus, ſed Diuino munitus præſidio. Vrbem hanc ab hoſte obſidione cinctam, per medias & infeſtas inimicorum acies petijt, Deo duce,

Deo,

Deo auctore, elusis hostium quæ iter facienti frequenter struebantur insidijs, eò quò intenderat peruenit; cùm paulò antè eius auspicijs Ioannes Zamoscius, quem felici quodam Reipublicæ fato natum credere par est, vt extaret seræ posteritati perfectissimum exemplar amantis Patriæ Ciuis, fortissimi & felicissimi belli Ducis, prudentis Senatoris, re præclarè gestâ, hostem acie victum soluere obsidionem, ac in tutiora loca se recipere coëgisset. Deus immortalis! qui dies ille, quàm lætus, quàm certus futuræ sponsor felicitatis! cùm Sigismundus, tam potentis hostis victor, hanc vrbem inueheretur, cùm arcus ttiumphales; cùm Statuæ eius nomini sacratæ figerentur; cùm portæ Vrbis; cùm priuatæ publicæque ædes ignibus collucerent; cùm miles, cùm populus concordi voce felicitatem, prosperitatem, ac imperij diuturnitatem, ei comprecaretur; cùm denique Regium Sigismundi caput sacro cingeretur diademate, summo Antistite Stanislao Karnkouio Archiepiscopo Gnesnensi, notæ sanctitatis viro, preces & vota concipiente, eademque non irrito euentu ad sacras fundente Diuorum aras. Ab hoc orientis imperij exordio, tot annorum, quibus Sigismundus summam rerum tenuit, quasi continuus quidam torrens perpetuæ fluxit felicitatis. Archidux Maximilianus, cùm malâ quorundam ambitione ad repetendum Regnum traheretur, exactus Regni finibus, acieque victus, deditione in Regis venit potestatem: intra vnius anni decursum, & Respublica domi pacata, & cum Serenissimâ Domo Austriacâ transactum; pax & fœdera cum externis inita Principibus. Cæteris quidem Regibus ratio regnandi etsi difficilis, non tamen adeò ardua videri debet: nam & pacem colere suo arbitratu, & dum libet bellum ordiri, in eorum potestate situm est; nobis vix vnquam licet esse quietos. Nam, vt alios quibus circumambimur hostes taceam, quæ fides Moscho? quæ fides Tartaro? quæ fides Turcæ esse potest? vix non eadem horâ pacem pollicentur, amicitiam spondent, fœdera sanciunt; mox infestis agminibus percursant campos, cædes & incendia spargunt, cultis regionibus vastitatem inferunt, fidem datam, non ad iurisiurandi religionem, sed ad suum commodum, occasionemque rei gerendæ referunt. Itaque Reges Poloniæ semper inuigilare, semper in armis esse oportet, eo felices, quod nunquam illis desit materia benè merendi de Republicâ Christianâ, parandæ immensæ gloriæ, & si ea esset ambitio, iusto & legitimo bello proferendi Imperij. Domus Ottomanicæ Turcarum arma iam propè quadringentis annis, vt taceam veteres Saracenorum in Asiâ, & Europâ ferocissimos ausus, inualuere: bina Orientis Imperia, ab hac peste sub iugum missa, vniuersus Oriens turpi Mahometicæ sectæ dogmate fœdatus, duram seruit seruitutem. Accessit Thracia, Græcia, Macedonia, Illyricus, Mæsia, & magna pars aurei quondam fructus feracis Hungariæ. Frustra Reges, frustra Europæi Imperatores, translata in Græciam arma Turcica, armis sistere voluerunt: quotiescunque fortunam & Martis aleam experiri contigit,

tigit, aut victi & cæsi, aut victis non dissimiles abierunt. Primus omnium Sigismundus noster, quadraginta abhinc annis Amurato III. vim finibus Regni admouenti, arma feliciter ostentauit, & desistere cœpto coëgit. His proximis annis Ottomanus, sæuus & audax, idemque gloriæ auidus, iuuenis, excita & armata vniuersa barbarie, in societatem belli assumpto, quod hactenùs vix vnquam factum fuerat, Tartarorum Chamo (ita illis summum eius gentis Imperatorem appellare mos est) totis viribus in nos incubuit; nunquàm Europa tam numerosos vidit exercitus; nullus Regum tam ingentem bellici instrumenti apparatum secum in aciem duxit; ipso nominis sui terrore, barbarus Princeps se omnia cõsecuturum satis superbè sperabat. Frustra, namque iam olim in fatis erat, vt coërciti Turcarum Imperatoris gloria seruaretur Sigismundo, & Regiæ eius Domui: vt tu quoque Serenissime Rex Vladislae, qui castris hosti oppositis, & Patris, & Tua auspicia eò intuleras, in partem maximi venires triumphi. Hostis certè suâ etiam confessione victus, magnâ parte exercitus amissâ, nullo parto decore domum redijt inglorius. Moschorum vires Maioribus etiam nostris formidabiles, quis vnquam sperare, aut cogitare potuit, cuiusquam potentiæ succubituras? Cessere eæ Sigismundi armis, qui iusto suscepto bello, biennalique labore Smolenscum expugnauit; vrbem ipsam caput Regni Moschouiam, Basilium Suiscium tanti Imperij summa cùm potestate moderatorem, eiusque fratres deditione in potestatem redegit; denique Moschos datæ fidei, qua se tibi Serenissime Rex Vladislae obstrinxerunt, oblitos & rebelles, iterùm à te armis perdomitos, eâ parte Imperij, quam illi quondam à Regno, & Mag. Duc. Lithuaniæ fraude auulserant, mulctatos pacis conditiones arbitratu suo latas acceptare coëgit. Gens quidem illa Parentis Tui & Tuis Serenissime Rex Vladislae, armis toties coërcita, non aliam ob causam, violatis iuratis fœderibus arma sumpsit, nisi vt tuam augeret gloriam, vt prima initia Imperij Tui felici (quem vouemus) successu belli illustraret, consecraretque. Neque verò his tantùm triumphis clarum & conspicuum esse voluerunt fata Sigismundum Regem. Tartari durum in armis genus ad vastitatem inferendam, ad prædas agendas, vsu & natura facta gens, feritate barbara, immanitate crudelis, multitudine infinita, fide nulla, superioribus seculis tantam cladem finibus Regni intulerat, vt excisis funditus Oppidis, & colonis partim cæsis, partim in tristem abductis seruitutem, ingentes campos, olim cultos habitatosque omni cultore & habitatore vacuos fecerit. Serpebat hoc malum in dies, & populationem hoste promouente, semper ex ditionibus nostris aliquid decedebat; nec quisquam erat, qui Tartarum lato apertoque campo, per suas turmas aciem struentem vinci posse crederet: nam celeri cursu & recursu pugnam ciere assuetus, incertum fugiens, an cominùs arma stringens, maiorem inferat perniciem, victus sæpè, victorem sternit humi, & dum minimè timetur, terrorem infert potiturque victoriâ. Hanc

tam

tam immanis hostis vincendi, aut saltem impunè grassandi consuetudinem coërcuit animosè Sigismundus Rex, obiectis hosti nouis colonijs, & munitis frequentissimis oppidis. Quod quidem insignis prudentiæ fuit, sine cæde & sanguine munire Imperium, tueri fines, propulsare barbarorum impetus. Illud verò felicitatine an virtuti imputandum, nullo vnquam Rege Poloniæ, Tartarum pugnâ campestri toties fusum fugatumque, nunquam tot prosperis experimentis probatum, vagum licet hostem teneri & vinci posse; interdum etiam ita acie in ordinem redigi, ne se loco sine suâ pernicie mouere queat. Nemo hâc à me narrationem rerum gestarum expectet: aliam occasionem, aliud tempus hæc sibi poscit, & nos triumphos Sigismundi non recensemus, sed leui signamus notâ, vt in hoc funebri actu, in hac communis doloris acerbissimâ pompâ breuiter perstricti, aliquantisper in animis hæreant, donec præstantiorum ingeniorum opera, stylo aureo exarati, lucem publicam aspiciant. Bellica facinora & parta armis gloria, & militibus & Ducibus, ita esse communis solet, vt eam Reges ex integro suam esse dicere nequeant; multùm huic decori detrahit fortuna; multùm rei benè gerendæ occasio, virtutum tantùm solida est possessio, hæ vnius cultoris sui insident animo. Quis Regum aut Principum Sigismundi pietatem, etiamsi maximè pius sit, æquare possit, qui de Regno paterno periclitari potiùs maluit, quàm erroris Hæretici labe infici, vel quiduis impium retinendi Regni causâ Hæreticis indulgere? qui tot augustis structis Basilicis; Aris positis; & aureâ argenteaque supellectili liberaliter instructis, satis ostendit fuisse sibi curæ Diuinum honorem, qui totus Diuinarum rerum contemplationi immersus semper, & corde & ore Deum spirabat, Deum sonabat, in Dei veneratione semper versabatur. Sigismundi Regis pietati Polonia & Lithuania debet promotos Regni fines; hostes hæreditarios toties fusos fugatosque; ius Regni assertum; bellicæ gloriæ studium propagatum; libertatis iura conseruata; & ne plura in medium adferam, quadraginta quinque annorum continuam felicitatem, Iustitiam, Temperantiam, Clementiam, animi magnitudinem, Munificentiam, Prudentiam, cæterasque magno Rege dignas virtutes ita iuris sui fecerat, vt non vsu quodam & consuetudine doctus, sed naturâ ad omnes præclaras actiones, quæ ab ijs virtutibus petuntur, suscipiendas, factus meritò existimari debeat. Felix profectò Sigismundus, non tam vitæ actæ prosperitate, quàm quòd semper contenderit, ne à fortunâ dependeret; vt suę felicitatis Deo duce & auspice, auctor effectorque esset: voti certè compotem fecit Deus, namque ita vixit, vt vixisse eum nunquàm pœnitere potuerit: ita feliciter regnauit, vt memoriam nominis sui, immortalitati consecrarit. Quis locus? quæ Regio in terris eius non plena laboris? quis adeò remotus orbis angulus, quò eius fama non peruaserit? Felicem Te fortunatumque Sanctissime Rex prædicamus, binis Cæsareæ & Augustæ Domus Austriacæ connubijs. Ambæ coniu-

ges

ges tuæ, non tantùm Imperatorij ſanguinis ſplendore, ſed multò magis Regiarum virtutum ornamentis excelluerunt; tanta in vtraque morum grauitas; tanta in vultu maieſtas, vt ſupra conditionem humanā diuinum quid ſpirare viderentur; ea pudicitia, quam magiſtram innocentiæ, & pretioſum matronalis dignitatis monile appellare poſſumus, vt exemplo cæteris omnibus fuerint. Conſtantia quidem non ſolùm vitæ, ſed & mortis conſors, tecum ſimul effertur, tecum ſimul in eodem componitur tumulo. Felicem iterum te appellamus, inclyte Rex, hac Regiâ prole, quam tuo exitu mœſtam triſtemque tibi Genitori ſuo ſupremos ſoluentem honores conſpicimus: Duos quidem ſacerdotalis toga auguſtiores reddit, quàm ſi & purpurâ, & diademate fulgerent Regio. Te verò Potentiſſime & Inuictiſſime Rex Vladiſlae, Vos Sereniſſimi Caſimire & Alexander Principes, quâ oratione alloquar? Triſtemne augeam dicendo mœſtitiam? Sed iſte ſqualor, iſte luctus, hæ quas vberes cum Sereniſſimâ ſorore, ſociâ acerbiſſimi doloris funditis lachrymæ ſolatia ſolida requirunt, quæ non aliunde Vobis petenda ſunt, niſi ex memoriâ fixâ in pectoribus Veſtris pijſsimorum Parentum Veſtrorum. Monita eorum quibus Vobis Regiarum virtutum viam monſtrauerunt, ſemper hæreant in animis veſtris, eos præſentes vobis adeſſe, vos illorum mandata accipere creditote, magni feliceſque futuri, ſi ad eorum exempla ſtudia actioneſque veſtras compoſueritis; non ita editi eſtis, non eâ ſtirpe nati, vt Vobis aliquando Maieſtatis Maiorum Veſtrorum generis nobilitate partæ, cuius hæreditatem creuiſtis, obliuiſci liceat. Is eſt dignitatis Veſtræ ſplendor, vt vel minima labes in eâ conſpici poſſit; ij Regiæ ſtirpis Maieſtatis latè fuſi radij, vt nihil occultum celatumque eſſe patiantur; in excelſo virtutis locati Throno omnium oculis conſpicimini, omnium tacitis iudicijs deſignamini. Viles & plebeiæ animæ, homines quos ſors naſcendi puro proiecit ſub aëre, quos altiùs attollere caput non ſinunt fœdi & ignobilis ortus initia, & quos progenitorum ſuorum vilitatis piget pudetque, ſerpant humi, & vitijs immerſi in ſordibus flagitiorum deliteſcant. Vos qui Maieſtatibus tot Imperatorum, tot Regum, tot Principum, quorum auguſto ſanguine editi eſtis, fulgetis: Vos inquam, auguſta, vos magna & ſublimia decent; à Vobis exempla petuntur, non magis magnitudinis animi, quàm modeſtiæ, temperantiæ & pietatis, ſine quâ nihil arduum & excelſum animo cogitari & ſuſcipi poteſt: vbi hæc defuerit, ipſa quoque humana vileſcit prudentia, & optimæ conſtitutæ familiæ præceps ruit fortuna. Vos ad omnes præclaras actiones & Sigiſmundus Pater, & Auunculus excitat, Hector noſtri ſeculi Ferdinandus Imperator, errorum extinctor, Hæreticorum ſalutaris pernicies, monſtrorum orbis Chriſtiani pacem & tranquillitatem ambitioſo impioque auſu temerantium, Herculeus domitor. Vos denique vniuerſa hæc Reſpublica, in quâ & cui nati eſtis, ſuo ſinu receptos implexu fouet, fouebitque; veſtris fauebit incrementis, præclaros veſtros

quos salutis publicæ causa suscepturi estis, conatus, suis promouebit consilijs: hæc Patria, hæc mater vestra est, huic & amorem debetis, & tutelam : in vobis viuit Rex noster Sigismundus, viuit eius pietas, iustitia, prudentia, ac inuictum animi robur. Vos ei per quem in lucem editi estis, Vestris Heroicis actionibus æternùm duraturam parietis eam, quam morte etiam suâ sibi parauit, immortalitatem.

FINIS.



INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM.

A.

B.

C.

D.

E.

H.

I.

Iunoßa

M.

ponit

Ministe-

N.

O.

P.

Perfectionis

Q.

R.

tis

S.

T.

V.

X.

Z.

FINIS.

